




3 1761 05507285 4





167
E89
Yn

Euripides

EVRIPIDES RESTITVTVS

SIVE

SCRIPTORVM EVRIPIDIS INGENIIQVE

CENSURA.

QVAM FACIENS

FABVLAS QVAE EXSTANT EXPLANAVIT EXAMINAVITQVE, EARVM QVAE
INTERIERVNT RELIQUIAS COMPOSVIT ATQVE INTERPRETATVS EST,
OMNES QVO QVAEQVE ORDINE NATAE ESSE VIDENTVR DISPOSVIT
ET VITAM SCRIPTORIS ENARRAVIT

I. A. HARTVNGVS.

Johann Adam Hartung

VOLV MEN ALTERVM.

HAMBVRGI,
SVMP TIBVS FRIDERICI PERTHES.
MDCCCXLIV.

Handwritten signature

UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

22892
14/5/92

UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

Invidiosa res est praevalidos et adultos errores arguere, neque invenitur via, quam ingrediens crimen effugias. Nam sive disceptando cum singulis decertes, litigiosum te esse, sive omissis adversariorum sententiis tuam simpliciter explices, valitura quae vera sint etiam sine certamine sperans, contumacem criminabuntur. Iniquissimus enim omnium tyrannus est plurimorum consensus: a quo si qua in re discrepes, fere nulla salus nisi in silentio ac dissimulatione. Me autem iure meritoque incusabunt, si amiciorem me meis quam alienis erroribus esse invenient.

Vellem aliquis eorum, qui sunt praestantiore or-
nati eruditione (quorum numerum magnum esse vi-
deo) atque etiam ampliore librorum copia instru-
cti (mea enim in his locis quanta sit penuria,

facile intelligitur), Euripidem suscepisset defendendum. Ducente autem animo ac cessantibus aliis quod quantum habui potuique in medium contuli, id opto ut sine offensione meliorum fecerim neve ingenuitatem meam pro arrogantia habeant.

Scribebam Schleusingae mense Iulio
anni MDCCCXLIV.

INDEX TITVLORVM.

		P.	
XII.	Euripidis fabulis vitae forma Graecorum im-		
	mutata est	1	
Ol. 89, 2.	{	A. Hercules furens	22
		B. Temenides	39
		C. Cresphontes	47
		D. Cercyon	54
XIII. *)	De natura poeseos	57	
Ol. 90, 2.	{	A. Supplices	85
		B. Oenomaus	104
		C. Andromache	108
		D. Autolycus prior	126
XIV. *)	Natura tragoediae ab Euripide immutata . .	127	
Ol. 89, 4.	{	A. Phrixus	143
		B. Iphigenia in Tauris	149
		C. Epopeus	176
		D. Alope	177
XV.	De actione et saltatione scenica	179	
Ol. 90, 4.	{	A. Phaethon	191
		B. Polyidus	209
		C. Scylla	215
XVI.	Veritatem qua ratione Euripides imitatus sit .	223	
Ol. 91, 1.	{	A. Alexander	233
		B. Palamedes	250
		C. Troades	265
		D. Sisyphus	285

*) Erravi, quod partem scriptorum eam, quae de Supplicibus et Andromacha est, ante eam, quae continet de Iphigenia T. dissertationem, tradidi imprimendam. Debit enim haec propter temporum rationem priorem locum occupare.

	P.
XVII. De aemulis Euripidis	288
Ol. 91, 4. {	A. Electra 305
	B. Helena 320
	C. Andromeda 344
	D. Busiris 360
XVIII. De mirabilibus et minus probabilibus, quae insunt carminibus	362
Ol. 92, 2. {	A. Ixion 370
	B. Menalippa vincta 375
	C. Auge 383
XIX. De dramatum generibus	386
Ol. 92, 4. {	A. Antiopa 415
	B. Hypsipyle 430
	C. Phoenissae 442
	D. Orestes 471
XX. De extrema Euripidis aetate	501
Ol. 93, 2. {	A. Iphigenia in Aulide 515
	B. Alcmaeon in Corintho 534
	C. Bacchae 539
	D. Archelaus 558
XXI. De gloria Euripidis superstite	566

Euripidis fabulis vitae forma Graecorum immutata est.

Magnum omnibus temporibus inter mortales certamen fuit, vine quadam perpetua atque aeterna, in ipsa natura sita, quae causas gignendi, augendi, minuendi immutandique haberet, sed careret sensu et figura, mundus et principio compositus esset et perpetuo servaretur, an dei praesentis praepotentisque mente, tanquam opificis cuiusdam, aedificatoris atque dominatoris, haec rerum universitas et effecta esset et administraretur regereturque, eiusdemque benignitate vitae mortalium consuleretur et quaecunque terra coelumque gignerent ad usum quasi manu fabricantis tribuerentur. Quae dissensio, quoad erunt qui de summis rebus humanis divinisque meditentur, nunquam diiudicabitur. Ambiguitas enim mentis nostrae sensusque naturae ipsi ingenerata est. Lege et necessitate omnia fieri iudicamus, simulatque causas in rebus inesse animadvertimus, quibus aliae ex aliis necessario nascantur, et, posito aliquo principio, ea, quae cogitantur, ad similitudinem eorum, quae sensibus percipiuntur, nasci ex se et argumentando effici intelligimus. Iidem quovis temporis momento nos liberos esse sentimus neque ullis rerum vinculis aut necessitate fatali sic constringi, ut careamus facultate non solum res externas, sed ipsum quoque animum nostrum moresque et totam vitae formam immutandi atque corri-

gendi. Itaque quum in agendo cogitandoque omnis animi vis vitaeque usus cernatur, altero leges rerum et necessitatem, altero libertatem et arbitrium auctorum agnoscimus: nam ratiocinari ipsum est necessitatem, quasi contextum rerum alius ex alia nascentium, intelligere; quod autem volumus cupimusque quae vel nobis vel aliis utilia esse putamus, quod consilia inimus et agitando resque gerendo quae statuimus effcimus, hoc ipso voluntatem caussis, animos corporibus, mentem necessitate superiorem esse sentimus: quod sentientes non possumus non etiam ea, quae nullis hominum viribus effecta esse videmus, mente potius et voluntate cuiusdam numinis praesentis regi administrarique, quam vi quadam naturali per rerum universitatem pertinente nasci iudicare.

Altera mortalium dissensio, priori similis et cum illa arctissime coniuncta, in virtutis fonte aestimando cernitur, quam alii ex natura, alii ex disciplina totam pendere arbitrantur. Quorum hi pravum esse quicquid naturae impetu parentes vel cupiamus vel faciamus, vitandum quicquid capiat delectetque, et quanto quidque pulcrius venustiusque, tanto magis perniciosum esse persuasum habent: exuendam igitur naturam esse docent, obsistendum non solum corporis voluptatibus, sed animi quoque voluntatibus, denique novam vitae formam, contrariam naturali, induendam, idque fieri praecepta auctoris alicuius vel doctoris divini sequendo et ad eius exemplum quicquid et sentiamus et faciamus dirigendo. Alteri naturam sequi ducem verissimum rectissimumque perinde ac dulcissimum esse iudicant; manca esse nec nisi ad tempus utilia quaecunque ratio praecipiat; leges omnibus, quae ubique scriptae sint, veriores menti uniuscuiusque ingeneratas esse; eorum, ad quae facienda natura invitet, nihil iis, qui sibi imperare possint, vitandum esse: neque enim res ipsas, sed nimia rerum nocere, neque quid facias, sed quomodo facias referre; in modo, quem ratio, non infinita illa, sed propria et rebus hominibusque accommodata, praescribat, servando cerni virtutem.

Antiquorum populorum et christianorum diversam sententiam vitaeque formam adumbravimus dissensionem illam

describendo. Si tamen a publicis institutis recedamus, ne medium quidem quod dicitur aevum, quo summa conspiratione homines, pulsa spretaque natura, disciplinam a sacerdotibus traditam secuti esse creduntur, illa dissensione vacuum fuisse inveniemus. Testimonio sunt Wolframi Eschenbacii et Godofredi Argentinensis carmina, consilio plane contrario scripta, quorum hic hominibus divina humanaque iura, dum lubrici parent, pollutentibus minime irasci videtur, tollitque libertatem arbitrii causam affectus venenum fingendo. Contra inter Graecos, quum vulgus fatali necessitati non rerum tantum naturam et res humanas, sed deos quoque ipsos parere, eademque ducente mundum principio compositum esse crederet, Socrates consilio numinis divini (quod τὸ θεῖον appellabat) censuit tum animalium corpora et quae terra gignerentur tum universum mundum et principio ad usum utilitatemque institutum esse et perpetuo regi; ab iisdem autem diis, qui illa fabricati essent, consuli mortalibus et incertos rerum eventus ominibus ostentisque significari, ac nonnullos etiam homines mentis suae praesagio, quasi genii cuiusdam praesentis voce, praemoneri. Eius viri philosophia omnis eo spectavit, ut tum a naturae vinculis et coeco cupiditatum impetu tum ab opinionum perversitate, quibus tanquam altera natura a teneris imbuti cogimur trahimurque, soluti et quasi in libertatem vindicati recta, vera, honesta et cognosceremus et cognita sequeremur.

Auctor autem Socrati fuerat Anaxagoras, „qui primus omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitae vi ac ratione designari et confici voluit” et inane nomen esse dixit necessitatis fatalis, idemque finem vitae humanae in contemplatione vel cognitione (θεωρία), ex qua sentiendi faciendique libertas nasceretur, primus posuisse videtur*). Medius inter utrumque collocatus scenicus qui dicitur philosophus Euripides, huius auditor, illius dux et amicus, effecit, ut ad infimos humillimosque inventa antea recondita penetrarent et quasi in succum et

*) Cic. N. D. I, 11. Alex. Aphr. de Fato f. 163. Clem. Alex. Strom. II. p. 416. Brandis Hist. phil. Gr. et Rom. I. p. 268.

sanguinem populi abirent, unde incredibilis vitae commutatio consecuta est et praeparati sunt animi gentilium ad adsciscendam divinam Christi disciplinam, qua et unum deum, mundi opificem, praesentem hominum vitae consulere docti sunt mortales et unius divini auctoris exemplum omnibus imitandum praeceptaque sequenda sunt proposita, ut naturalis illa lex ac necessitas fatalis non minus e cognitione quam e vita tolleretur.

Sententias a philosophis petitas, quae passim in fabulis Euripidis occurrunt, conquirere, ut iis inter se collatis rationem poetae et certam quasi sectam, quam professus secutusque sit, deprehendas, inane mihi esse videtur et ab officio eorum, qui de poetarum ingeniis iudicare volunt, alienum. Quid enim? nonne Schillerus qua in fabula virginem Aurelianensem celebravit omnibus ostentisque et praesentis dei auxilio fidentem, in eadem Talbotum induxit haec, cum moreretur, dicentem?

„Bald ist's vorüber, und der Erde geb' ich,
Der ewigen Sonne die Atome wieder,

Die sich zu Schmerz und Lust in mir gefügt u. s. w.”

Nec deterior illo poeta Euripides Hippolytum fecit Pythagoreorum disciplinam profitentem, Atalanten mores Spartanorum aemulantem, Herculem in Alcestidis fabula placita anticipantem Epicureorum, Telephum autem Cynicorum, tum Menalippam de rerum principiis deque religionibus ea, quae Anaxagoras excogitavit, explicantem, Macareum Archelai sententiam, qui honesta ac turpia dixit non natura, sed moribus discerni, Bellerophonem autem Diagorae Melii sententiam, nullos esse deos, qui rebus humanis prospicerent, defendentem, Bacchas denique sprete rerum contemplatione in traditis moribus institutisque acquiescentes. Has et alias dissidentium hominum opiniones qui promiscue in unum congestas contemplati sunt, ii non miror quod iudicii inconstantiae animique levitatis nostrum accusarunt et ostentandae eruditionis causa abusum esse placitis philosophorum non ex penetralibus depromptis, sed obiter haustis, arguerunt, quod facientes et summam poetae laudem inviti praedicarunt et levitatis crimen ipsi susceperunt, cum parum reputarent neque certorum philosophorum

placitis neque singulis eorundem effatis, sed universae philosophiae et communi investigandi studio veritatem inesse, neque tam auctoritatem in disputando quam rationis momenta quaerenda esse*). Quod in vitis singulorum iudicandis praecipitur, ut facta magis moresque quam dicta arguamus, idem in poetarum operibus aestimandis tenendum est. Advertendus est animus ad mores, ad vitae instituta earum personarum, quas tanquam exemplaria admiratione atque aemulatione dignissima effinxerunt poetae: quae quas profitentur sententias, iis non pro imaginibus et vitiorum praetextibus utuntur neque mentis perturbatione obcoecati ad tempus comprobant, sed tanquam summa, quae sequantur, firmiter in animo haerentia effantur. Cuius generis est Achilles ille in fabula Iphigeniae, non ursorum medulla neque leonum visceribus nutritus, sed Chironis, probissimi sanctissimique viri, doctrina eruditus, ex qua illud tanquam primum atque antiquissimum tulit:

„Aequam memento rebus in arduis

Servare mentem, non secus in bonis

Ab insolenti temperatam

Laetitia” (cf. Iphig. A. v. 920.),

eiusdem Chironis praeceptis sibi ab adolescentia suasit „nihil esse in vita magnopere expetendum nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilii parvi esse ducenda.” Itaque dum libidini obsequens Menelaus, ut mulierculam recuperet nequissimam, bellum patriae gravissimum concitat, dum ambitioni parens Agamemnon natam dulcissimam pro vitula mactat, dum multitudo malis artibus demagogorum incensa praeceps fertur insania atque furore, ipse pro salute eorum, qui in mala innocentes devenerunt, „in maximas se dimicationes et profligatorum hominum impetus obiicit.” Hic quantum distat ab Homero illo, mulieris caussa iras perpetuas exercente et na-

*) Refutavit hos nuper Hasse in dissertatione de Euripidis philosophia, quae et qualis fuerit, scripta, qui etsi poetae et philosophi officium parum distinxit, tamen quae disse-ruit utilissima sunt et cognitu dignissima.

turae impetu, quicquid molitur, abrepto! Cogitate enim (λελογισμένως) et considerate (συνετῶς) omnia administrat; neque tamen eruditioni vacans detrimentum fecit roboris atque fortitudinis. Vides eum a cunctis ducibus et universo exercitu discedere, sed causa discedendi non ira, sed pietas est et recti honestique sensus. Homericus igitur Achilles natura magnus est, Euripideus disciplina magis quam natura nactus est κόσμον illum μυριοπληθῆ, qua civitates augentur: nam

τροφαὶ αἱ παιδευόμεναι
 μέγα φέρουσιν εἰς ἀρετάν·
 τό τε γὰρ αἰδεῖσθαι σοφία
 τὰν τ' ἐξαλλάσσουσιν ἔχει
 χάριν, ὅπῃ γνώμας ἐσορᾶν
 τὸ δέον, ἐνθα δόξαν ἔχει,
 κλέος ἀγήρατον, βιοτά.

Hanc diversitatem omnibus, quoscunque uterque poetarum viros feminasque spectandos proposuerunt, inesse videbis. Aut igitur rationi et consilio obedientes laudabiles exhibuit Euripides, aut impetu animi incitatos et libidinibus deditos vituperandos. Unde factum est, ut quosdam, quorum res eiusmodi essent, ut sanae mentis vestigiis carerent neque ullo modo purgari et in meliorem partem accipi posse viderentur, quasi turpitudinis exempla omnibus locis deprimeret, velut Helenam, Paridem, Menelaum. Nullam enim veniam dat dulcia magis quam honesta sequentibus et voluptati sic obtemperantibus, ut nullam habeant rationem officii, sed tanquam pestes familiarum civitatumque damnat atque abiicit. Et quorundam virorum feminarumque duplicem expressit imaginem, quarum altera quales esse deberent, altera quales non deberent, ostendit: velut Helenae Troianae ex adverso posuit Aegyptiam, itemque Menelaum Menelao; eiusdem generis est diversitas Phaedrae utriusque in duabus Hippolyti fabulis. Calliditatem probavit, si avaritia atque ambitione vacans reipublicae gloriae et communi commodo augendo serviret. Itaque Ulysssem modo improbum atque perfidum effinxit, modo pium fidumque.

Neminem unquam virum magnum clarum atque imi-

tatione dignum fecit malis succumbere ac despondere animum adeo, ut mortem sibi voluntariam conscisceret. Verissimum enim virtutis experimentum esse iudicabat tolerare fortunam qualemcunque et posse iis, quae vulgo magna et praeclara haberentur, divitiis, nobilitate generis, gloria et reliquis fortunae ludibriis carere. Quin etiam amicis, cognatis, coniugibus liberisque orbat, corporis animique doloribus perpetuis cruciati, periculis circumventi, patria privati, hostium inimicorumque arbitrio expositi multi vitam sustentant et in melius fortunam mutatum iri sperant, non desidia neque socordia se tradentes, sed prudentia, consilio ac virtute utentes. Haec est illa mendicorum debiliamque multitudo, quam merito risisset Aristophanes, si quidquam illos indigni vel facere vel pati appareret: a qua turpitudine omnes tam longe absunt, ut hanc ipsam ob causam, quod cavent, ne quid turpe committant, vitam tolerandam esse statuunt. Et e regione hisce vitae tenacibus positus est numerus aequae magnae prodigorum vitae, quibus abiiciendi boni, quo nullum praestantius habetur, eadem est causa, quae illis retinendi. Turpitudinem enim utrique vitare student. Turpissimus est senex Pheres, qui filii sui, et regis et iuvenis, vitam sua morte exsolvere noluit et passus est pro se uxorem huius flore aetatis vigentem decedere, qua pereunte salus et felicitas domus una peritura fuit. Contra Iphigenia, generosissima virgo, quamvis vitae esset amantissima, postquam vidit virum praestantissimum, cuius virtute hostes vincendi essent, manu cum popularium exercitu conserta pro se discrimen esse vitae aditurum, mutavit sententiam, quam antea professa erat, et gloriosam mortem saluti praetulit. Item Polyxena, ne aut ipsa aut mater capillis indigne traheretur timens, mortem sponte et magno animo obeundo dedecus servitutis effugit. Cuius generositatem quo loco noster ornavit, explicavit sententiam illam, quam ego pro symbolo vel tessera cunctis eius operibus inscripserim, virtutem non extrinsecus religatam pendere, non frugibus similem nasci, bonitate soli, i. e. parentum, aut coeli opportuna tempestate, i. e. rerum hominumque momentis, incrementum definientibus, sed ex disciplina ac libero animi

arbitrio originem atque alimenta ducere. Rectissime igitur ad personas fabularum transtuleris, quae de Euripide ipso dixit Longinus, non natura eum magnificum esse, sed studio ac voluntate, neque sponte nata esse quaecunque eius carminibus inessent grandia ac sublimia, sed generosi animi consilio effecta; rectissimeque omnes cum leone illo Homérico comparaveris, qui sua latera coxasque cauda quasi flagello caedens se ad pugnandum ipse incitat (II. v, 170.).

Paris in Ida expositus quum remotus a perversis vulgi iudiciis et opinionum pravitate aetatem degeret, inter nympharum fontes et pratorum flores nutritus, armenta pascens ad sonum syringis saltantia, idoneus visus est summo Iovi, qui de dearum principum laudibus iudicium faceret. Atque is spreta virtute, spreta maiestate, palmam detulit venustati. Licuit enim homini avaritiae, luxuriae et reliquorum vitiorum, quorum causa leges proponuntur, ignaro dulcia arduis gravibusque anteferre: qualem fuisse felicitatem priscæ gentis mortalium, a fraudibus alienae, a malis et laboribus liberae, fabulose prædicant poetae. Sed aureum illud saeculum aut nunquam fuit aut perpetuo erit iis, qui castis purisque animis et incorrupto sensu nil habebunt dulce nisi quod pulcrum honestumque erit,

*ὄστις διδακτὸν μηδέν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν ἐς τὰ πάνθ' ὁμοῦς.*

His, qui naturam ducem sequuntur, neque leges inventae sunt, quibus libidinosi inviti coercentur, neque disciplina opus est, qua ad naturam errantes reducuntur, sed quicquid placet, permissum est (erlaubt ist, was gefällt):

„Hast du, Glücklicher, nie den schützenden Engel
verloren,

Nie des frommen Instincts liebende Warnung ver-
wirkt,

Malt in dem keuschen Auge noch treu und rein sich
die Wahrheit,

Tönt ihr Rufen dir noch hell in der kindlichen
Brust u. s. w.,

O dann gehe du hin in deiner köstlichen Unschuld,
Dich kann die Wissenschaft nichts lehren; sie lerne
von dir!

Jenes Gesetz, das mit ehernem Stab die Sträubenden
lenket,

Dir nicht gilt's; was du thust, was dir ge-
fällt, ist Gesetz,

Und an alle Geschlechter ergeht dein göttliches Macht-
wort;

Was du mit heiliger Hand bildest, mit heiligem
Mund

Redest, wird den erstaunten Sinn allmächtig bewegen:

Du nur merkst nicht den Gott, der dir im Busen
gebeut,

Nicht des Siegels Gewalt, das alle Geister dir beuget:

Einfach gehst du und still durch die eroberte
Welt."

Apollini igitur et Baccho gratissimi sunt ingenui illi (nai-
ven), candidi, integri, venustique homines. Et Musae,
quum Harmoniae interessent nuptiis, quod pulcrum esset
idem dulce esse (ὁ τι καλὸν φίλον ἐστὶ, τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ
φίλον ἐστὶ, Theognis) divino ore cecinerunt (τοῦτ' ἔπος
ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων). Eandem sententiam Bac-
chae apud Euripidem profitentur (ὁ τι καλὸν φίλον αἰεὶ,
v. 881.), qua solas castas bacchationibus recte interesse
significant:

καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν

οὐσ' ἢ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται (v. 298).

Musae enim et Bacchae furore divino percitae legibus-
que solutae, dum pulcra atque iucunda sequuntur, mode-
rantibus motum Gratiis, intra fines honesti consistunt.
Quarum tamen vacarent cultoribus arae, si spretis sapien-
tibus rudissimos quosque et simplicissimos in fana solos
admitterent. Rarum enim genus est integrorum in saeculo
ferreo, vel potius, si credimus theologis, nullum fuit, ex
quo deus primorum hominum peccatis irascens iussit ex
sede beata genus mortalium universum exsulare. Semper
enim, cum animus cupidine aliqua occupatur, sensus veri
rectique obscuratur et fraudem struit consilio appetitus,
ut perturbata mente probemus quae integra damnavimus:
unde fit, ut infantes ad vim iniuriamque faciendam pro-

nissimi sint. Paradis illius ipsius exemplo hoc cognitum est, qui rapta hospitis uxore, quam Venus et ostenderit ei et conciliaverat, fax belli et pestis patriae factus est adeo, ut perniciosiorem hominem pastore illo Ilio universa antiquitas neminem noverit. Disciplinam igitur in corruptis mortalium moribus spernere nemini, ne poetis quidem, qui sunt in Musarum et Apollinis tutela, licet.

„Das entweihte Gefühl ist nicht mehr Stimme der Götter,

Und das Orakel verstummt in der entarteten Brust.
Nur in dem stilleren Selbst vernimmt es der horchende Geist noch,

Und den heiligen Sinn hütet das mystische Wort.
Hier beschwört es der Forscher, der reines Herzens hinabsteigt,

Und die verlorne Natur giebt ihm die Weisheit zurück.“

Dixit quidam philosophorum, proprium sapientis hoc esse, ut, sublatis legibus, aequae sancte probeque victurus esset, neque contra ea, quae vera, recta honestaque esse ratione ac iudicio cognovisset, facturus. Ab hac igitur parte sapientis atque ingenui facta conspirant et disciplina cum natura conciliatur; hoc interest, quod ingenuo pulchra sive honesta eadem dulcia sunt, illi ardua, austera, plena laboris et aerumnae. Deterritus igitur specie viae, quae ad sapientiam ducit, quaerit indoctus ex erudito:

„Sage du mir's, du bist in diese Tiefen gestiegen,
Aus dem modrigen Grab kamst du erhalten zurück,
Dir ist bekannt, was die Gruft der dunklen Wörter bewahret,

Ob der Lebenden Trost dort bei den Mumien wohnt?
Muß ich ihn wandeln den nächtlichen Weg? Mir grant,
ich bekenn' es:

Wandeln will ich ihn doch, führt er zu Wahrheit
und Recht.“

Et certissime ingredienda est tanto fortius omnibus, quanto longius in dies genus mortalium a natura desciscit. Christianorum et gentilium hominum sive recentiorum et priuscorum saeculorum hanc esse diversitatem iudicavit Schil-

lens, quod illi magis rudes simplicesque natura inscii ducerentur, hi interprete ratione, quam imitationem naturae esse dixit Seneca, vitam cum natura conciliare studerent. Recte ille hoc discrimine priorum et posteriorum vitae formam distinxit, sed non recte fines spatiorum terminavit. Ipsa enim antiquitas divortio illo in duas quasi partes discessit, et commutatio atque transitio alterius in alteram aetate Euripidis et Socratis, his potissimum ipsis viam ducentibus, facta est, clamante quidem Aristophane et rapi trahique antiquam disciplinam testante, sed necessitatem soli vertendi ac transgrediendi limitem, intra quem antiquiores constiterant, pro virili parte ipso augente. Ingenia saeculorum cognosces, si diversa poetarum de auctoribus malorum iudicia comparabis. Non damnat Homerus Helenam, alteram Evam, et ne accusat quidem, quin etiam dignam esse censet, cuius pretio viri fortissimi mutuis caedibus pereant, idque senum ipsorum, quorum filii interficiuntur, iudicio comprobatur. Nec minus Paris Troianis gratus est, quo negante, se feminam Graecis postulantibus traditurum, reliqui consentiunt: quod facientes, quid aliud quam praestare interire, quam dulcibus venustisque carere, declarant? Contra Euripidi turpissima feminarum Helena esse videtur, turpissimus vir Menelaus, qui conspecta adultera abiecto gladio, quo puniturus erat, in oscula et amplexus ruerit; Paris vero quod non statim, postquam natus fuerit, a matre ipsa suffocatus sit, vehementer putat et Graecis et Troianis dolendum fuisse. Quocum consentiens Socrates Xenophonteus bestiarum omnium venustos magis censet vitandos esse iis, qui sibi temperare nequeant, oscula vero eorum cum phalangiorum morsibus comparat, a quibus percussi homines doloribus conficiantur atque insaniant. Horum tamen longe abest sententia a laementis illis perpetuis, quibus multi homines christiani universum genus humanum, scilicet eo, quod Eva cum Adamo peccasset, depravatum et in miserias ex felicitate projectum, deplorant.

Malorum comparatis auctoribus, porro salutis auctores aevorum singulorum componamus. Aevo, quod in genuum appellare licet, salvatores quidam ac liberatores mortalium

celebrantur heroes, contrarii chimaeris, sphingibus, polyphemis aliisque eius generis monstris atque latronibus, quorum rapinis terrae vastentur ac leges civitatum evertantur. Heroum autem princeps est Hercules, Iovis filius, cuius laboribus terrae omnes sunt purgatae, quin etiam orci victa terricula. Aevi eruditi spes omnis salutis in sapientiae praeceptis cognoscendis utendisque nitebatur; haec homines admirabantur, his animos, mentes moresque, alii aliam sectam sive disciplinam sequentes, conformabant. Itaque non iam heroes et latrones, sed sapientes et stulti quinam essent quaerebant; omnes autem stultos insaniae crimine teneri affirmabant: „etenim qui species veri falsique diversas mentis tumultu permiscet, ac, dum aequa iustaque se sequi arbitratur, scelera amplectitur, is commotus recte habetur, neque quicquam interest, stultitiane erret an ira vel cupidine.” Christiano denique aevo sanctos in locum sapientium successisse videmus, iidemque mortui divorum numero habiti et divinis honoribus in similitudinem heroum affecti sunt.

Tria igitur aeva pro duobus, quae Schillerus posuit, distinguenda sunt, et princeps poetarum, qui sensus cogitatisque exponendis plus vel tantundem quam rebus imitandis tribuerunt, Euripides est, propter id ipsum philosophus scenicus ab antiquis appellatus *), in quem pleraque eorum, quae de eo genere poeseos ille praedicavit, conveniunt **). Perfectae virtutis exemplaria paene in

*) Vitruv. praef. lib. VIII.: Euripides auditor Anaxagorae, quem philosophum Athenienses scenicum appellaverunt. Clemens Alex. Strom. V. p. 581. C. Sextus Emp. ad gramm. I, 13. p. 279. Origin. c. Cels. IV. p. 214. Oraculum Chaerophonti consulenti editum esse traditur hocce:

*Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης,
ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος.*

Cf. Schol. Arist. Nub. 145. Cic. Sen. c. 21.

***) Diversum a prioribus Euripidem et plerosque posteriorum saeculorum scriptores esse non fugit Schillerum, id quod hisce eius verbis declaratur: „Diese Veränderung in der Empfindungsweise ist schon äußerst auffallend im Euripides, wenn man diesen mit seinen Vorgängern, besonders

singulis fabulis expressa proponit et multos, dum specie recti honestique, quam gerunt in mente et cogitatione infixam, incendantur dumque facinora imitatione digna in populares edere studeant, facit suam ipsorum naturam in iis, quae dicunt perpetrantque, superare, quorum quidam sententias profitentur atque res gerunt equitum illorum, quos medium quod vocatur aevum tulit, consiliis operibusque simillimas, velut Achilles propter laesam famam suam contentamque auctoritatem irascens et pro virgine indigne tractata proelium cum universo exercitu conserere volens. Sententiarum copia et notionibus communibus eundem poetam abundare notum est, quas quidem eius divitias, sicut omnem philosophiam Socraticam ad vitam moresque conformandos pertinentem, nos, utpote eiusmodi bonis pridem repleti et navium instar supra modum onusti, minus admiramur atque etiam ut rem vulgarem parumque sublimem fastidimus. At antiquis philosophis, ut ait Cicero (epist. fam. XVI, 8.), singuli eius versus singula testimonia esse visa sunt, ut sapientiae laude magis etiam quam poeseos fabulae omnibus merito commendarentur*).

dem Aeschylus, vergleicht, und doch war jener Dichter der Günstling seiner Zeit. Die nämliche Revolution läßt sich auch unter den alten Historikern nachweisen. Horaz, der Dichter eines kultivirten und verdorbenen Weltalters, preist die ruhige Glückseligkeit in seinem Tibur und ihn könnte man als den wahren Stifter dieser sentimentalischen Dichtungsart nennen (?), so wie er auch in derselben ein noch nicht übertroffenes Muster ist. Auch im Properz, Virgil u. A. findet man Spuren dieser Empfindungsweise."

*) Diphilus ap. Athen. X. p. 422. B: εὖ γ' ὁ κατάχρηστος εἶπε πόλλ' Εὐριπίδης. Philo Iud. p. 685., quo loco omnem probum liberum esse docetur: ὑποκριτῶν, inquit, τραγωδίαν ἐπιδεικνυμένων καὶ τὰ παρ' Εὐριπίδῃ τρίμετρα διεξιόντων ἐκεῖνα·

τοῦλευθερον γὰρ ὄνομα κτλ. (cf. Aug. fr. X.),
 τοὺς θεατὰς ἅπαντας εἶδον ἐπ' ἄκρων ποδῶν ὑπ' ἐκπλήξεως ἀναστάντας καὶ φωναῖς μείζοσι καὶ ἐκβοήσεσιν ἐπαλλήλοισ ἐπαινον μὲν τῆς γνώμης, ἔπαινον δὲ καὶ τοῦ ποιητοῦ συνείροντας, ὅς οὐ μόνον τὴν ἐλευθερίαν ἔργοις, ἀλλὰ καὶ τοῦνομα αὐτῆς ἐσέμννε.

Nobilitati generis, quam quasi unicum virtutis fundamentum suspexerat aevum quod appellavi ingenuum, nihil tribuit Euripides. Et apud Homerum quidem quod Achilles Hectorem vincit cunctosque virtute superat, quod Vulcanus arma ei fabricatur quodque coelestium principes ad augendum eum conspirant, stirpis divinitati debetur, testante Iunone (Il. ω, 58.):

*Ἐκτωρ μὲν θνητός τε γυναικῶν τε δήσατο μαζόν·
αὐτὰρ Ἀχιλλεύς ἐστι θεῶν γόνος, ἣν ἐγὼ αὐτῇ
θρέψα τε καὶ ἀτίτηλα καὶ ἀνδρὶ πόρον παράκοιτιν,
Πηλεΐ, ὃς πέρι κῆρι φίλος γένετ' ἀθανάτοισιν·
πάντες δ' ἀντιάσθε, θεοί, γάμου κτλ.*

Atqui nuptias quidem Thetidis Euripides et ipse carmine praestantissimo celebrat et futuram Achillis gloriam in illis nuptiis a diis cantam esse refert, ceterum hic Chironis disciplina plus quam nobilitate generis confidit. Tenenda sunt illa, quae Hecuba disserit:

*ἄρ' οἱ τεκόντες διαφέρουσιν ἢ τροφαί;
ἔχει γε μέντοι καὶ τὸ θρεφθῆναι καλῶς
δίδαξιν ἐσθλοῦ· τοῦτο δ' ἦν τις εὖ μάθῃ,
οἶδεν τό γ' αἰσχρὸν κανόνι τοῦ καλοῦ
μαθῶν.*

Dimidium virtutis, iudice Homero, servis aufert Iuppiter (Od. ρ, 322.); contra Euripides nihil ad virtutem differre servos, spurios, ingenuos omnibus locis affirmat, quin etiam virtutis matrem egestatem esse, quum divites saepe se sordidae tradant, arbitratur; cf. quae Hasse l. l. p. 30. con-gessit testimonia. Itaque multos in tragoediis pauperes, egenos, servos, spurios induxit, qui animi generositate et sanctitate vitae divitibus regibusque essent praestantiores, velut in Electrae fabula colonum illum, cuius moribus cognitis Orestes disserit illa, quibus sententia Euripidis apertissime declaratur (v. 367 seqq.): *φεῦ· οὐκ ἔστ' ἀκριβὲς οὐδὲν εἰς εὐανδρίαν κτλ.*

Mutatam morum disciplinam mutata de diis rebusque divinis opinio necessario consecuta est. De diis quid senserit Euripides, his duobus versibus apertissime declarari ostendi T. I. p. 98:

εἰ θεοὶ τι δρωῶσιν αἰσχρόν, οὐκ εἰσὶν θεοὶ —

ὁ σὸς δ' ἰδὼν νῦν νοῦς ἐποιήθη Κύπρις.

Opinabiles esse arbitrabatur deos, qui voluptatibus, ambitioni et reliquis vitiis humanis servirent, qui hominum victimis se placari iuberent, qui denique in similitudinem morum humanorum fingerentur (ἑνητοὶ θεῶν νόμοισι χρώμεθα, Hippol. 97.), quorum tamen personis more ab Homero tradito per quandam significationem (Allegorie) uti non dubitavit. Non debent, inquit, homines suos errores, sua vitia in deos transferre neque stultos iniustosque esse deos fingere, qui leges et civitates condiderunt et omnino bonorum, non malorum, auctores sunt: Troad. 981: μὴ ἀμαθεῖς κρίνει θεοὺς τὸ σὸν κακὸν κοσμοῦσα, μὴ οὐ πείσης σοφούς*). Ion. 454: πῶς οὖν δίκαιον τοὺς νόμους ὑμᾶς βροτοῖς γράψαντας ἀπτοὺς ἀνομίαν ὀφλισκάνειν; Suppl. 201: ἀνῶ δ' ὅς ἡμῖν βλοτον ἐκ πεφυρμένου καὶ θηριώδους θεῶν διεσταθμήσατο, πρῶτον μὲν ἐνθεῖς σύνεσιν, εἶτα δ' ἄγγελον γλῶσσαν λόγων δοὺς κτλ. Consuluerunt igitur et prospexerunt dii rebus humanis rationem et orationem tribuendo et reliqua bona, quibus vita mortalium exulta a pecorum feritate, „quae natura prona finxit atque ventri obedientia”, distinguitur. „Dux igitur atque imperator vitae mortalium animus est**), qui, ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est neque fortuna eget, quippe quae probitatem, industriam aliasque bonas artes neque dare neque eripere cuiquam potest. Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessum datus est

*) Adde schol. Orest. 417: θέλει ἐνταῦθα δεῖξαι ὁ Μενέλαος τῷ Ὀρέστη, ὅτι οὐχ ὁ Ἀπόλλων προσέταξεν αὐτῷ τὸν τῆς μητρὸς φόνον, ἀλλ' οἴκοθεν ἐργασάμενος τοῦτον· ἐπεὶ δὲ δυστυχεῖ, προβάλλεται τὸν Ἀπόλλωνα κτλ. Iphig. T. 392: οὐδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν. Cycl. v. 352. et quae collegit Hasse p. 34 sq.

**) Plat. Cratyl. 413. C: τὸ δίκαιον ὃ λέγει Ἀναξαγόρας νοῦν εἶναι τοῦτο, αὐτοκράτορα γὰρ ὄντα καὶ οὐδενὶ μεμιγμένον πάντα φησὶν αὐτὸν κοσμεῖν τὰ πράγματα, διὰ πάντων ἰόντα. cf. Hasse l. l. p. 15.

perniciosa libidine paulisper usus, ubi per socordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturae infirmitas accusatur, suam quisque culpam auctores ad negotia (sive ad deos) transferunt. Quodsi bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multumque etiam periculosa petunt, neque regerentur magis quam regerent casus, et eo magnitudinis procederent, uti pro mortalibus gloria aeterni fierent." Confer cum his Sallustii quae Euripides professus est in Suppl. 196 — 218. Polyid. fr. 7. Phrxi fr. 14., quibus adde Hasse p. 38. et 31. Animum igitur divinum vel etiam deum esse dicere ausus est noster, itemque divina quae animi sive rationis vi instituta essent; vide quae T. I. p. 98. exposuimus. Ratione humana, tanquam altera naturae necessitate, res humanae administrantur, puniuntur scelera et defenditur iustitia*) sive *Δίκη*, summi Iovis filia, quam in fati locum a nostro substitutam esse videmus (Androm. fragm. 32. Phrix. fr. 8.). Ex mente enim numinis divini sive aetheris (qui Iuppiter appellatur) emanavit mens humana, illius et pars et imago, cuius memor originis nihil habet antiquius, quam virtutem colere, iustitiam tueri, ulcisci sceleratos, leges civitatum incorruptas servare; cf. Troad. 890 seqq. Hec. 834. 789. Electr. 890. Haec qui statuit, eum necesse est instituta a maioribus tradita cum deorum popularium cultu et religionibus caeremoniisque sancta habere. Et planissima eiusmodi fidei pietatisque documenta Euripides cum omnibus fabulis tum Baccharum et Hippolyti edidit. Fere eadem, quae Socrates, de his rebus sentiebat, ut Xenophon illum defendens nostrum una purgare videatur. Uterque quum opinionem de diis vulgo conceptam improbaret, tamen usitatas perceptasque deorum cognitiones minime tollebat. A contemnendis vero religionibus noster tam longe aberat, ut non tollendam esse divinationem, cultum, honores, preces, quae diis immortalibus adhiberentur, arbitraretur, sed puritatem, sanctitatem, pietatem eorum, qui adhiberent, augendam. Neque

*) Hecub. 952 — 958. Troad. 890 seqq. cf. quae Hasse collegit p. 37.

profecto Euripides erat numero eorum, qui in natura vim omnem divinam sitam esse censentes mundum animantem in locum deorum ratione, sensu et figura praedictorum substituebant aut rebus inanibus atque mutis per quandam significationem deorum nomina tributa esse credebant, sed quum mentem infinitam, quasi aliquod animal, per naturam rerum commeantem fingeret, ex qua tum mortalium tum immortalium animi omnes carperentur, multas deorum formas speciesque ex illa mente delibatas esse censebat, itemque multos deos ex hominibus factos maiorum institutis iure meritoque coli. Aetheris enim sive mentis infinitae partem spiritum vel animum esse dicebat, terrae autem corpus, et utramque post mortem eo, unde profecta sit, redire; cf. Suppl. 533. Helen. 1020. Orest. 1085. cum schol. Chryssippi fragm. T. I. p. 139. Vitruv. praef. lib. VIII. Itaque animos hominum virtute praestantium, ubi discessissent a corpore, permanere, neque modo non interire, sed etiam tum demum vere vivere et felicitate frui, cum ex corporis vinculis liberati essent: Polyid. fr. 7: *τίς δ' οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μὲν ἔστι κατθανεῖν, τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται;* Erechth. fr. 11: *ἐγὼ δὲ τοὺς καλῶς τεθνηκότας ζῆν φημι μᾶλλον τοῦ βλέπειν τοὺς μὴ καλῶς.* Phrix. fr. 14. Qui vero rebus utilibus et salutaribus inventis aut periculis depulsis magna generi humano commoda attulissent, eos in deorum numerum dignitatemque receptos esse, velut Bacchum, Apollinem, Herculem.

His ut omnibus praesagium quoddam ac desiderium eorum, quae absoluta consummataque christianae insunt disciplinae, declaratur, ita hoc quoque a gentiliū sententia discrepat, quod plenam miseriarum esse vitam dixit humanam, et felices praedicandos magis qui morerentur quam qui nascerentur (Cresph. fr. 13.). Atque ipse tristis atque severus fuisse dicitur, contemptor amorum, verecundus, amans solitudinis, lucubrationis, meditationis, defixus in cogitationibus, haerens in libris, quum Sophocles, apis illa Attica, circum flores volitaret ac vinum et amores ne senex quidem sectari desineret:

*Ἄττις δ' οἷα μέλισσα πολυπρόηωνα Κολώνην
λείπουσ' ἐν τραγικοῖς ἤδε χοροστασίαις,
Βάκχον καὶ τὸν ἔρωτ' ἀνέγειρε Θεωρίδος κτλ.*

φημί δὲ κάκεινον τὸν αἰεὶ πεφυλαγμένον ἄνδρα
καὶ σπανίων μῖσος κτώμενον ἐκ συνόδων
πάσας ἀμφὶ γυναικῆς, ὑπὸ σχολιοῦ τυπέντα
τόξου, νυκτερινὰς οὐκ ἀποθέσθ' ὀδύνας.

Hermesianax Colophonius ap. Athen. XIII. p. 597., quibus-
cum componas quae Euripides ipse de invidia hominum
abstrusorum atque additorum, quasi sui consolandi causa,
effatus est in Med. v. 214 — 221. et 293 — 298., in Hipp.
v. 91 — 93.

Haec praefatus sum Herculem furentem explicaturus,
quo summi heroes Hercules atque Theseus iidem sapien-
tissimi homines repraesentantur, qui, quum purgarent orbem
vincerentque orbem, simul se vincere atque vitiorum mor-
bis animum purgare didicerunt: cuius sapientiae fructus
hic est, quod immani clade*) prostratus Hercules aegritu-
dine non opprimitur, sed sublevatus amici solatio ad con-
suetam negotia continuo redit. Infortuniorum omnium ma-
ximum est sceleribus innocentem pollui ac perniciem suis
invitum inferre: id quod duobus hominum accidisse acce-
pimus, Oedipo atque Herculi, quorum neuter apud Eu-
ripidem mortem sibi consciscit, quum Ajax Sophocleus
ovibus per insaniam occisis vita sibi carendum esse cen-
seat. Gravissimarum sententiarum plenum est colloquium
Herculis atque Thesei de mortis voluntariae necessitate
habitum: quocum si composueris quae super eadem re
Cesar Schillerianus cum choro disputat, nil fere eorum,
quae in eiusmodi causis apte graviterque dici possunt, de-
siderabis. Causa malorum, quibus Hercules iniquissime
cruciat, saevitia fingitur esse deorum, et Iuno imprimis
iniuriarum rea est. Sed iidem, qui accusant, opinionem na-
tura numinum divinorum indignam spernunt, velut Hercules
v. 1307: *τοιαύτη θεῶ τῆς ἂν προσεύχοιτο*; et Amphitruo
v. 347: *ἀμαθῆς τις εἶ θεὸς ἢ δίκαιος οὐκ ἔφυς*. Ex qui-
bus simulationem eiusmodi accusationibus inesse patet. Et
veriora, spretis vilissimis poetarum fabulis (*ἄοιδῶν δύστη-
νοι λόγοι*), vv. 1341 — 1346. declarantur. Apparet iustitia
in rerum humanarum administratione, id quod, negantibus

*) v. 1240: *ἄπει κάτωθεν οὐρανοῦ δυσπραξία*.

stultis, intelligunt prudentiores; cf. v. 757—759. 777—780. Sed mortalibus per virtutis viam arduam eo, unde profecti sunt, enitendum est, certatim diis, quanto quis audacius deorum virtutem aemulatur, tanto graviores labores doloresque, ne unquam quiescat, imponentibus; cf. v. 840—842. Iovis filius est Hercules, eamque ob causam Iunoni invidus; natura eiusdem fatum continet, virtus pericula et calamitates ei destinat *). Quod insignem aetheris, ex quo animae emanant, partem accepit **), simul laborum pars maior ei, quam reliquis, hereditate obvenit: pretium enim virtutis non est vacatio dolorum, non fructus bonorum, non huius vitae felicitas, sed immortalitas, qua sola ad coelestium deorum dignitatem atque honorem ascendimus. Confer hanc deorum hominumque fortitudinem cum imbecillitate, ad quam nostris poetis, si fabulam Euripidis imitari velint, descendendum esse etiam Lessingius censet, et miseriae horum te poenitebit.

Inde ad tempus, quo haec fabula agi potuerit, exquirendum transeo. Proveciorem aetate Euripidem, quum eam scriberet, fuisse haec eius verba significare videntur:

ἔτι τοι γέρον ἀοιδὸς
 κελαδεῖ Μναμοσύναν·
 ἔτι τὰν Ἡρακλέους
 καλλίνικον ἀείσω κτλ.

Fuerunt qui eam post Ol. 88, 3. actam esse ex sacrorum Deliacorum commemoratione coniicerent. Sed recte Zinzendorfer ad ea animum advertit, quae de Thebanorum civitate dicta huic tragoediae insunt. Quorum vis quo melius intelligatur, de iis, quae circa Ol. 89, 1. Thebani adversus Athenienses hostilia fecerunt, paucis exponendum est. Anno igitur 424. vel Ol. 89, 1. Boeotorum factio, auctore Ptoeodoro exsule, cum Hippocrate, Atheniensium praetore, transegit, cupiens civitatum administrationem ab optimatum potentia ad plebem transferri, ut similes redderentur reipublicae Atheniensium. Placuit

*) Cf. v. 21: εἴθ' Ἥρας ὑπο κέντροις δαμασθεῖς εἴτε τοῦ
 χρεῶν μέγα.

**) Verus Herculi pater Amphitruo est; Iovis se filium esse virtutibus testatur; cf. v. 802—806.

autem, ut Hippocrates ex Athenis ducto exercitu pedestri Delium, Apollinis templum in Tanagraea situm, occuparet utque eodem die Demosthenes, alter Atheniensium praetor, coactis ex Acarnania et vicinis locis sociorum copiis, cum navibus quadraginta ad Naupactum proficisceretur ad insidiandum Siphis, oppido in sinu Crisaeo sito, quod quidam Boeotorum per proditionem tradere constituerant. Errore dierum, quibus uterque praetorum proficisci debebat, factum est, ut, quum Demosthenes prior ad Siphas applicasset, res frustra esset, detectis per Nicomachum Phocensem insidiis. Ea re cognita coniurati, qui in civitatibus res novare voluerant, quieverunt. Hippocrates autem, excitato omni populo Atheniensi, civibus, incolis et hospitibus quicumque aderant, posterior contendit ad Delium, Boeotis iam reversis a Siphis et Chaeronea, quas urbes, priusquam quidquam Demosthenes moliretur, occupaverant. Ille, quamquam sero se advenisse cognovit, tamen Delium munivit. Perfectis munimentis in fines Atticae ad Oropum recessit, statimque (quae maxima multitudo erat) levis armaturae milites discesserunt, reliqui positae armis quiescebant. Boeoti autem ex omnibus civitatibus coactis copiis recedentes insecuti sunt. Proelio commisso Atheniensium exercitus, quum ex gravis armaturae militibus totus constaret, clade affectus est gravissima. Hanc sine dubio rem gestam respicit Euripides eo loco, quo levis quidem armaturae utilitas, gravis autem incommoda explicantur, v. 190 — 203. Vera enim haec esse illo proelio cognitum est: nam quum aciei pars altera vicisset, altera victa esset, huius clades illam traxit, immissoque ab hostibus equitatu omnes perturbati sunt.

Discordia civitatis Thebanorum et iniquitas optimatum, qua qui et populari potentiae et societati Atheniensium studebant opprimebantur, hisce significatur verbis:

v. 270: — — — οὐ γὰρ εὖ φρονεῖ πόλις
στάσει νοσοῦσα καὶ κακοῖς βουλευμασιν.

v. 582: πολλοὺς πένητας, ὀλβίους δὲ τῷ λόγῳ
δοκοῦντας εἶναι, συμμάχους ἀναξ' ἔχει,
οἳ στάσιν ἔθηκαν καὶ διώλεσαν πόλιν
ἐφ' ἀρπαγαῖσι τῶν πέλας, τὰ δ' ἐν δόμοις
δαπάναισι φροῦδα, διαφυγόνθ' ὑπ' ἀργίας.

Mores describuntur hominum nobilium, qui, patrimonii per luxuriam sumptusque immodicos dissipatis, non cedere pristina dignitate, sed malis artibus et rapinis rem perditam restituere studeant. Quorum tanquam caput atque exemplar Lycus ipse inducitur iniquissimus. Horum igitur crudelitate familiam Herculis absentis vexari et in discrimen capitis adduci videmus, quae societate cum Atheniensibus iuncta florere poterat laetissime (v. 471.):

κήδη συνάψουσ' ἔκ τ' Ἀθηναίων χθονὸς
Σπάρτης τε Θηβῶν θ', ὡς ἀνημμένοι κάλως
πρηνησιόισι βίον ἔχουσ' εὐδαίμονα.

Et Theseus quidem auxilio ducit Herculi exercitum Atheniensium (v. 1135.):

ἦκω σὺν ἄλλοις, οἱ παρ' Ἀσωποῦ ῥοὰς
μένουσιν ἔνοπλοι γῆς Ἀθηναίων κόροι —,

sed sero venit:

ἦπον λέλειμμαί καὶ νεωτέρων κακῶν
ὑστερος ἀφῆγμαι;

Praeterea summis beneficiis mutuis Theseus atque Hercules inter se obstringuntur, atque alter alterum ab interitu retrahit, quae potuit felicitas civitatibus et ipsis, si se invicem adiuvare voluissent, obtingere. Atque ipsa amicitia, qua Hercules Thebanus cum Theseo Atheniense coniunctus fuerat, tum auctoritas maiorum et honos, quo Hercules ab Atheniensibus affectus erat (quaecunque enim delubra Theseo consecraverant cum Hercule communicaverant et omnino primi Graecorum aras heroi Thebano consecraverant), Thebanos, ne Atheniensium amicitiam respuerent, admonere debebat (v. 1303.):

θυσίαισι λαῖνοισί τ' ἐξογκώμασιν
τίμιον ἀνάξει πᾶσ' Ἀθηναίων πόλις·
καλὸς γὰρ ἀστοῖς στέφανος Ἑλλήνων ὑπο
ἄνδρ' ἐσθλὸν ὠφελοῦντας εὐκλείας τυχεῖν.

Ex his, quae ostendi, indiciis actam esse fabulam Herculis Ol. 89, 2. sive anno 422. coniiicio, quo eodem anno Pax Aristophanis exhibita est. Et pacis desiderium Euripides ipse quoque declarat, quam sperat iuncta inter Athenienses Thebanosque amicitia tractisque ea coniunctione Spartanis conciliari posse (v. 471.). Societas autem cum

Hercule furente fuisse fabulas conicio Temenidum et Cresphontis, quibus Heraclidarum Peloponneso potitorum fata illustrabantur. Optimatum et popularium certamen Temenidum quodam fragmento significatur, belli pacisque commoda ibidem comparantur, pacis desiderium alterius fabulae carmine praestantissimo exprimitur. Digna sunt etiam, ad quae animum advertas, dicta Meropes, sapientissimae feminae et multorum dolorum perpeessione purgatae. Quartam denique fabulam Cercyonem adiungo, qua ad Thesei atque Atheniensium res ex Peloponnesiorum rebus spectatores commode reducerentur.

A. Hercules furens.

Thebis res aguntur ante aedem Iovis Servatoris, quam Hercules victis Minyis liberatisque Thebanis dedicavit, nec minus etiam ante domum regiam, quam eiecto Amphitruone exclusisque Heraclidis Lycus occupavit. Ab altera igitur scenae parte templum dei, ab altera aedes regiae repraesentantur. Sedent autem in ara dei Amphitruo et Megara, Herculis uxor, Creontis regis filia, una cum liberis Herculis, omnes fame, squalore et macie deformati. Dum enim Hercules Cerberum in lucem protracturus apud inferos abest, inter seditionem civitatis Lycus, ex Euboea reversus, regnum paternum recuperavit, qui interfecto Creonte etiam nepotes eius, Herculis eosdem liberos, cum matre cumque tutore eorum, Amphitruone, ne qui superstites sint avitae caedis ultores, neci daturus est. Qui subvenire miseris possit, nemo invenitur: nam iuvenes quidem Thebanorum Lyco favent, senes autem viribus carent. Haec ab Amphitruone exponuntur. Megara et ipsa infortunii magnitudinem ostendit dicens Amphitruonem, qui clarissimam quondam de Taphiis victoriam reportavit, et se ipsam, regis opulentissimi filiam, summi viri uxorem, ad moriendi necessitatem iam adactos esse, liberos autem Herculis (qui intus commorantur) patris desiderio flagrare et, quotiescunque fores crepent, pedem una tollere, ut ad genua reducis accidunt

supplices. Iam quum neque fugiendi facultas appareat neque in amicis ulla spes salutis relicta sit, pati fortiter quae vitari nequeant optimum factu esse statuit. Hanc Amphitruo, ut quieto sit animo nec minus liberos blandis verbis atque etiam commentis tranquillos reddat, hortatur: posse enim etiamnunc fortunae commutationem reditu Herculis effici, et sperare constanter neque temere animum despondere fortitudinis esse.

Nulla hic prologus verborum pompa, quam admirentur spectatores, nulla sententiarum gravitate, praeter finem, insignis est. Res enim ipsae, dignitas hominum et calamitatis gravitas, satis vehementer animos movent. Hoc egit poeta, ut postea caede liberorum uxorisque ab Hercule ipso facta vehementius afficeremur. Hoc consilio summo desiderio illius adventum expectari et suspensos inter spem metumque ad quemvis strepitum erigi fecit, cupientes genua illius amplecti omnemque spem salutis ponentes in eo, qui miserius, quam hostes crudelissimi, ipsos trucidaturus est.

Veniunt senes decrepiti, Amphitruonis aequales, baculis innixi, manibus vestibisque se invicem retinentes, quum corpora a lapsu vix sustineant, ad studium significantum quam auxilium ferendum aptiores: quippe somniorum instar se esse ipsi dicunt. Miseret eos senis et matris, sed maxime puerorum, Herculis os vultumque, quamvis sint in miseria, referentium, miseret vero etiam patriae, quod talibus sociis defensoribusque privetur.

Actus secundus totus consumitur contentionibus. In capitis enim iudicium vocantur Heraclidae, quae disceptatio sic instituitur, ut ad Herculis merita omnia referantur. Absens igitur hic caussam dicere et certamen inire laudis virtutisque videtur. Et primum quidem Lycus mortem pati et liberos et parentes illius aequum esse censet ideo, quod non sint tantae illius res gestae, propter quas vitae horum parcat: ultores enim caesi Creontis regnique occupati vindices relinqui stultum esse arbitratur. Nunquam igitur illum cominus, stantem in acie, cum hostibus pugnasse, sed aut sagittis, timidorum armis, feras sustulisse aut retribus cepisse, postmodo se manibus eas strangulasse men-

titum. Contra ea Amphitruo ostendit non cum belluis modo, sed cum gigantibus quoque centaurisque Herculem congressum esse ac deos ipsos in pugnis adiuvasse; tum arcum ait sagittasque multo reliquis armis praestare: etenim armatos servos esse armorum stantesque in acie sociorum ignavia ipsos una interire, neque fracta hasta habere quo corpus defendant. Contra sagittarios plurimis emissis sagittis non defici telis, quibus hostes ulciscantur, stantesque ipsos in tuto neque a fortuito proeliorum eventu pendentes, damno afficere hostes neque corpus offerre vulneribus. Indignum autem esse Herculis liberos cognatosque propter tyranni ignaviam vita privari, potius ignavos a fortibus occidi decere. Male etiam Thebanos gratiam Herculi referre, qui victis Minyis unus omnes in libertatem vindicaverit; male a Graecia liberos negligi eius viri, qui terra marique monstra atque terrores tollendo laboravit: solum enim se imbecillum senem relictum esse, ad quem illi miseri respiciant; quod si iuvenilibus valeret viribus, se accepta hasta ultra Atlanticos fines tyrannos fugaturum esse. His auditis Lycus se ait audacter dicta atrociter factis repensurum esse; tum sine mora ligna apportari iubet, quibus accensis supplices arae insidentes interficiantur. Senibus quoque Thebanorum, quod adsint hostibus, supplicia minatur. Tum vero senes, memores se ex draconis dentibus natos esse, baculis caput tyranni advenae, qui civitatem iuniorum factione distractam corruptamque oppreserit, se cruentaturos esse testantur, negantque passuros, ut fructu virtutis paternae Herculis liberi fraudentur. Quod si ad arma gestanda vires sufficerent, non dubitaturos, quin pulso tyranno patriae dignitatem decusque restituerent. Id vero committendum esse negat Megara, ut propter se liberosque suos senes gravissimi mala patiantur, neque aut Amphitruonis gloriae aut ipsius dignitati, cum sit summi viri uxor, convenire se metu fractos igneque cruciatos interfici, aut liberis Herculis cum ignominia servari. Atqui spem salutis relictam nullam esse: neque enim quemquam adhuc mortalium ab inferis redisse, neque precibus mitigari posse hominem ferum, a pudore atque verecundia alienum; atque etiamsi fuga liberorum impetrari possit, mise-

ram esse vitam patria carentium, egenorum, ab hospitum officiis pendentium. Proinde forti animo mortem esse occumbendam censet, neque necessitati frustra reluctantum. Quibus dictis motus Amphitruo, servari liberos posse desperans, tyranni arbitrio corpus permittit; hoc unum rogat, ut ante liberos ipse iuguletur: hos enim pereuntes aspiciere non sustinet. Megara autem beneficii loco rogat, ut in paternam domum liberi, unde exclusi sint, remissi funestis vestibibus ad mortem obeundam ornentur. Quo impetrato intus abit cum liberis, quos sequitur Amphitruo, magna cum indignatione iniquitatem accusans Iovis, qui et in alienum thalamum clam intravit et liberos, quos procreaverit, ipse prodat.

Inesse his orationibus quaedam, quae tempori noster dederit, facile intelligitur. Ceterum neque haec neque reliqua a rebus personisque aliena sunt. Mores autem personarum probabilissimi atque convenientissimi, tum causa ipsa tragoedia dignissima est. Misericordiam movet non solum Amphitruonis, Megarae et Heraclidarum sors, sed senum quoque, temeritate tyranni atque factionibus civitatis oppressorum, contumelia, quod genus iniuriarum per illa belli Peloponnesii tempora passim in plurimis civitatibus fiebat, ut etiam propriorum malorum recordatione homines, cum haec spectarent, moverentur. Sed ante omnia quaerendum est, quo consilio Euripides, quum Herculis furorem necemque liberis atque uxori huius manu illatam imitari voluerit, Lyci scelera, nihil ad haec pertinentia, antea ostendendo duplicem fabulae actionem pro simplici instituerit. Aiacis furori Herculis furor simillimus est: uterque enim maximis rebus gestis, cum esset servator civium et summum patriae decus, ad nefaria scelera committenda deorum iniquitate invitatus adigitur, quibus patris fructu virtutis privatus tolerare vitam vix posse videtur. Sed Hercules non pecora, sed homines, neque hos alienos, sed cognatos vitaque ipsa ei cariores, obruncat. Hos, antequam funesto fato perirent, notos esse spectatoribus, neque tantum notos, sed etiam admirationi, verecundiae, miserationi esse necesse fuit. Ac notos quidem theatro fecisset poeta, si ostendisset Herculem cum laetitia excipientes et vehe-

menter patre ex inferis reverso gaudentes. Atenim otiosos expertesque actionum producere noluit. Desiderio enim patris absentis liberos teneri, eodemque recepto gaudere, vulgaris res est neque satis digna tragoedia, nisi grave aliquod periculum accedat, quo metus et misericordia excite-
tur. Simul autem hoc discrimine efficitur, ut Herculis ipsius calamitate vehementius moveamur, trucidatis iis, quos cognovimus non solum innocentes esse, sed etiam honestissimos fortissimosque et ex discrimine capitis paullo ante ipsius opera servatos. Eisdem enim, postquam in portum ex tempestatum fluctibus pervenerunt et perfugium nacti sunt id, quod flagrantissime concupiverant, in ipso portu miserime interire et multo atrociore morte ab eo, quem lucem rebus perditis suis afferre speraverant, quam a crudelissimo hoste, affici, id vero tristissimum est multoque, quam continuo post reditum patris interfici, miserabilius. Tum Herculem quoque, antequam edita per furorem facinora describerentur, sanum ostendi, quantaque sit virtute, quantis beneficiis et patriam et gentem Graecorum et universum genus humanum affecerit, exponi necesse fuit, id quod absente illo, quam praesente, fieri potuit commodius. Simili ratione in *Odyssaea* primum mala liberorum uxorisque ostenduntur iniuriis civium domi pereuntium, patre familias peregre pericula laboresque tolerante, deinde hoc praeter spem reverso rerum, quam efficit, commutatio exponitur. Hoc interest, quod non in laetius, sed in peius deorum invidia res reverso patre commutantur, quodque, quanto Hercules omnes heroes corporis animique viribus invictoque robore praestat, quanto audaciora edendo facinora deos ipsos ad certamen provocat, tanto eius calamitates quaecunque unquam a mortalibus tolerata sunt superant. Eius autem ipsius miseriae magnitudo minus perspiceretur, nisi cum alia minore, quae antecedit, compararetur. Ad argumentum fabulae redeo.

Dum ad mortem obeundam Heraclidae ornantur, nemiam Herculi quasi defuncto cantans chorus virtutes eius carmine splendidissimo celebrat, quod legentibus manifestum fieri potest omnibus, tanto Herculis virtutem reliquorum virorum fortium laudibus praestitisse, quanto reli-

quis diis Iuppiter antecellat. Merito igitur Musa tragoediae, utpote in heroum laboribus celebrandis cum epopoeia conspirans, hoc differens, quod ipsa succumbentes, haec vincentes ostendit, Herculis potissimum insignibus, clava atque pelle leonina, ornatur. Magnum quidem est, quod leonem Nemeaeum, quod Centauros, quod cervam Oenoaeam, quod equos Diomedis, quod Cygnum, quod draconem Hesperidum, quod Amazonas, quod hydram Lernaeam, quod Geryonem vicit, quod omnes omnium terrarum terrores tollendo ultimasque gentes adeundo orbem terrarum purgavit; verum similia, etiamsi non tanta, ab aliis heroibus effecta sunt. Maius est, quod coelum, pontum atque orcum domare et ab eorum iniuriis mortales tutos praestare conatus est: coelum enim humeris suis imposuit; ponti undas, ne navigantibus nocerent, cohibuit; postremo in orcum descendit, terriculum mortalium Cerberum in lucem protracturus, quo in conatu interisse videtur. Itaque liberi quoque iam ad inferos eum subsecuturi sunt.

Redit in scenam Megara cum tribus filiis atque Amphitruone, funereo cultu ad mortem obeundam parata. Ultimam adspiciens amplectensque liberos, quanta spe deciderit, recordatur. Hercules enim antea superstites fore filios sperans, uni Argos, Eurysthei regnum, alteri Thebas, maternum regnum, tertio Oechaliam, quam ipse expugnavit, adiudicabat, nec minus clavam, pellem arcumque iis distribuebat. Ipsa autem Megara uxoribus ex potentissimis civitatibus, Athenis, Spartis Thebisque, delectis fortunam eorum firmatum iri sperabat. Iam pro sponsis *Κῆρες*, pro socero Orcus, matri autem pro balneis lacrimae obtigerunt. Multis cum lacrimis liberos osculans salutansque optat, ut vel umbra Herculis appareat: suffecturam enim eam ad pellendos hostes ignavos. Amphitruo autem Iovis auxilium implorat, deinde valere iubet senes, socios suos atque aequales, neque fovere spes lubricas, ut quas tempus frustrari soleat, sed de die in noctem securos vivere: fallacem enim fortunam esse, suo exemplo confirmari. Haec discedentium verba gravissima, rebus personisque convenientissima sunt. Quibus dictis subito redux ex Orco Hercules, tacite occulteque in urbem ingressus, conspicitur,

qui plane obstupescit suos videns funesto habitu ornatos, lacrimantes et ad genua sua suppliciter accurrentes; tum cognitis rebus edoctusque de caede affinium, de Lyci saevitia, de ingrato Thebanorum animo, vehementer iratus statim tyranni domum evertere ipsiusque caput abscissum canibus proiicere, civium autem quoscunque ingratos deprehenderit clava telisque sternere ac rivos strage cadaverum implere constituit. Cuius impetum reprimens pater monet, ne temere aut vita periclitari aut civitatem turbare velit: caussam enim seditionis inopiam esse nobilium, qui patrimonii per desidiam sumptusque immodicos dissipatis, ut rapinis divitum rem familiarem perditam restituerent, tyrannum in civitatem induxerint. Proinde prius deos penates salutare iubet et occasionem rei gerendae opperiri. Quo consilio probato, porro Hercules patri quaerenti narrat, Cerberum pugna victum et in lucem a se protractum in Hecates lucum Hermionumque civitatem portatum esse, neque minus Theseum ex orco reductum atque patriae restitutum esse; denique se mystarum apud inferos sacris ceremoniisque initiatum. Tum liberorum uxorisque, usque lacrimantium, trementium vestibisque eius inhaerentium, animos confirmat, atque sic navis instar scaphas trahentis carissima pignora in domum reducit, ubi mox eiusdem patris, quem Iovis instar Servatoris amplexi sunt, furore perituri sunt. Restituti in domum, ex qua tyrannorum iniuria eiectionis sunt, redditi laribus penatibusque, recepto patre, quem tanquam scopulum naufragi amplectuntur, securitatem nacti ex tempestate, haec omnia, quibus confidunt, perniciose habent; et Hercules, qui lux affulsit moestis perditisque, qui suis opitulari maius esse dixit quam cum leonibus hydrisque pugnare, domum servare praestantius quam orbem terrarum purgare, qui ex orco reversus nihil prius neque antiquius habuit quam suos visere, qui suorum patriaeque amore ne ab Ulysse quidem se vinci ostendit, is igitur eo ipso tempore, quo liberos, uxorem parentemque vindicare, quo ultionem contumeliarum, quibus affecti sunt, parare studet, suis manibus illos pro hostibus trucidat. Deme hunc actum ex tragoedia,

finge furorem viro sine his ambagibus immitti, liberos nullo antea periculo tentatos iugulari, et pro metu atque miseratione solum horrorem reliqueris, corrueris fabulam prudentissimo consilio inventam, everteris opus summa ingenii virtute compositum. Et queruntur homines vecordes de duabus actionibus inepte copulatis, accusant argumenti amplitudinem; turpitudinem, quin etiam immanitatem isti simplicitati inesse non intelligunt. Sed res etiam ipsae necessario inter se iunctae sunt, neque altera dramatis pars ab altera propter causae effectusque rationem divelli potest. Certe enim furoris divinitus immisi causam exstare necesse est. Quamne autem causam iustiores esse putamus, quam Herculis ad inferos descensionem victique Cerberi et in lucem protracti invidiam? Atrociam pati qui atrociam moliatur et immanibus calamitatibus prosterni qui immania facinora perpetret, aeterna deorum lex est atque voluntas. Hercules, quantum valerent vires humanae ad vincendos omnes, quoscumque terra, coelum, mare creat, terrores exemplo suo generi humano ostendere voluit: cuius audacia provocati dii imbecillitatem naturae humanae eiusdem viri calamitatibus ostendere non omiserunt. Ultimum eius idemque audacissimum facinus fuit, quod etiam mortis timorem, quo vehementissime vita mortalium perturbatur, removet et, quum vivus ad inferos descendisset, non solum ipse incolumis inde rediit, sed etiam formidinem morientium, Cerberum, captivum abduxit, quodque amicum suum ex vinculis inferorum liberatum in lucem restituit. Talia non potuit ferre impune, sed efficiendum fuit diis, ut pro ipso liberi uxorque eius, aut hostium vi aut, quod miserius est, ipsius manu trucidati, orco traderentur. Sic Herculis salus suis perniciem duplicique ratione illius audacia his funesta est: primum enim non redeunte illo per Lycum interituri sunt, reverso autem ipsius furori obvii interficiuntur.

Herculis vigore invictoque robore conspecto senes, suae imbecillitatis recordati, senectutem, onus Aetna gravius, cuius pondere caput gravetur lumenque oculorum obscuretur, abominantur, iuventutem omnibus opibus praestantiorum esse praedicant. Debuisse censent deos mor-

talium iis, qui virtute praestarent, geminam iuventutem duplexque aevum concedere, quo signo rectius boni a malis quam divitiarum possessione discernentur. Ceterum se non destituros unquam Musas cum Gratiis iucundissima societate coniungere sertisque redimitos inter pocula ad sonum lyrae celebrare Herculis virtutes. Quemadmodum autem virgines Deliacae Apollinem cantibus choreisque celebrent, sic se, quamvis sint senes, cygnorum instar canescentibus genis praedicaturos eum, qui sublatis belluarum terroribus suis aerumnis vitam mortalium tranquillam reddiderit.

Redit in scenam Lycus eodemque tempore foras Amphitruo egreditur, quo dicente Megaram cum filiis denuo ad focum penatium consedissee et virum ab inferis evocare, ille impatiens morae nulla religione nulloque deorum metu prohibitus abstracturus illos rapturusque ad supplicium in domum ingreditur, ubi repente in tela Herculis, tanquam in plagam, incidit datque poenas, inspectantibus iis, quos trucidare voluit, scelera meritissimas. De hac laetissima rerum commutatione senes prae gaudio lacrimantur simulque deorum potentiam in ulciscendis improbis manifestari laetantur. Deinde ad choros conversi paeanemque cantantes non solum cives Thebanos, sed Nymphas quoque rivorum montiumque cum Musis Heliconis, totam denique terram ad laetitiam, tripudia cantumque propter punitam tyranni violentiam, liberatam patriam receptumque regem priorem invitant. Reversum enim ex terrae penetralibus aiunt splendidisque editis virtutis documentis verum Iovis filium agnosci iustiusque tenere regnum, quam homines ignobiles, hoc ipso tempore pereuntes.

Hanc laetitiam gestientisque animi elationem repente funestissimae cladis deploratio excipit, calamitate triumphum continuo subsequente. Adducit enim Iunonis iussu Iris Lysam sive Furiam, curru insistentem, capite anguibus cincto, iubetque mentis tumultum viro clarissimo immittere, ut liberis sua manu interfectis deorum cognoscat potentiam. Invita reluctansque Furia invadit virum, qui extremas terras saevumque mare peragrans deorum honores, ab impiis everesos, restituerit. Itaque Solem prius testata, facere se

quae facere nollet, maris undis et terrae motu et fulminis vi vehementius in pectus Herculis irruit, effectura, ut liberos interficiat domumque subruat. Iamque ille quassat caput, distorquet lumina, ducit anhelitus, mugit instar tauri pugnam molientis, furias invocat Tartari; tum vehementius eum commotura Furia in aedes invehitur, Iris autem in Olympum redit. Incipiunt lamenta eiulatusque chori partim deplorantis partim significantis quae aguntur intra. Vae, flos Graeciae vastatur, vir optime meritis furore corrumpitur! Mox liberi patris manu caesi exspirabunt, interibit proles Iovis innocentissima! Tum furentis tripudia et liberorum fuga atque eiulatus et Herculis persecutio significantur. Vae grandaevo patri, vae matri altrici, quibus inspectantibus liberi trucidantur! Iam vero ille turbinis instar domum concutit vellitque columnas; prorumpit unus e servis, qui, postquam ex metu atque horrore animum collegit, rem, quomodo gesta sit, ordine exponit. Cum interfecto proiectoque Lyco domum Hercules expiaret, inter ipsa sacra repente furor mentem invasit dixitque distortis luminibus, spumante ore, vesano risu: „pater, quid lustrum domum, priusquam interfecerim Eurystheum, cum, illius capite insuper allato, una opera rem rite conficere liceat?” Deinde statim abiectis sacris arreptisque armis imitatus est speciem hominis, qui curru veheretur, ad Mycenaeas diruendas se proficisci dicens. Megaram se pervenisse putans humi recubuit epulasque se parare fluxit, Isthmi positus vestibus adversus neminem certavit, tum se ipse victorem renuntiavit, iamque confecto itinere dira Eurystheo minitabatur, quum Amphitruo manu eum contingens, „fili”, dixit, „quid pateris? numquid te neces eorum, quos occidisti, exagitant?” At ille eum, Eurysthei patrem esse ratus, repellit statimque in filios, trepidantes alium alio, tela dirigit, clamantibus matre, patre ac ministris. Alium post columnam confugientem insecutus telis transfigit, alterius ad genua accidentis clava caput perfringit; tertium mater secum in conclave abripit portasque obserat, quas ille quasi Cyclopea moenia fodit, concutit, effractisque tandem claustris uxorem et filium uno ictu transfigit. Inde cum etiam ad senis caedem ferretur, imago

quaedam divina adfuit saxumque pectori iniecit. Recubuit igitur supinus ad columnam, quae per ruinam tecti disrupta iacebat, et in somnum solutus est. Ibi statim ministri cum sene, ne quid ultra mali expergefactus patra-
ret, corpus dormientis columnae alligarunt. Tum chorus hanc caedem et Danaidum et Procnæ caede multo atrocio-
riorem esse clamat. Aperiuntur aedium fores, et conspicitur infelix medius inter interfectorum corpora stragem-
que editam dormiens, corpore columnae alligato; simul senex progreditur avis instar pullos amissos deplorantis tardo pede, ut fractus dolore. Quibus conspectis senes neque lacrimis neque lamentis temperant, quos quidem Amphitruo, ne bene soporatum oblitumque malorum expergefacerere clamoribus velint, enixe rogat: verendum enim esse, ne ruptis vinculis et civitatem et patrem perdat et tecta deiiciat. Tum aure admota somnum miseri, qui trucidavit eos, quos habuerat carissimos, examinat; volutante illo corpus, se in atrio occultat, non quo non lubenter in tantis malis lucem relinquat, sed, ne ille caede genitoris pollutus mala malis augeat, timens. Expergiscitur deinde Hercules, horrente paventeque Amphitruone, occultantibus se senibus et sortem patris perinde atque filii miserantibus.

Totus hic actus, qui catastrophem continet, mira arte structus compositusque est. Nam quum intus res gravissimae quaeque gerendae essent, tamen effectum est, ut ante ora spectatorum omnia fieri viderentur. Primum enim Lyci caedes sic comparata est, ut praeter ictum letalem paene nil spectatorum oculis subducatur. Deinde furoris ratio statim, antequam incipiat, Furiae deae praesentis sermone, tum eiusdem in domum abeuntis minis sic ostenditur, ut haec oculis non manifestius perspicere posse videantur, quam percipiuntur auribus; quam narrationem merito admiratus est dignamque esse, quam pictores imitarentur, duxit Philostratus, cuius verba transcripsit Pflugkius p. 13. Maiore etiam horrore animi occupantur, choro ex strepitu discurrentium intus, ex eiulatione morientium et clamore lamentantium, ex aedium concussione singula, quae intus geruntur, significante ac proprio pavore luctuque timorem

spectatorum animis incutiente. Nuntii vero narratio ea est, qua percepta oculorum testimonium nemo desideret: sic enim vividis coloribus res depictae sunt, ut narrata paene evidentius, quam acta, appareant. Patentibus denique aedibus atque ob oculos positis rerum effectibus, Amphitruonis sollicitudine atque trepidatione efficitur, ut ne quiescentem quidem Herculem sine pavore securi otiosique spectaremus.

Convenientissimum est naturae, quod furori subest iracundia, quodque Eurysthei liberos se trucidare putat Hercules suos interficiens. Iusta enim haec est iracundia et paene necessaria. Potuit igitur recordatio malorum ab hoc ei illatorum vel sine externis caussis hominem vehementis ingenii, in ultione inimicorum occupatum, in furorem agere. Praeterea propinquam vecordiae mentem esse eius, qui perpetrare tam ingentia audeat, quanta vel cogitare insanum esse videatur, facile intelligitur. Neque tamen noster morbum vel animi vel corporis maluit, quam iram deorum, caussam furoris fingere, neque siccus fuit adeo, ut deorum personas e fabulis suis iuberet exulare. Qui quod in Orestis dramate persona Furiarum abstinuit, non ideo hoc fecit, quod sperneret, sed quod ibi rebus agendis non potuerunt commode adhiberi. Hoc moneo propter Ariadnae, fallacissimae ducis, scriptorem, qui ne lectis quidem omnibus Euripidis fabulis amplissimi spatii librum, criminatibus huius poetae confertum, stilo exaravit, tantae levitatis opus, ut me gratiam apud ipsum initurum esse spem silentio tegendo errores, quorum iam ipsum pudere suspicor.

Deos tragici adhibent iis rebus omnibus, quarum causae latent neque possunt ostendi. Fortuita enim, i. e. causis carentia, quod sunt temeraria neque prudenti mundi administrationi conveniunt aut virtuti vel dignitati respondent, tragoedia perinde atque epopoeia a suis penatibus arceat. Temeraria, ubi immeritis adversa accidunt, foeda sunt neque miserationem movent, sed indignationem et fastidium, ubi secunda indignis, molesta neque laetitia afficiunt, sed odio atque invidia. Atqui furoris, sive est animi sive corporis morbus, latent caussae, quas quidem investigare non

est poetarum, sed medicorum, qui talia curant, officium. Quin etiam earum rerum, quarum origo eos, qui patiuntur, fugit, sive earum, quae ignaris invitisque accidunt, auctores esse dii perhibentur. Quamobrem noster deos non ad furorem tantum, sed ad amorem quoque vehementiorem animis mortalium iniiciendum in scenam induxit.

Somno solutus Hercules et liberatus furore, paullatim se colligens ex mentis perturbatione miratur se ad fractam columnam vinculis religatum inter corpora mortuorum sedere, sparsis humi sagittis iaculisque, quas gestare ipse soleat. Paullulum dubitat, an in Tartarum reciproco itinere relatus sit. Circumspiciens deinde amicum, qui mentis dubitationem solvat, Amphitruonem videt una cum choro e latebris prodeuntem. Is cunctanter propius accedit, dubitanter vincula solvit, paullatim de calamitatibus sciscitantem edocet. Cognitis iis, quae patravit, Hercules non amplius sibi vivendum, sed morte sua caedem liberorum uxorisque expiandam esse statuit: quod consilium quominus exsequatur, Thesei adventu prohibetur, quo quidem conspecto simul pudore motus, simul sanguine caedis innocentem polluere nolens, caput obvolvit, ne ab amico conspiciatur.

Thesei gratia Hercules in orco diutius commoratus est (v. 613.), quae commoratio, quum mortuus esse putaretur, occasionem attulit Lyco regni occupandi et cognatos Herculis interficiendi. Neque minus audaci facinore illum, quam Cerberum, ex inferis retraxit, ut qui temerario consilio, Proserpinam Plutoni erepturus, cum Pirithoo illuc descendisset. Aequum igitur fuit partem infortunii suscipere eum, qui partem sustineret culpa. Sic postrema cum primis bene connexa sunt, ut neque furor temere Herculi immittatur neque Theseus fortuito rebus perditis interveniat. Neque potuit furor Herculis, nisi his caussis rerumque implicationibus quasi circumvestiretur, ulli tragodiae construendae materiam praebere. Horremus, non miseramur, furibundos: vehementiore enim affectu lenior pellitur. Non igitur furor ipse, sicut ira, amor et reliquae perturbationes, animos spectatorum recte afficit, sed ea, quae subsequuntur, comparata cum iis, quae praecedunt. Utrique parti sapientissime a poeta consultum esse

vides. Nam et antequam furor bacchetur, favor et salutis studium conciliatur iis, in quos grassaturus est, et postquam saevire desiit, misericordia excitatur eius, qui furore correptus fuit. Ad cuius animum sanandum levandamque aegritudinem remedia philosophiae, non vulgaris, sed recon-
ditiore, adhibentur, ut, quemadmodum Herculis ipsius laboribus orbis terrarum terroribus purgatus est, sic hac tragoedia animi hominum peste errorum, quibus vita perturbatur, liberentur.

Theseus igitur, quum certior factus esset de Lyci iniuriis deque periculo, quod Herculi redeuntem Thebanorum seditio intentabat, sine mora, ut gratiam amico referret, Atheniensium manu coacta auxilio venit. Conspecta domus vastatione et strage puerorum atque uxoris, edoctusque ab Amphitruone de caede miseranda per furorem patrata, rogat, ut opitulandi sibi facultas fiat, non fugiens piaculi societatem. Itaque pater supplicibus precibus, genibus manibusque filii advolutus, cum lacrimis orat, ut obstinatum animum vincat apertoque vultu amicorum sermones admittat: sed frustra. Tum Theseus ipse ad preces se convertit, testans se neque piaculi neque infortunii communitatem vitare, sed velle, cum ipse in tuto sit, invicem amicum, a quo servatus et in lucem restitutus sit, adiuvari, negans ulla tenebras tantas esse, quae possint illius calamitatem abscondere, monens decere deorum iniurias forti animo tolerare, postremo velamen de capite amici ultro detrahens. Sic tandem, ut Hercules colloquendi facultatem faciat, pervincit. Negat ab ullo homine divos pollui aut contagio amicorum amicos infici, negat Herculem, qui tantos labores toleraverit, qui universum genus humanum beneficiis affecerit, quem Graecia respiciat, decere vulgaris hominis more malis frangi, denique negat sapientis esse praefracto animo, quasi nova plaga locum non sit habitura, cum diis contendere. Huius diverbii singulae sententiae gravitate cum testimoniis certant. Laudavit Longinus simpliciter idem ac sublime dictum *γέμω κακῶν δὴ κούκέτ' ἔσθ' ὅπη τεθῆ*, idemque Ovidius ex Pont. IV, 16, 51. imitatus est. Egregium etiam illud est: *αὐθαδὲς ὁ θεός, πρὸς δὲ τοὺς θεοὺς ἐγώ*. Neminem novi, qui sic, ut

Euripides, immensa sententiarum pondera tenuitate verborum sustentata obferat, praeter Goethium.

Sed Hercules, his provocatus, labores et miseras, quibus ab infantia usque ad hunc diem deorum iniquitate vexatus sit, omnes recenset. Extremam vero calamitatem talem esse dicit, ut neque Thebis sibi habitare et deorum sacra conventusque amicorum adire fas sit, neque patria profugo Argis commorari aut in aliam quampiam civitatem proficisci honestum: ubivis enim omnibus odio fore interfectorem liberorum uxorisque atque obnoxium cavillantibus. Talia pati acerbum esse insueto. Timere se, ne terra ipsa vocem mittens, ne tangat, et mare, ne traiciat, et fontes, ne hauriat, interdicanť exclususque instar Ixionis vagetur. Praestare se a nemine Graecorum, qui felicem florentemque viderint, conspici prostratum. Ergo vitam sibi inutilem esse. Tripudiet igitur Iovis uxor: perfecit enim quae voluit virum Graeciae primarium funditus evertendo. Talem deam quis adoret, quae amores coniugi invidens viros optime de Graecia meritos innocentes perdit? Contra haec Theseus ostendit ne deos quidem, si fides habenda sit poetarum fabulis, sceleribus vacare: nam et adulteria eos commisisse et regnandi cupidine vincula parentibus iniectisse, et nihilominus tenere Olympum et aequo animo tulisse peccata: quidni igitur Hercules ferat mortalis? Thebis quidem excedendum esse, Athenis vero eum non solum purgatum iri, sed etiam quibuscunque donis ipse a civibus suis propter victum Minotaurum affectus sit, et quaecunque ipsi dicata sint delubra, haec eum communia habiturum; mortuum denique statuis templisque publice honoratum iri. Nam et civitati decori esse virum bonum debito honore prosequi, et sibi iucundum amicum laborantem adiuvare. His auditis haecce respondet Hercules: Sunt haec aliena quidem a meis malis, et falluntur qui poetarum fabulis fidem habentes peccata in deorum naturam cadere arbitrantur: nam, si sunt revera dii, nihil iis deest omnibusque numeris absoluti sunt; sed consideravi mecum, ne sponte e vita decedere ignavi sit: nam qui adversam fortunam non sustinet fortiter, is ne hostium quidem tela sustinere queat. Quamobrem a morte voluntaria abstinebo,

et proficiscar tecum in civitatem tuam et dona, quae obfers, grato animo accipiam. Ceterum malorum, quae plurima maximaque perpessus sum, hoc longe immanissimum est solumque, id quod fieri posse negabam, lacrimare cogit. Inde vehementi cum dolore vir alioquin durus suos discedens salutat. Seni mandat, ut sua vice mortuos componat lugeatque ac deinde vitam forti animo toleret. Filios occisos osculatus miseratur, quod paternae gloriae honestissima hereditate spoliati mortem pro patrimonio adepti sint. Item uxori servati fidissime castissimeque coniugii pessime gratiam relatam esse conqueritur. Arma humi sparsa an rursus sumenda sint, perpetuo facinus terribimum in memoriam revocatura, dubitat. Mox eadem victoriarum praeclarissimarum monumenta esse recordatus timensque, ne nudus hostibus obiectus turpiter intreat, tollit. Tum Theseum rogat, ut Argos proficiscenti ad deducendum Cerberum comes esse velit. Postremo a civibus precatur, ut suis defunctis omnes exsequias eant neque minus hos, quam se ipsum, tanquam una prostratum, lugeant.

Huius orationis maxime miranda est ea pars, qua poetarum figmenta, tanquam indigna personis deorum, damnat Hercules idem, qui paullo ante Iunonem summae turpitudinis ipse accusavit, negatque adulteria a diis commissa esse idem, qui Iovis adulterio se prognatum eiusque adulterii invidia mala omnia a Iunone in se collocata esse testatus est, propter quam dictorum repugnantiam ego quondam illos versus a philosophis inculcatos esse arbitratus sum. Retracto sententiam, quod, etiamsi non in Herculem, tamen in Euripidem eos convenire intelligo. Eiusmodi enim consociatio rerum dictorumque inter se pugnantium ex poeseos et philosophiae coniunctione paene necessario nascebatur. Sequebatur Euripides vulgi opinionem non ideo, quod discedere ab ea periculosum sibi fore putaret, sed quia, si illam reliquisset, poesis ipsa relinquenda fuisset. A poetis enim, id quod iam Herodotus cognovit, et primitus deorum personae effictae erant et perpetuo vulgi opiniones sustentabantur, neque cuiquam poetarum respuere licuit fabulas, quas poesis ipsa procreaverat, in quibus tan-

quam in suis habitabat. Neque has damnandi ulla necessitas erat, modo non veritatem ipsam, sed involucra veritatis iis inesse intelligeretur. Licuit igitur Herculi se Iovis filium esse credere, et tamen Amphitruonem tanquam verum patrem colere, et adulteria in deorum naturam cadere negare; neque minus recte odio Iunonis in mala et labores se praecipitatum esse conquestus est, etiamsi suos cuique mores fingere fortunam constaret; denique Furiam, quae furorem immitteret, induci necesse fuit, etsi bilem atram eius morbi causam esse docerent intelligentes. Licuit etiam Phaedrae se Veneris ira pessumdari dicere, quamvis vere Hecuba arguat:

ὁ σὸς δ' ἰδὼν νιν νοῦς ἐποίηθη Κύπρις.

Quaecumque enim non prudentibus gnarisque accidunt, sed insciis atque invitis obrepunt quorumque causae ignorantur, horum deos auctores esse credit vulgus.

Inter ultimam iacentium corporum salutationem rursus in moerorem relabitur Hercules rursusque sedens in media strage lacrimansque animum despondet, sed a Theseo, qui filiorum in locum successisse ipsi videtur, rursus confirmatur. Tum amplexus patrem pollicitusque se eum postmodo Athenas deducturum, humeris Thesei brachio circumdato, eiusdemque sermonibus confirmatus, amicum omnium bonorum praestantissimum esse intelligens, e conspectu discedit, choro, quod optimo viro patria orbetur, dolente.

Respexerunt ad hoc drama Cicero Sen. c. 2. v. 632. Off. I, 33. v. 1342. Acad. II, 28, 89. v. 950 seqq., Plutarchus locis, quos Matthiaeus indicavit, v. 171. 266. 661 seqq. 1057. 1216. 1317. 1320., Philochorus apud Plut. vit. Thes. c. 35., Aristides Vol. I. p. 58 seq., Sextus Emp. I, 19. p. 47. VIII. p. 450. et 470., Athenaeus (XIV. p. 619. C.) v. 345. et v. 909., Longinus §. 40. v. 1216., Dio Chrysostomus v. 660. et 929., Clemens Alex. v. 1316., Philostratus v. 387. et 927., Asclepiades in scholiis ad Odys. scriptis λ, 269., Nicolaus Damascenus et Hyginus c. 32., qui tamen mutarunt argumenti exitum, tum Servius Aen. VII, 21. Eustathium, Pollicem et grammaticos omitto. Abusus est Lucianus versibus 517. 518. Cantare Herculem furentem amabat Nero,

teste Suet. vit. Ner. c. 21. Totum drama Seneca imitatus est, de qua imitatione et uberrime exposuit et benignissime, ne dicam ambitiose, iudicavit Lessingius. Etenim paene purgandi poetae Romani studium in iniquitatem vertit et iniuriam eius, quem ille imitatus est. Magni facit Senecae inventum exitum statim in prooemio praedictis, quo dicit duplicitatem argumenti ad simplicitatem revocatam esse. At hoc ipsum artificium ex Euripidis penu depromptum est, utentis eo, ubicunque utile erat. Non est necesse res miseris in laetas mutari, ubi augeri miseria potest et Scylla Charybdis vicina est: ergo ne occupari quidem opinionem necesse fuit. Neque vitanda fuit duplicitas, quae nulla a principio adfuit. Absentia enim patrisfamilias et reditus eiusdem, tum familia absente domino oppressa, redeunte aut liberata vincente eo aut plane pessumdata succumbente, quomodo dissecari sine vulnere potest? Contra neglexit Lessingius laudem Euripidis, quae summa est, quod finibus naturae humanae Herculem et res gestas eius felicissime circumclusit, quodque grandia sequens pompam rerum verborumque omnem vitavit. Licet igitur ad hanc fabulam transferre quod de Phaethonte eiusdem poetae Goethius praedicavit: „Wie viel liefse sich nicht über die Einfalt und Grofsheit auch dieses Stückes rühmen und sagen, da es ohne labyrinthische Exposition uns gleich zum Höchsten und Würdigsten führt und mit bedeutenden Gegensätzen auf die naturgemäfseste Weise ergötzt und belehrt!“

B. Temenides.

Τήμενος an *Τημενίδα* an *Τημενίδες* nomen tragoediae fuerit, incertum est. Nam Stobaei quidem libri fere ubique *Τημενίδων* vel *Τημενίδων*, tribus autem vel quattuor locis *Τήμενω* praebent; item Hesychius quater *Τήμενω* scripsit. Duobus tantum fragmentis nomen *Τημενίδαις*, et quidem apud Aelianum et Pollucem, adscriptum est, quod scribarum errori tribuendum esse facilius credo,

quam ut novies formam *Τημενίσων* ex *Τημενίδαις* apud Stobaeum depravatam esse mihi persuadeam. Feminarum nomen ad chorum referendum esse videtur, quem ex Temeni familia confectum fuisse conicio. Potuerunt etiam mulieres ex Temenio oriundae significari, quod erat oppidulum Argolidis terrae prope Lernam situm, munitum a Temeno, Doriensium sive Heraclidarum duce, eo tempore, quo cum Achaeis atque Tisameno, Orestis filio, bellum gerebat. Ibi castra Doriensium stativa posita erant, ex quibus proficiscentes perpetuis invasionibus hostes fatigabant; cf. Pausan. II, 38. p. 200.

Quae de Temeni liberis, imprimis de filia eius Hyrnetone, a Pausania II, 19, 1. 28, 3. et Dioscoride (Anthol. epigr. XI. n. 195. p. 375. Jacobs.) memoriae sunt prodita, ea minime quadrare in huius tragoediae reliquias satis iam intelligitur ex iis, quae Welckerus exposuit. Hoc magis fit planum adiectis iis fragmentis, quae, quum in Cresphonte locum non habeant, ad hanc tragoediam reiicienda esse ostensuri sumus, quo eodem loco Ennii imitationem non minus ad Temeni, quam ad Cresphontis fabulam pertinuisse docebimus.

Divisionem igitur Peloponnesi suspicor et caedem Cresphontis huius tragoediae materiam fuisse. Ac de divisione terrarum a Doriensibus occupatarum haec scripta reliquit Pausanias IV, 3, 3. p. 285: „Cum Temeno Dorienses Argos assignassent, Cresphontes ab iis terram sibi Messeniam depoposcit, quippe qui et ipse Aristodemi filius esset maior natu. Hic enim iam decesserat, relictis filiis Eurysthene et Procle. Theras autem, Autesionis filius, Cresphonti maxime adversabatur, Thebanus ille quidem et Polynicis abnepos, tum autem tutelam filiorum gerebat Aristodemi, quorum erat avunculus: Autesionis enim filiam duxerat Aristodemus nomine Argiam. Cresphontes autem, quum Messeniam sibi assignari magnopere cuperet, fraude composita, Temeno persuasit, ut rem sorti committeret. Itaque Temenus in situlam aqua repletam demisit Aristodemi filiorum et Cresphontis sortes, re ita constituta, ut, utra sors prior exisset, his illa portio prior contingeret. Sortem autem utramque Temenus ex argilla confecerat,

sed Aristodemi quidem liberum siccata sole, Cresphontis autem igne coctam, quo factum est, ut illa solveretur, Cresphontes autem sic sortiendo terram adipisceretur Messeniam." Eandem rem paullo immutatam Apollodorus II, 8, 4. refert: „Peloponneso potiti tres aras Iovi patrio excitarunt, in quibus sacrificantes sortiti sunt civitates. Prima autem sortitio Argos fuit, secunda Lacedaemon, tertia Messene. Illata deinde situla aqua repleta, placuit, ut in eam singuli sortes demitterent. Calculos igitur Temeno et filiis Aristodemi delicientibus, Cresphontes, quum Messenen sibi obtingere cuperet, glebam luti demisit, qua soluta, illorum sortes prius exire necesse fuit. Educta igitur prima Temeni sorte, secunda autem liberum Aristodemi, Messenam adeptus est Cresphontes." De morte Cresphontis haec idem memoriae prodidit: „Cresphontes quum breve tempus in Messena regnasset, simul cum duobus filiis interfectus est, et adeptus regnum Polyphontes, ex Herculis stirpe et ipse procreatus. Idem Meropen, occisi Cresphontis uxorem, invitam duxit, cuius opera postmodum interfectus est." His adde quae Hygin. c. 137. scripsit: „Polyphontes, Messeniae rex, Cresphontem, Aristomachi filium, quum interfecisset, ipse eius imperium et Meropen uxorem possedit." Cresphontis frater erat Polyphontes, teste Gellio VII, 3, 27., qui Euripidis ipsius carmen respexit. Itaque aegre tulisse videtur se a maiore fratre regno excludi neque pari vel praemio vel dignitate affici. Qua ductus aemulatione consilia cum Cypselo, Arcadiae rege eodemque Cresphontis socero, contulit, qui sua potissimum opera, quod ad Heraclidas a Peloponnesiis descivisset, victoriam illis partam esse gloriabatur *), iam expugnato Achaeorum imperio, nullam sui in dividenda praeda rationem haberi querebatur, nec meliore esse loco sibi videbatur quam qui vi armisque expugnati in hostium ditionem venissent. Conspirantibus igitur duobus invidis, Cresphontes cum liberis interfectus est, uxor autem eius Merope invita Polyphonti in matrimonium data. Populorum fabulas secutus est Pausanias haecce scribens: διοικούμενον δὲ αὐτὸν (Κρεσφόντην) τὰ πολλὰ ἐς

*) Pausan. I. I. Polyaeus I, 7. 8.

χάριν τοῦ δήμου μᾶλλον, οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες αὐτόν τε Κρεσφόντην ἐπαναστάντες καὶ τοὺς υἱοὺς ἀποκτείνουσι τοὺς λοιπούς. Opulenti illi vel optimates sunt Polyphontes atque Cypselus.

A Polyphonte prologum actum esse coniiicio. Enarratis rebus gestis, pauperem se relinqui, neque praeter generis nobilitatem et fortitudinem manus habere quo confideret, reliquis Heraclidis omnibus praeda ditatis, conqueritur. Se tamen negat tam patientem esse, ut aequo animo iniquitatem fratris ferat:

πολλοὶ γεγῶτες ἄνδρες οὐκ ἔχουσ' ὅπως
δείξουσιν αὐτούς, τῶν κακῶν ἔξουσία.

Ad hunc deinde Cypselus accessit, alter invidus, qui se iniuria affici et praemio auxilii fideliter praestiti spoliari quereretur. Simul duces in eo esse, ut terras expugnatas inter se sortirentur, nuntiat. Quaerit enim Cresphontes sic:
„An inter sese sortiunt urbem atque agros?”

Huc pertinet lemma Hesychii: ἀνανομήν ἀναδασμόν· ἀνανέμειν γὰρ τὸ μερίζειν· Εὐριπίδης Τημένω. Auditis deinde Cypseli querelis, Polyphontes eum hortatur, ut agendo potius quam querendo malis mederi malit:

αὐτός τί νυν δρῶν εἶτα δαίμονας κάλει·
τῷ γὰρ πονοῦντι χῶ θεὸς συλλαμβάνει.

Horum colloquio parodus chori subiungi potuit. Deinde duces prodisse et distributionem terrarum atque universae praedae in scena exhibitam esse consentaneum est. Verba faciebat Temenus, et primum quidem terrarum civitatumque singularum, quae dividendae erant, laudes exponebat:

Ἄπασα Πελοπόννησος εὐτυχεῖ πόλις

ἄλλη πρὸς ἄλλο γαῖα χρησιμωτέρα

ἔχει δὲ — — — — — Λακωνικὴ
πολλὴν μὲν ἄροτον, ἔκπονεῖν δ' οὐ ῥάδιον·
κοίλη γάρ, ὄρεσι περιδρομος τραχεῖά τε
δυσεῖςβολός τε πολεμίους — — —

Μεσσηνικὴν δὲ καλλίκαρπον — — —

κατάδόντον τε μυρίοισι νάμασι,
καὶ βουσί καὶ ποιμναισιν εὐβοτωτάτην,
οὐτ' ἐν πνοαῖσι χείματος δυσχείμερον
οὐτ' αὖ τεθρίπποις ἡλίου θερμὴν ἄγαν

ὁ τῆς τύχης παῖς κλῆρος ἐπὶ τούτῳ ταγείς *).

Sortitiones quales fuerint, his verbis ostendit Strabo: τῶν
πάλων φησίν, ὧν οἱ Ἡρακλεῖδαι περὶ τῆς χώρας ἐποίη-
σαντο, τὸν μὲν πρότερον γενέσθαι

„γαίης Λακαίνης κύριον, φαύλου χθονός,”

τὸν δὲ δεύτερον Μεσσήνης

„ἀρετὴν ἐχούσης μείζον' ἢ λόγῳ φράσαι,”

τὴν δὲ Λακωνικὴν καὶ τὴν Μεσσηνίαν ὀρίζειν αὐτοῦ φή-
σαντος

„Πάμισον εἰς θάλασσαν ἐξορμώμενον,”

οὐ συγχωρητέον. Οὐκ εὖ δὲ οὐδ' ὅτι, τῆς Μεσσηνίας
ὁμοίως ἐπιθαλαττίας οὔσης τῇ Λακωνικῇ, φησὶν αὐτὴν

„πρόσω (δὲ) ναυτίλοισιν”

εἶναι. Ἄλλ' οὐδὲ τὴν Ἥλιον εὖ διορίζει·

„πρόσω δὲ βάντι ποταμὸν Ἥλις ἢ Διὸς
γείτων κάθηται.”

His transactis Temenus et filii Aristodemi in suas quisque
terras cum exercitibus proficisci potuerunt. Interponi de-
inde chorus potuit, quo Herculis virtutes celebrabantur:

ἦλθεν δ' ἐπὶ χρυσόκερων ἔλαφον
μεγάλων ἄθλων δείμαθ' ὑποστάς,
βὰς κατ' ἐναύλους ὀρέων ἀβάτους,
ἐπὶ λειμῶνας ποιμνιά τ' ἄλση.

Tum Cypseli et Meropes colloquium sequi potuit. Stude-
bat autem ille filiam a coniugio Cresphontis abstrahere,
et, quum recusaret, etiam invitam Polyphonti in matrimo-
nium dare conabatur. Meropes quidem verba haec fuerunt:

„Iniuria abs te afficior indigna, pater:
Nam si improbum Cresphontem existi-
maveras,

Cur me huic locabas nuptiis? sin est probus,
Curtalem invitam invitum cogis relinquere?”

*) Fragm. inc. 142.

Respondit Cypselus haec :

„Nulla te indigna, o nata, afficio iniuria.
Si probus est, bene locavi; sin est im-
probus,

Te liberabo incommodis. Duxi probum,
Erravi, post cognovi et fugio cognitum.”

Idem, rogante Meropa, ut coram Cresphonti exprobraret, si quid commisisset improbi, haec dicere potuit:

„Quare accusem hunc, nequeo exputando
evolvere.

Nam si veretur, quid eum accusem, qui est
probus?

Sin inverecundum animi ingenium pos-
sidet,

Quid eum accusem, qui id parvi auditu
existimet!”

— — — — —
Nunc ego te ab summo iam detexam exor-
dio *).

Pridem Cresphontes Cypselum rupto foedere hostilia facere intellexit. Itaque armorum vi illum ad officium redigere constituit. Qua de re quum consilia cum fratre conferret, hic societatem belli abnuit duabus de caussis, primum quod bella fastidit et vi potius quam consilio imperium augere inutile esse censet, deinde quod in dividendis terris expugnatis sui nullam rationem habitam esse aegre fert:

τὸ δὲ στρατηγεῖν τοῦτ' ἐγὼ κρίνω, καλῶς
γινῶναι τὸν ἐχθρὸν ἢ μάλισθ' ἀλώσιμος.

— — — — —
ῥώμη δὲ γ' ἀμαθῆς πολλάκις τίπτει βλάβην.

— — — — —
ἄρξεις ἄρ' οὕτω; χρὴ δὲ τὸν στρατηλάτην
ὁμῶς δίκαιον ὄντα ποιμαίνειν στρατόν.

Cresphontis autem haec fuisse verba videntur:

οὐκ ἔστι κρεῖττον ἄλλο πλὴν κρατεῖν δορὶ

*) Cf. auct. rhet. ad Herenn. II, 24, 38. et II, 26, 42. Cic. Invent. I, 44, 83.

isse simulans, armatus in loco quodam sacro consedit. Prodit Cresphontes de perfidia et conspiratione inimicorum iratus. Testimonia exstant apud auct. rhet. ad Herennium *): „Item vitiosum est, quum pro certo sumitur, quasi inter omnes constet, quod etiam nunc in controversia est, hoc modo:

„*Ehodum* **), *Di, quibus est potestas motus superum atque inferum!*
Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam.”

Nam ita pro suo iure hoc exemplo usum Cresphontem Ennius induxit, quasi iam satis certis rationibus ita esse demonstrasset.” Adde Cic. Orat. III, 26, 102: „Nunquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest,

„*Nam sapiens virtuti honorem praemium, haud praedam expetit*” —

sed abiicit prorsus, ut in proximos

„*Sed quid video? ferro septus possidet sedes sacras!*”

incidat, adspiciat, admiretur, stupescat.” Eiusdem loci fuisse potest lemma Hesychii: ἄπυργος, ἀτείχιστος· Εὐριπίδης *Τηλέφω*.

Ad Herculem, communem proavum, Polyphontes provocavit, cuius se auctoritatem, ut defuncti, spernere profitetur Cresphontes:

εἰ μὲν γὰρ οἰκεῖ νεοτέρως ὑπὸ χθονὸς
ἐν τοῖσιν οὐκέτ' οὔσιν, οὐδὲν ἂν σθένει.

Cf. Plut. Consol. Apoll. p. 110. B.

Reliqua qualia fuerint, non liquet. Interfectum Cresphontem luxit Merope, consolante eam choro:

τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποισι κατθανεῖν μένει·
κακὸν δ' ἔχοντες αὐτὸ κοινὰ πάσχομεν
πάντες· τὸ γὰρ χρεῶν μείζον ἢ τὸ μὴ χρεῶν.

Respexisse ad hanc tragoediam Aristophanes in *Ranis* (v. 1376.) videtur ***). Praeter hunc Aelianus in *Hist.*

*) Adde Cic. Invent. I, 49, 91.

**) Vulgo „*Eho tu*”.

***) Cf. Welck. p. 698.

An., Polybius, Strabo, Plutarchus, Clemens Alex., Sextus Emp., grammatici et scholiastae identidem eam laudarunt. Eandem gratam apud vulgus et celebratam theatris fuisse ex Demosthenis orat. pro corona p. 180. (288.) intelligitur.

C. Cresphontes.

Argumentum huius fabulae ex ipso Euripidis carmine expressum Hyginus fab. 184. perscripsit, in hac una re ab illo decedens, quod filium Cresphontis, idem cum patre nomen gerentem, Telephontem pro Cresphonte appellavit, qua mutatione in gravissimos errores inducti sunt qui huius dramatis compositioni ex fragmentis cognoscendae operam dederunt*). Nam quum Cresphonti patri, qui pridem extinctus esse fingitur, primas actionum partes deferendas esse censerent, neque Temeni et Cresphontis fabularum reliquias ex certis indiciis dignoscere potuerunt et congesserunt in unam Cresphontis fabulam tantum materiae, quantum uno dramate contineri nullo modo potuit. Atqui planis perspicuisque verbis et nomina personarum et rationem actionum docebat epigramma Cyzicenum V.; cf. Jacobs. Paralip. e cod. Vat. p. 624. T. III, 3:

Ὁ πέμπτος ἔχει Κρεσφόντην ἀναιροῦντα Πολυφόντην τοῦ πατρὸς τὸν φονέα· ἔστι δὲ καὶ Μερόπη βάρκτρον κατέχουσα καὶ συνεργοῦσα τῷ νίῳ πρὸς τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἐκδημίαν (i. e. caedem):

Κρεσφόντου γενέτην πέφνες τὸ πάρος, Πολυφόντα,

κουριδίης ἀλόχου λέκτρα θέλων μίαναι·

ὄψ' ἔδ' οἱ πάϊς ἦκε φόνου γενετῆρος ἀμύνων

καὶ σε κατακτείνει ματρὸς ὑπὲρ Μερόπας·

τοῦνεκα καὶ δόρου πῆξε μεταφρένω, ἃ δ' ἐπαρήγει,

βριθὴν κατὰ κροτάφων βάρκτρον ἔρειδομένα.

Idem schol. ad Aristotelis Ethic. III, 1. docet: καὶ ἔστι παρ' Εὐριπίδῃ ἐν τῷ Κρεσφόντῃ ἐπιβουλεύουσα Κρεσφόν-

*) Cf. Lessing. dram. Hamb. n. 39. Welck. p. 829 seqq.

τη τῷ υἱῷ ὡς πολεμῶ δι' ἄγνοιαν. Cf. Matth. p. 121. Tetigerunt eandem materiam Apollod. II, 8. et Pausan. IV, 3. p. 286. Imitatus est et hanc tragoediam et Temenum Ennius, quarum imitationum fragmenta et ipsa a criticis confusa sunt.

Prologi materia, quem a Cresphonte actum esse necesse est, his inest Hygini verbis: „Cum qua (Merope) Polyphontes, occiso Cresphonte, regnum occupavit. Filium autem eius infantem Merope mater, quem ex Cresphonte habebat, absconse ad hospitem in Aetoliam mandavit. Hunc Polyphontes maxima cum industria quaerebat aurumque pollicebatur, si quis eum necasset. Qui postquam ad puberem aetatem venit, capit consilium, ut exsequatur patris et fratrum mortem.” Veniens igitur Cresphontes ad regiam Polyphontis de genere suo, de vitae casibus deque causa adventus exposuit. Memoria tenebat verba, quae dicens mater ipsum hospiti Aetolo educandum commendaverat:

τὸν παῖδά μοι τόνδ' ἀξίως Ἡρακλέους
ἡμῶν τε θρέψαι *).

Speculatus loca recessit adolescens, opportunitatem rei gerendae exspectaturus.

Prodiit deinde Merope territa rumore sparso filium, quem hospiti educandum tradidit, a Polyphonte quaeri, praemio proposito amplissimo, si quis interfecisset. Misit senem internuntium, qui re explorata de vita et conditione eius se certiore faceret. Talibus lamentis dum familiam concitat, parodus conficitur, cui deinceps plenior Meropes oratio subiungitur, qua causam doloris fusius mulieribus familiaribus explicat:

„*Neque terram iniicere neque cruenta
convestire corpora*

*Mihi licuit neque miserae lavere lacru-
mae salsum sanguinem.*”

„Corpora” dicit, non „corpus”: nam filii quoque duo una cum patre trucidati erant.

*) Fragm. dub. 16.

„*Ducit me uxorem liberorum sibi quaesendum gratia*”

ἐχοῖν γὰρ ἡμᾶς, σύλλογον ποιουμένους,
τὸν φύντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά,
τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

Quae sic vertit Cicero Tusc. I, 48, 115:

„*Nam nos decebat, coetus celebrantes, domum
Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanae vitae varia reputantes mala:
At qui labores morte finisset graves,
Hunc omni amicos laude et laetitia exsequi.*”

ἔπειτα παῖδας σὺν πικραῖς ἀλγηδόσι
τίκτω, τεκοῦσα δ', ἦν μὲν ἄφρονας τέκω,
στένω ματαίως εἰσορῶσα μὲν κακούς,
χορηστοὺς δ' ἀπόλεσ' *)· ἦν δὲ καὶ σεσωσμένους,
τήκω τάλαιναν καρδίαν ὀρθοῶδιά.
τί τοῦτο δὴ τὸ χορηστόν; οὐκ ἀρκεῖ μίαν
ψυχὴν πολεῦειν **) κἀπὶ τοῦδ' ἔχειν πόνους;

Recte haec huic tragoediae asseruit Welckerus: optime enim in Meropes et filii eius conditionem conveniunt.

Prodit deinde ad Meropen Polyphontes. Exprobrante ei scelera et iniurias Meropa, accusatio instituitur:

„*Audi, atque auditis hostimentum adiungito.*”

Contra Polyphontes suae securitatis caussa necem Cresphontis necessariam fuisse defendit: suae enim saluti prospicere turpe esse negat:

ἐκεῖνο γὰρ πέπονθ', ὅπερ πάντες βροτοί·
φιλῶν μάλιστ' ἐμαντὸν οὐκ αἰσχύνομαι.

„*Ego meae cum vitae parcam, letum inimico deprecor?*” ***)

*) Vulgo ἀπολέσασ'.

**) Vulgo ἀπολύειν. Correxerit Grotius, probantibus Valcken. et Musgr. Vide Matth. p. 397.

***) Vulgo deprecor.

Haec qua ratione arguerit Merope, Gellius VII, 3. ostendit: „Si non occupaverimus, opprimemur incidendumque erit in insidias, a quibus ante non caverimus, recteque hoc vitio dat Lucilius poetae Euripidae, quod, cum Polyphontes rex propterea se interfecisse fratrem diceret, quod ipse ante de nece eius consilium cepisset, Meropa, fratris uxor, hisce eum verbis eluserit:

εἰ γὰρ σ' ἔμελλεν, ὡς σὺ φήσῃ, κτείνειν πόσις,
χρῆν καὶ σὲ μέλλειν, ὡς χρόνος δῆθεν παρῆν.”

Potuerunt praeterea a Meropa haecce dici, quae in incertis fragm. n. 3. ponuntur:

συγγνώμονάς τοι τοὺς θεοὺς εἶναι δοκεῖς,
ὅταν τις ὄρκω θάνατον ἐκφυγεῖν θείῃ
ἢ δεσμὸν ἢ βίαια πολεμίων κακὰ
ἢ τοῖσιν ἀνθένταισι κοινωνῆ δόμων;
ἢ τὰρα θνητῶν εἰσιν ἀσυνετώτεροι,
εἰ τὰπεικῆ πρόσθεν ἡγοῦνται δίκης.

Hoc finito colloquio quum Meropa intro abisset, Cresphontes se Polyphonti ignoranti obtulit. Is quum, Chalcidicum se esse dicens, allatis pignoribus, Cresphontem a se interfectum esse probasset, praemium propositum sibi dari postulavit. Quibus auditis rex eum magna cum laetitia in hospitium recepit. De qua re Hyginus: „Itaque venit ad Polyphontem aurum petitum, dicens se Cresphontis interfecisse filium et Meropis Telephontem. Interim rex eum iussit in hospitio manere, ut amplius de eo perquireret.” Verba regis donum promissum offerentis haec fuisse puto (fragm. inc. 52.):

„*An aliquid, quod dono illi, moraris? Sed accipito.*”

Quae dicens in domum deduxit adolescentem, ubi hic cibo potuque recreatus paullo post corpus quieti tradidit.

Choro interposito, internuntius rediit et acta sunt illa, quae his verbis adumbravit Hyginus: „Qui cum per lassitudinem obdormisset, senex, qui inter matrem et filium in-

*) Vulgo *πεισίν*. Recte correxit Valckenarius: se ipsam enim dicit Meropa, ut quae coniugium Polyphontis pridem invita toleret.

ternuntius erat, flens ad Meropem venit, negans eum apud hospitem esse, nec comparere. Merope credens eum esse filii sui interfectorem, qui dormiebat, in Chalcidicum cum securi venit inscia, ut filium suum interficeret: quem senex cognovit, et matrem ab scelere retraxit." Exstant fragmenta, ex quibus intelligatur, quanta cum constantia animi atque tranquillitate mortem filii, in quo spes salutis omnis posita erat, mater tulerit:

τεθναῖσι παῖδες οὐκ ἔμοι μόνῃ βροτῶν,

οὐδ' ἀνδρὸς ἔστερήμεθ', ἀλλὰ μυρία

τὸν αὐτὸν ἐξήντησαν ὡς ἐγὼ βίον.

— — — καὶ δις ἔπτ' αὐτῆς τέκνα

Νιόβη *), θανόντα Λοξίου τοξεύμασιν.

— — — αἱ τύχαι δέ με,

μισθὸν λαβοῦσαι τῶν ἑμῶν τὰ φίλτατα,

σοφὴν ἔδηξαν.

Optime convenerunt sublimioris philosophiae praecepta in mulierem multorum malorum perpeessione et praemeditatione futurorum perpolitam, et perinde graviter atque utiliter haec monebantur in theatris, teste Plutarcho: ἡ δὲ Μερόπη λόγους ἀνδρώδεις προφερομένη κινεῖ τὰ θεάτρα λέγουσα τοιαῦτα. Recordata deinde Merope hospitem quendam modo a Polyphonte magna cum laetitia exceptum esse, intelligensque signa in eum omnia convenire, quibus signis filii sui interfectore esse argueretur, ad interficiendum Chalcidicum, quem putat, et ulciscendi studio (quod veterum nemo improbabat) et pietate impellitur. Sola enim lucri cupidine ductus ille eum interfecisse videbatur, nulla ipse laesus iniuria. Eo spectant verba haecce:

κέρδη τοιαῦτα χρὴ τίνα κτάσθαι βροτῶν,

ἔφ' οἷσι μέλλει μὴ ποθ' ὕστερον στένειν.

Hunc igitur, qui improbissime trucidaverat insontem, probissime leto datura est mater interfecti. Necesse autem fuit adolescentem in porticu regiae, quae esset pro vestibulo, quum corpus quieti daret, recubuisse, et quidem alto somno oppressum esse, utpote languidum ex itinere. Coram theatro enim haec acta sunt teste Plutarcho T. II, 998. E.: σκόπει

*) Vulgo Νιόβης.

δὲ καὶ τὴν ἐν τῇ τραγωδίᾳ Μερόπην ἐπὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς,
ὡς φονεῖα τοῦ υἱοῦ, πέλεκυν ἀραμένην καὶ λέγουσαν·

ὄσιωτέραν δὴ τόνδ' ἐγὼ δίδωμί σοι

πληγῆν,

ὄσον ἐν τῷ θεάτρῳ κίνημα ποιεῖ, συνεξορθιάζουσα φόβῳ καὶ δέει, μὴ φθάσῃ τὸν ἐπιλαμβανόμενον γέροντα καὶ τρώσῃ τὸ μειράκιον. Eo ipso igitur temporis momento, quo mater in caput filii securim demissura erat, senex, agnito Cresphonte, manum ferientis prensam retinuit. Haec eadem omnia ita, ut dixit Plutarchus, in vase depicta sunt, quod reddidit Millin. T. II. tab. 24. Laudavit autem hanc actionem praeter Plutarchum etiam Aristoteles Poet. c. 14, 9., quo loco, quum quattuor genera movendi timoris et miserationis posuisset, optimum horum genus esse censuit, si quis cognatum tanquam hostem ignarus ulcisci conaretur et, antequam facinus perpetraret, errorem cognosceret: κράτιστον δὲ τὸ τελευταῖον, λέγω δὲ οἶον ἐν Κρεσφόντῃ ἢ Μερόπῃ μέλλει τὸν υἱὸν ἀποκτείνειν, ἀποκτείνει δὲ οὐ, ἀλλ' ἀνεγνώρισε, καὶ ἐν Ἰφιγενείᾳ ἢ ἀδελφῇ τὸν ἀδελφόν, καὶ ἐν Ἑψιπύλῃ ὁ υἱὸς τὴν μητέρα ἐκδιδόναι μέλλων ἀνεγνώρισεν *). Pudet furoris Merope, postquam errorem cognovit, misceturque dolor laetitiae:

αἰδῶς ἐν ὀφθαλμοῖσι γίννεται, τέκνον.

Deinde statim interficiendi Polyphontis consilia ineuntur; cf. Hyginus: „Merope, postquam vidit occasionem sibi datam esse ab inimico se ulciscendi, redit cum Polyphonte in gratiam. Rex laetus cum rem divinam faceret, hospes falso simulavit se hostiam percussisse (percussurum?), eumque interfecit patriumque regnum adeptus est.” Quae antequam gerantur, Merope, quo cautius filius hostium insidias vitet, salubribus praeceptis eum, ut mulier ultra modum vulgarem sapiens, instituit; cf. Plutarch. T. II. p. 63. A.: ὄθεν ἢ μὲν τραγικῇ Μερόπῃ παραινεῖ·

φίλους δὲ τοὺς μὲν μὴ χαλῶντας ἐν λόγοις

κέκτησο. τοὺς δὲ πρὸς χάριν σὺν ἡδονῇ

τῇ σῇ πονηροὺς κλειθρον εἰργέτω στέργης.

Reverso deinde in scenam Polyphonte, Merope se in gratiam cum eo redire simulat nec velle, quamvis de priore

*) Cf. Lessing. Dramat. Hamb. n. 37.

marito interfecto doleat, extincti caussa simultatem gerere cum vivo:

„*Illae meae tam *) potes pacis potiri.*”

Inde duplici felicitate laetus ad sacra extra urbem facienda rex proficiscitur, secum ducens Cresphontem ut hospitem. Profectum Merope exsecratur (fragm. inc. 39.):

„*Cui, quod in me est, exsecrabor hoc, quod lucet, quidquid est**).*”

Intervallum temporis expleri potuit carmine illo, quo chorus pacis et concordiae desiderium declaravit:

Εἰρήνη βαθύπλουτε καὶ
καλλίστα μακάρων θεῶν,
ξήλός μοι σέθεν, ὥς χρονί-
ξεις, δέδοικα δὲ, μὴ πόνοις ***)
ὑπερβάλλῃ με γῆρας,
πρὶν σὰν χαρίεσσαν προσιδεῖν ὄραν
καὶ καλλιχόρους ἀοι-
δὰς φιλοστεφάνους τε κώ-
μους· ἴδι μοι, πότνια, πόλιν,
τὰν δ' †) ἐχθρὰν στάσιν εἶργ' ἀπ' οὔ-
κων τὰν μαινομένην τ' ἔριν,
θηκτῶ τεροπομένην σιδάρω.

Res gesta a nuntio coram Meropa exposita est:

„*Opem*

*Consivam advocant, eunt ad fontem, ni-
tidant corpora.*”

„*In terram cadentes cubiteis pinsebant
humum ††).*”

Quod epigrammate Cyziceno Merope filio hostem interficienti praesens exhibebatur, id noli ipsum ex Euripidis opere expressum fuisse opinari: mentem enim poetarum

*) Fragm. inc. 31. Tam pro tamen positum esse dicit Diomedes grammaticus.

**) Cic. N. D. II, 25, 65. Bene convenit in Meropem philosopham Lucis vel Coeli invocatio pro Iovis.

***) Vulgo δέδοικα δὲ, μὴ πρὶν πόνοις.

†) Vulgo τὰνδ'.

††) Fragm. inc. 69.

potius, quam externas rerum formas, veteres artifices imitabantur, ita ut quid scenae, quid picturis conveniret, elegantiori iudicio discernere. Itaque saepe plurimum actionum argumenta una signorum complexione exhibuerunt.

Praestanti hanc tragoediam gloria floruisse omnia testantur. Et recentiores quoque fabulam egregie inventam certatim exornarunt, quorum carminum censuram dedit Lessingius in dramat. Hamb. n. 36 — 50.

D. C e r c y o n.

Duas narrationes duarumque fabularum, Alopae et Cercyonis, argumenta in unum coniunxit Hyginus c. 187. Cercyonis autem fabulae hoc fuit argumentum: „Quem iterum equa nutriebat pastoresque inventum infantem sustulerunt, sentientes eum deorum numine educari, atque nutrierunt nomenque ei imposuerunt Hippothoum. Theseus, cum ea iter faceret a Troezene, Cercyonem interfecit. Hippothous autem ad Theseum venit regnaque avita rogavit. Cui Theseus libens dedit, cum sciret eum Neptuni filium esse, unde ipse genus ducebat *). Alopae autem corpus Neptunus in fontem commutavit, qui ex nomine Alopae est cognominatus **).” Quibus addenda sunt quae Pausan. I, 39, 3. memoriae prodidit: „Post Argivorum sepulcra Alopae monumentum est, quam ferunt, quum Hippothoontem Neptuno peperisset, eo loco a patre Cercyone interfectam esse. Cercyonem autem tradunt iniurias fecisse hospitibus, qui luctae certamen recusarent. Et palaestra locus etiam hac aetate appellatur, qui non longe a tumulo Alopae abest. Dicitur autem Cercyon omnes, qui luctae certamen inirent, sustulisse praeter Theseum, a quo arte magis quam viribus su-

*) Hesychius: Ἴπποθοώντειον τὸ τοῦ Ἴπποθοόωντος ἡρώων· ἦν δὲ υἱὸς Ποσειδῶνος. Suidas: Ἀλόπη Κερκυόνης θυγάτηρ, ἐξ ἧς καὶ Ποσειδῶνος Ἴπποθοόων ὁ τῆς Ἴπποθοωντίδος φυλῆς ἐπώνυμος.

***) Hesychius s. v. Ἀλόπη· πόλις ἐν Ἄργει καὶ κρήνη ἐν Ἐλευσίῃ, ἧτις Φιλότης ἐκαλεῖτο.

peratus est*). Palaesticam enim Theseus primus invenit et palaestritarum disciplinae auctor fuit: antea enim sola corporum magnitudine ac robore in lucta certabant.”

Duplex igitur dramatis argumentum fuisse videtur: nam et certamen Thesei caedemque regis nefarii et agnitionem Hippothoi ac restitutionem infuisse testimonia, quae transcripsimus, ostendunt. A Neptuno Hippothoum procreatum esse non potuit probari sine matris testimonio. Quamobrem Alopen e vinculis liberari (carcere enim clausa erat) necesse fuit. Id ab Hippothoo, ducente ad carcerem deo, antequam se ex illa natum esse cognosceret, factum esse conicio. Et repraesentatur anaglypho, quod Winckelmannus Monum. ined. tab. 92. divulgavit, Alope turri clausa, digito ori admoto audiens ea, quae a duobus iuvenibus laureatis (Theseo et Hippothoo) nuntiantur; adest etiam equa, quae expositum nutrit, et hinnitu salutatur mulierem, unde facile intelligas iuvenes ab hac ipsa ad carcerem, in quo Alope clausa erat, deductos esse; cf. Welck. p. 715. Luci igitur reddita mulier, quum ad Theseum adducta esset, conquesta est de iniuria et acerbè accusavit stupratorem:

*πλήσας δὲ νηδὺν οὐδ' ὄναρ κατ' εὐφρόνην
φίλοις ἔδειξεν αὐτόν.*

Praeter hoc fragmentum nonnisi unum certum servatum est, quod ex prooemio decerptum esse videtur:

*κνήματος (δὲ παρθένος) θεοσπόρου
γέμουσα**).*

Pastor, qui Hippothoum educaverat, audita Alopes narratione, eum, quem sustulisset atque educasset, huius filium esse intellexit. Nam illius quoque testimonio ad rem explicandam opus fuit. Postrema, quibus mulieris quidem mutatio, adolescentis autem honores praedicebantur, a Mi-

*) Plutarch. vit. Thes. c. 11: ἐν δὲ Ἐλενσίῳι Κερκνόνα τὸν ἐξ Ἀγαδίας καταπαλαίσας ἀνεῖλε. Diodor. IV, 59: ἀνεῖλε δὲ καὶ περὶ τὴν Ἐλενσίῳινα Κερκνόνα τὸν διαπαλαίοντα τοῖς παρισσοῦσι καὶ τὸν ἠττηθέντα διαφθείροντα. Cf. Plato Legg. VII. p. 796. A. Suidas s. v. Κερκνώων.

**) Eustath. II. ζ. p. 656 seq.: ὡς δηλοῖ καὶ Εὐρυπίδης ἐν Κερκνόῳι, οὗ τὴν θυγατέρα γέμουσαν ἔφη κνήματος θεοσπόρου, τοῦ ἐκ Ποσειδῶνος δηλαδὴ.

nerva commodius quam a Neptuno agi potuerunt; quamquam ex vasis cuiusdam imagine *) Neptunum ipsum prodisse conicere licet. Repraesentatur enim deus ephebo cuidam dextram porrigens; a tergo autem Neptuni sedentis stans femina quaedam coronam vel lineam margaritarum tradens adolescenti, qui pede sinistro insigne gerit annuli.

Hippothous, ut adolescens strenuus laudisque cupidus, iam statim, cum adveniret Theseus, ad amicitiam eius se applicasse videtur. Ex verbis, quae facta sunt ab adolescentibus amicitiam iungentibus, petitum esse videtur fragmentum, cui Carcini nomen pro Cercyonis in codd. Stobaei adscriptum est:

οὐδείς ἔπαινον ἡδοναῖς ἐκτίσασατο.

Potuerunt ibidem locum habere verba, quae de fidelis amici natura dicta servavit Plutarchus T. II. p. 94. C.:

*αὐτόν τε πράττων εὖ τίθησιν εἰς μέσον,
τοῦ δυστυχοῦς τε λαγχάνων οὐκ ἄχθεται.*

Neque a Thesei persona abhorrent ea, quae in Crameri Anecd. V. p. 253. scripta sunt:

*φύλλων λαγωὺς ἐκφοβοῦσιν οἱ κτύποι,
ἀνδρῶν δ' ἀνάνδρους αἰ σκιαὶ τῶν πραγμάτων.*

XIII.

De natura poeseos.

In imitatione poesin cum reliquis artibus, quae pulchra sequuntur, constitutam esse dicens Aristoteles, imitationis ipsius vis quanam esset, non declaravit. Caussas tamen imitandi, quae essent naturae hominum ingenerate, duas

*) De Luynes, description de quelques vases peints, Paris 1840. tab. XXI. Vario modo explicant viri docti; cf. quae Otto Iahn in ephem. litt. Hall. anni 1842. num. 87. p. 86. deseruit.

ostendit. Esse enim hominibus insitum a pueris dixit studium imitandi, et hac re homines a reliquis animalibus differre, quod essent imitandi cupidi et imitando initium facerent discendi. Alteram esse causam, quod imitamentis omnes gauderent, cuius rei signum esse quod in operibus eveniret opificum. Quae enim ipsa (vera) aegre ferremus, horum nos imagines ad veritatem expressas spectantes delectari, velut bestiarum, quas fastidiremus, formas et cadaverum. Cuius delectationis causam in studio positam esse discendi, quo non eruditi soli, sed omnes promiscue ducerentur, alii penitus ei traditi, alii leviter attingentes. Hanc enim ob rem imagines spectando nos delectari, quod spectando disceremus et quale quidque esset reputaremus, dicentes: hic est ille! Nam nisi prius vera vidissemus, non imitamento nos delectari, sed artificio aut colore aut aliis rebus. Verum cum naturae ipsi insitum esset imitandi studium simul cum concentu ac numero (metra enim manifesto partes esse numerorum), a principio qui ad hoc ipsum maxime nati fuissent paullatim provehentes poesin ex subitis conaminibus genuisse.

In discendo ipso nulla inest delectatio, neque imitamenta magis quam veras res spectando discimus. Soli ludo inest delectatio, neque discendo aliter delectamur, nisi si cum ludendo coniunctum sit, ut ludere idem sit discere. Ludo contrarium est opus. Ad hoc faciendum necessitate cogimur, ad illum ineundum voluptate invitamur. Opus faciendo aliquid efficere vel parare studemus, quod sit vel necessarium vel utile; ludo finis adventitius praeter occupationem ipsam nullus est propositus. Ludimus, ut aliquid agamus, quoniam nihil agere non possumus, nisi torpeamus somno vel lassitudine. Virium enim sensus est virium exercitatio. Exercemus quidem vires etiam operibus faciendis, sed neque eas, quibus abundamus, neque omnes, quibus praediti sumus, aequabiliter, sed eas, quibus ad rem, quae proposita est, efficiendam opus est. Unde fit, ut, cum par sit virium in opere atque in ludo contentio, illud ex continuatione habeat fatigationem, hic ex varietate delectationem. Accedente aemulaticne certamina instituuntur et spectacula eduntur ludorum, quibus non solum qui spe-

ctant delectentur, sed etiam qui certant, nisi forte, ut gladiatores, iussi coactique crudelius certant.

Ludunt etiam bestiae, ubi cibi potionisque cupidinem expleverunt, sed soli homines, quoniam ad aliorum exempla diriguntur, non coeco naturae impetu ducuntur, ludendo imitantur. Imitatio operis est ludus, unde fit, ut ludendo discamus, idque aliud agentibus atque insciis evenit, quod ipsum iucundum est. Atqui Latini etiam disciplinam, qua ad artes ingenuas pueri instituuntur, ludum appellarunt, in quo vel maxime dedita opera hoc agunt, si minus pueri, certe praeceptores, ut illi discant, ut erudiantur atque utilium rerum exercitatione instituuntur. Rectius Graeci *σχολήν*, quasi vacationem negotiorum, appellarunt, quae quidem disciplinae cum ludo communis est. Praeter enim ludendi studium alterum naturae hominum insitum est studium otiaudi, quorum studiorum ex altero poesis, ex altero philosophia ducit originem. Quemadmodum enim ludentes omnes imitantur, ita otiosi omnes meditantur, quarum rerum utrique inest praeparatio quaedam atque exercitatio. Contemplantur et rerum naturam et publicas omnes domesticasque res qui negotiis vacant, vitas inspiciunt et aliorum et suam, comparando cognata, distinguendo diversa causas rerum effectusque deprehendunt idque confabulando cum aliis communicant. Quorum meditatio non minus quam illorum imitatio subitanea est et ab insciis neque hoc agentibus, ut rerum causas investigent, instituitur. Extemporalis igitur atque fortuita non minus philosophiae quam poescos origo est. Arte demum accedente utraque excolitur, perpolitur atque perficitur. Hoc enim inter artem et naturam, inter eruditos et studiosos interest, quod illi prudentes, hi ignari finem rerum, quibus operam dant, consequuntur, quod illi voluntate et consilio res administrant, hi invitante tempore temere impelluntur. Non valet ars sine ingenio, neque ingenium sine arte; perfectissima quaeque ex intima artis naturaeque coniunctione gignuntur, cuius perfectionis signum est, si non sentitur ars et falluntur qui opera eius percipiunt, ut sponte subitoque nata esse videantur quae sunt dedita opera et cogitate quae-

sita *). Naturae igitur imitatio artium omnium, quaecunque coluntur, communis est finis: nam ratio quoque, quam philosophi sequuntur, imitatrix naturae recte appellatur, et vera rectaque esse in philosophia iudicamus quae sponte apparent, quemadmodum etiam imaginum, quas poetae exprimunt, eas probamus, quae cum natura congruunt vel sunt verisimiles.

Via autem, qua ad illam perfectionem pervenitur, duplex est, partim in usu, partim in disciplina posita. Usus est quo quid utile sit rebusque conveniat res saepius tractando ipsi cognoscimus; disciplina, qua ab aliis cognita traditaque docemur. Quorum haec difficilius percipiuntur, nisi addantur rationes et caussae, quibus cognitis, quomodo quidque se habeat et unde oriatur et quid inde eveniat, perspicitur. Philosophiae autem negotium est caussas rationesque ostendere easque ad certam normam revocatas ordinare: unde fit, ut nulla ars philosophia possit carere.

Vita quoque ipsa in morem artis excolitur ab iis, qui operam dant, ut res sibi, non se rebus subiiciant neve naturae impetu pareant imprudentes. Inde morum existit disciplina, quae, ubi opinionum errores traditi removendi sunt, auxilium desiderat philosophiae. Neutra poetis, qui quidem se perpolitos perfectosque haberi neque infra gradum eruditionis, quem saeculum occupavit, consistere volent, carere licet. Et philosophiam reliquis ingenuis artibus praestare censuit Pythagoras: ut enim in mercatu illo, qui haberetur maximo ludorum apparatu, totius Graeciae celebritate, liberalissimum esset spectare, nihil sibi acquirentem, sic in longa vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque praestare (Cic. Tusc. V, 3, 9.). His opponendum est, non minus liberalem esse ludum, quam otium, neque imitationem, quam contemplationem: a quaestus enim et lucri studio utrumque alienum esse, gloriae autem philosophos, etiamsi se spernere simulent, perinde atque poetas studere, quod stu-

*) Longinus de subl. 22: τότε γὰρ ἡ τέχνη τέλειος, ἡνίκ' ἂν φύσις εἶναι δοκῇ, ἢ δ' αὖ φύσις ἐπιτυχῆς, ὅταν λανθάνουσαν περιέχῃ τὴν τέχνην.

dium, si vitiorum numero habendum sit, hominum esse, non artis, vitium; neque ideo philosophos superiores esse poetis, quod poeseos rationem viamque cognoscant et praecepta, quasi leges, carminum componendorum proponant: invicem enim poetas sententias philosophorum et ipsorum mores vitasque imitari, unde imitationem contemplatione superiore esse concludas.

Vacatione perturbationum atque libertate animorum non minus iis, qui imitantur, quam iis, qui meditantur, opus est. Exsequias parentum suorum admodum severe puerulos saepe imitantes conspicimus, quod est signum egregiae felicitatis, qua ab aegritudine illa aetas perpetuo vacat. Iidem, nisi gravius funere affecti commotique fuissent, nunquam imitarentur. Horum felicitati (qua quidem usa esse dicitur prisca gens mortalium universa) poetarum felicitas similis est immunitate operum laborumque, vacatione aegritudinis, securitate atque tranquillitate, ut soli vere liberales, reliqui mortales operarii servique esse videantur; cf. Eurip. *Antiope* :

ἔχει λόγον καὶ τοῦτο· τῶν πολλῶν βροσιῶν
 δεῖ τοὺς μὲν εἶναι δυστυχεῖς, τοὺς δ' εὐτυχεῖς.
 οὐ χροῖ ποτ' ἄνδρα δοῦλον ὄντ' ἐλευθέρως
 γνώμας διώκειν οὐδ' ἐς ἀργίαν βλέπειν,
 τὸν δ' ὕμνοποιὸν αὐτὸς ἂν τίκτῃ μέλῃ
 χαίροντα τίκτειν· ἦν δὲ μὴ πάσῃ τὸδε,
 οὔτοι δύναται' ἂν, οἴκοθέν γ' ἀτώμενος,
 τέρπειν ἂν ἄλλους· οὐδὲ γὰρ δίκην ἔχει.
 ἐγὼ μὲν οὖν ἄδοιμι καὶ λέγοιμί τι
 σοφόν, ταράσσω μὴδὲν ὧν πόλις νοσεῖ.

Illam igitur aurei saeculi felicitatem reducunt poetae, vel potius deorum felicitatis nos faciunt participes, curantium quidem res humanas, sed ita, ut delectentur iis, non perturbentur.

Quicquid autem poetae exprimunt imaginum et quas-cunque inducunt personas, neque ex rebus hominibusque ipsis, quos imitantur, neque ex imaginibus rerum hominumque, sed ex ratione imitandi et mentibus eorum, qui imitantur, pendet delectatio. Neque enim pulcritudo, quae est causa delectationis, aut in rebus ipsis sive in veritate inest, aut in organicis imitamentis sive imaginum iis, quae

lucis vi sponte exprimuntur, sed mentibus eorum, qui imitantur, efficitur. Itaque non quid quisque imitetur, sed quomodo imitetur, quaerere solent intelligentes. Recte igitur Aristoteles negavit beneficia pictorum percipi ab iis, qui quae illi imitentur non vidissent cognoscentque antea. Non enim ad imitandi rationem, sed ad res, quae sunt imitando expressae, animos advertunt, dumque imagines veritati substituunt, communia a propriis parum discernunt. Quemadmodum autem aliud agunt artifices, qui bestiarum vulgo incognitarum formas docendi causa imitantur, aliud pictores, qui cognitarum formas delectandi causa ostendunt: ita nec historicorum et poetarum idem officium est. Interpretes quidam naturae rerum hominumque sunt poetae, quorum in carminibus quas intuemur imagines ad veritatem expressas, in iis non ipsam veritatem magis, qualem redditam in organis, quae cameras dicunt obscuras, intuemur, quam decus et pulcritudinem quaerimus, ex mentium habitu eorum, qui imitantur, redundantem. Hoc sentiens Aristoteles praestantiores, quam essent revera, ac decoras imagines exprimendas esse censuit, cuius verba T. I. p. 379 seq. interpretati sumus. Sed ne hoc quidem sufficit. Nihil enim interesset inter poetas et rerum vel vitarum scriptores, si certarum rerum certorumque hominum imagines, quamvis pulciores, expressisse illis sufficeret. Etenim Plutarchus in vitis virorum fortium scribendis idem sibi, quod imaginum pictoribus, sequendum esse censuit: „Quemadmodum enim,” inquit, „qui decoras et eximie venustas pingunt imagines, si quid insit iis levis incommodi, nolumus hoc aut plane omitti aut acriter exprimi, quoniam illa ratione deformis, hac discrepans redditur imago, sic, quum difficile sit vel potius fieri nullo modo possit, ut ullius hominis vita pura a vitiis maculisque inveniatur, in pulcris honestisque veritas tanquam oris lineamenta ad plenum reddenda est, quae autem ex perturbatione aliqua aut temporum necessitate factis obveniunt vitia fatalia, pro virtutis imbecillitate magis quam pro improbitatis fraudibus habenda sunt, neque studiose et cumulate in scribendo ostendenda, sed ita, quasi erubescamus natura humana, quod nihil pulcri sincerum illibatum-

que ingenia ad virtutem nata efferant." Non igitur faciunt quod proprium est poetarum officium qui certorum hominum certarumque rerum imagines, quamvis meliores, quam in veritate occurrunt, reddere student, sicut neque quod pictorum est faciunt qui vel homines obvios vel bestias vel terra gignentia imitando exprimunt. Neque verum est quod ait Aristoteles, praestantiores mores, quam vulgo sint, in carminibus quaeri, sed perinde et vitiosioribus et aequalibus sive vulgaribus delectamur: quid, quod ne monstra quidem et miracula, dummodo apte inventa sint, fastidimus? Neque enim eadem sunt honesta atque pulcra aut turpia atque foeda, sed delectamur turpibus rebus comoediarum, et fatigamur saepe honestis narrationum ad fingendos mores compositarum. Pulcra enim sunt quae delectant. Non igitur in imitanda veritate cernitur id, quod proprium est poetarum, sed in fingendis iis, quibus commoveantur lectores et perinde afficiantur atque affecti fuerunt illi ipsi. Fingunt quidem etiam rerum scriptores, non nostrates in testimoniis conquirendis componendisque solis occupati, sed antiqui, orationes sententiis hominum, quorum res exponunt, accommodatas his tribuendo. Qui tamen quod ex plendis iis, quae sunt memoriae prodita, operam dantes fingunt quae cum traditis testimoniis congruant, neque fictis personis rebusque tanquam signis eorum, quae sentiunt, utuntur, in poetarum provinciam neutiquam incurrunt. In vicem nostrorum poetarum multi intra terminos historiae se continent. Certorum enim hominum certarumque rerum imagines exprimere studentes nil fere, nisi quod supplendis monumentis aptum sit, fingunt, interpretes se rerum gestarum magis vitarumque hominum illustrium, quam suorum cogitatorum sensorumque, esse volentes. Contra poetae, qui vere sunt ποιηταὶ sive fictores, certis nominibus certisque personis utuntur illi quidem, sed non haerent in iis, neque horum illustrandorum causa carmina componunt, sed exprimendorum causa eorum, quae sentiunt ipsi, his tanquam formis et corporibus utuntur, quibus cogitata circumvestiant, uberrimam sui ingenii copiam in alienam personam transferentes atque uno nomine divitias undique collectas includentes. Hoc significavit Goethius

Eleonoram inducens honorem, quo eius personam Tasso ornare videretur, abnuentem:

Uns liebt er nicht — verzeih', dafs ich es sage —:
 Aus allen Sphären trägt er was er liebt
 Auf einen Namen nieder, den wir führen,
 Und sein Gefühl theilt er uns mit; wir scheinen
 Den Mann zu lieben, und wir lieben nur
 Mit ihm das Höchste, was wir lieben können.

— — — — —
 Sein Auge weilt auf dieser Erde kaum;
 Sein Ohr vernimmt den Einklang der Natur.
 Was die Geschichte reiht, das Lebengiebt,
 Sein Busen nimmt es gleich und willig auf;
 Das weit Zerstreute sammelt sein Gemüth,
 Und sein Gefühl belebt das Unbelebte;
 Oft adelt er, was uns gemein erschien,
 Und das Geschätzte wird vor ihm zu Nichts.
 In diesem eignen Zauberkreise wandelt
 Der wunderbare Mann, und zieht uns an,
 Mit ihm zu wandeln, Theil an ihm zu nehmen;
 Er scheint uns nah' zu sein, und bleibt uns fern;
 Er scheint uns anzuseh'n, und Geister mö-
 gen

An unsrer Stelle seltsam ihm erscheinen.
 Eadem haec dicenda essent omnibus, quorumcunque personas vel ex populorum fama vel ex scriptis historicorum acceptas veteres poetae carminibus exornarunt, quorum nemo unquam, ut tradita talia, qualia accepisset, redderet minime mutata, operam dedit, sed in suos quisque usus materiam ab antiquitate traditam libere convertit, hoc unum spectans, ut et res et homines iis, quae ipse sentiret, exprimendis accommodarentur. Testatur hoc etiam Aristoteles, poetas a certis moribus depingendis, certorum hominum vitis imitandis, certis temporibus locisque describendis, certorum saeculorum ingeniis exprimendis semper longissime abfuisse. Cui si fidem habemus, plane contrariam viam, atque nostri poetae, graeci ingrediebantur, a communibus ad propria descendentes, cum hi a propriis ad communia eniti, et saepe quidem frustra, conentur; cf.

Poet. 17, 3. „Debent,” inquit, „poetae, quum argumenta componunt et oratione illustrant, res quam maxime sibi ipsi ante oculos proponere: sic enim manifestissime intuentes, quasi rebus ipsis intersint gerendis, facillime inveniunt decora et minime eos fugerint contraria. Et quantum fieri potest, etiam corporis motu simul operari debent *): maxime enim fidem faciunt ab eadem natura qui animis ipsi commoventur, et perturbat qui perturbatur, exacerbat qui irascitur verissime **). Quamobrem aut ingenio valent poetae aut furore: alteri enim facile ad omnem animi motum formantur, alteri explorando decora inveniunt. Et haec argumenta et quae accepit ficta debet ipse fingens exponere communiter, tum demum proprie dicere episodiis atque extendere fabulam. Communia autem ut spectentur, sic fieri censeo, velut in Iphigeniae fabula: Virgo quaedam quum immolata esset et ex conspectu immolantium subducta, in aliam terram translata, in qua institutum erat, ut hospites immolarentur, huic sacrificio praefecta est. Tempore autem interiecto accidit, ut frater sacerdotis eodem perveniret (dei oraculum et causa veniendi extra id, quod commune appellamus, posita sunt). Quum igitur venisset, captus et ad aram adductus est, ubi, quum iam in eo esset, ut immolaretur, soror eum agnovit (sive quemadmodum Euripides sive quemadmodum Polyidus finxit, quorum hic probabiliter fecit dicentem: Ergo non soror sola, sed frater quoque destinatus fuit sacrificio); atque inde nata est salus. Itaque communibus compositis, tum demum nomina imponere atque propria personis red-

*) Comparanda sunt quae de Galba oratore Rufus apud Cic. Brut. 87. narravit: „Interim cum esset ei nuntiatum tempus esse, exisse in aedes eo colore et iis oculis, ut egisse causam, non commentatum, putares. Addebat etiam (idque ad rem pertinere putabat) scriptores illos male mulcatos exisse cum Galba, ex quo significabat illum non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse.”

**) „Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi etc.”

dere oportet. Et curandum est, ut idonei sint ac necessarii actus sive episodica, velut in Iphigeniae fabula et furor Orestis, quo factum est, ut caperetur, et lustratio, qua salus impetrata est."

Cum hac argumentorum simplicitate congeriem rerum et multitudinem personarum, quae recentiorum plerisque tragoediis insunt, componens, quam longe hi a recto aberraverint, perspicies. Velut communia fabulae Vallenstenii haecce sunt: „Rex aliquis, magis opibus quam virtute polleat, in magno rerum suarum discrimine auxilium petiit ab ingenio et virtute viri alicuius factis, quam genere, illustrioris et qui plus auctoritate posset, quam ille imperio; quod auxilium ut impetraret, nihil non fide data promisit, nullam non conditionem sua persona indignam subiit. Liberatus e periculis alio fuit animo, quam quo fuerat malis circumventus, salutem regno sibi emtam esse intelligens. Accedebat, ut ille, male fidens inconstantiae regis pridem sibi cognitae, ad prodicionem spectare crederetur. Itaque eum exuere rursus honoribus imperioque, quo ornaveratur, studuit: cui consilio quum opinio popularium et ingens rerum ab illo gestarum gloria obstaret, ad dolum et insidias confugiens non prodicionis tantum virum optime meritum accusavit, sed etiam opera usus hominis alicuius, qui privata iniuria se ab illo laesum putabat, interfecit." Haec fere omnia eadem Bellerophontis insunt rebus; sin ad felicem exitum rem adduci malimus et agnitione facta caedem prohiberi, Theseus occurrit et fabula, quam de eo Euripides composuit. Verum sine dubio recte fecit Schillerus, quod ex nostratum rebus, quam alienarum gentium, materiam petere maluit; sed non historici partes cum poetae partibus coniungere debuit, non exercitum cum duce omnibus et calonibus, quasi illuviem quandam, in scenam invehere, non totius saeculi imaginem exprimere. Avertuntur enim animi a summa re et in propriis discendis detinentur sic, ut vix in mentem scriptoris intrent vimque carminis difficilius percipiant. Quod sentiens Goethius quum fabulae, quam filiam spuriam inscripsit, materiam in similitudinem eorum, quae de sua vita comitissa quaedam Francogallica memoriae prodiderat, conformare con-

stituisset, ad tantam revocavit simplicitatem, ut etiam nominibus propriis omnibus abstinuerit. Plane eandem viam Euripides ingressus est recentes fere res ac sua memoria gestas imitando et in heroum nomina, tempora patriasque transferendo: cuius instituti luculentissima sunt exempla fabulae Telephi et Phoenicis, quarum est altera fata casusque Themistoclis pleraque, altera errorem senis cuiusdam Anagyrasii imitatus. Eam rationem, plane laudabilem, multi hodie non perspectis caussis neque poetarum et historicorum officiis satis distinctis vituperant, nimirum aegre ferentes, quod pleraque argumenta Euripides aliter, quam a prioribus accepisset, conformaverit. Qui nescio quam imprudentiam et credulitatem opinantur fuisse veterum poetarum, ut more modoque puerorum fingere se ipsi nescirent, quum bona fide accepta quae memoriae prodidisset antiquitas simpliciter cum vulgo communicarent, haud magis immutata quam fere omnes, qui se relata referre dicant, inscii invitique immutent. Quam imprudentiae opinionem quum in Euripidem minus, quam in Homerum vel Aeschylum vel Sophoclem, cadere intelligerent, novum finxerunt crimen, quod fabulas ad mentem suam sententiamque accommodando liberius immutasset: quod crimen in Sophoclem non minus quam in illum convenire facile est intellectu. Quid enim? nonne hic, ut hoc uno utar, solitudinem et vastitatem desertissimam in Lemno esse finxit, quam cellam Graecorum vinariam esse finxerat Homerus, quam cultu laetissimo florere omnes sciebant? Verum talem rerum immutationem nunquam poetis, si modo fallere se posse sperarent, religioni fuisse Aristoteles cum aliis locis plurimis tum verbis, quae supra interpretati sumus, testatur.

Rudis atque indigestae molis speciem praebent facta casusque hominum, quae in rerum veritate oculis obiiciuntur; concordiam et caussarum eventuumque, quasi consiliorum et effectuum, necessitatem animus agnoscit. Et certarum quidem rerum seriem et coniunctionem, qua aliae ex aliis necessario pendeant, historicorum est ostendere; universam rerum humanarum naturam vel administrationem talem, qualem esse mentis cogitationibus ipsi fingant, idonea rerum fictarum compositione imitari et perspicuis imaginibus experi-

mendis demonstrare poetarum est. Non minus igitur poetae, quam philosophi, ex turbis et erroribus, quos rerum obscurarum multisque modis impeditarum atque implicatarum species omnibus obiicit, liberatos in editiore quodam loco nos constituunt, unde tanquam ex specula et rerum concursus et pugnantium conflictationes et origines eventusque omnes securi, vacui timore, aegritudine, labore, perturbatione eorum, qui in illis certaminibus versantur, contemur. Iovis igitur Homerici similes, proelia et labores mortalium ex Ida spectantis, rerum humanarum imaginem intuentes delectamur. Cuius fructus percipiendi causa perspicua ac dilucida esse debent quaecunque poetae imitantur, neque quicquam relinqui occulti, absconditi, obscuri. Tum suus cuique rei honor suusque locus, qui fugit eos, qui, in media rerum implicatione versantes, turba obruuntur, restituendus est deprimendis quae supra dignitatem suam efferuntur, obscurandis quae falso splendore oculos obstringunt, amplificandis augendisque quae iacent contempta, novitatis quadam gratia ornando vetusta atque obsoleta, admirationem minuendo novorum, denique consensum, pacem et concordiam conciliando eorum, quae inter se pugnantia atque discrepantia temere miscentur ac turbulente confunduntur.

„Wodurch bewegt er alle Herzen?

Wodurch besiegt er jedes Element?

Ist es der Einklang nicht, der aus dem Busen dringt

Und in sein Herz die Welt zurückeschlingt?

Wenn die Natur des Fadens ewige Länge,

Gleichgültig drehend, auf die Spindel zwingt;

Wenn aller Wesen unharmonische Menge

Verdrießlich durch einander klingt:

Wer theilt die fließend immer gleiche Reihe

Belebend ab, daß sie sich rhythmisch regt?

Wer ruft das Einzelne zur allgemeinen Weihe,

Wo es in herrlichen Accorden schlägt?

Wer läßt den Sturm zu Leidenschaften wüthen,

Das Abendroth im ernsten Sinne glüh'n?

Wer schüttelt alle schönen Frühlingsblüthen

Auf der Geliebten Pfade hin?

Wer flicht die unbedeutend grünen Blätter
 Zum Ehrenkranz Verdiensten jeder Art?
 Wer sichert den Olymp, vereinet Götter?
 Des Menschen Kraft, im Dichter offenbart."

Dissipata et discordantia sunt *priva* vel *propria*; eadem ad *communia* revocata non solum conciliantur inter se, sed etiam vim nanciscuntur movendi. *Propria* dicimus quae sunt certorum hominum, temporum locorumque; *communia* eadem infinita appellamus et a singularibus hominibus rebusque abstracta, quod in quemvis hominem cadunt et in quamvis temporum locorumque naturam. *Propria* possidentur, *communia* autem cogitantur: itaque in illorum usu posita est utilitas, in horum perceptione cognitio. Quae cuique *propria* sunt, haec ei et gaudii et doloris et spei et metus et omnium perturbationum caussa sunt; alieni iisdem nequaquam moventur, nisi quatenus ad se quoque pertinere intelligunt. *Communibus* autem neque dolemus neque gaudemus neque ullo modo perturbamur, sed delectamur. Quaecumque enim *propriis* insunt incongrua atque incommoda, ad *communia* relata, inter se conciliantur, unde fit, ut animadverso rerum concentu delectemur iis ipsis, in quibus antea offendebamur, utque metu ac miseratione affecti, tamen percipiamus voluptatem. Etenim illa miseratione, qua *communia* mala, i. e. quae cogitatione finguntur, afficiunt, longe discrepat a societate doloris, in quam vera aliorum mala intuentes pietate adducimur. Itaque ne uno quidem nomine utraque appellari debuit, et distinguunt nostrates, alteram *Rührung*, alteram *Mitleid* recte nominantes. Neque simpliciter miserationem Aristoteles illum animi affectum appellavit, quin metum quendam adiunctum esse diceret. Metuimus autem non praesentia, sed futura: ergo non quae sensibus obiecta sunt, sed quae opinamur vel fingimus cogitatione. Imaginaria enim mala in scena intuentes eaque naturae humanae *communia* esse intelligentes, nos pro se quisque in locum eius, quem patientem spectamus, substituimus, ultro fingentes quae ad ficta poetarum respondeant. Sic recte Lessingius metum, quem dicit Aristoteles, non ad mala, quae scenicis personis impendeant, referri, sed ad ea, quae sibi quisque impen-

dere propter naturae communitatem opinetur, interpretatus est. Hoc autem modo qui carminibus afficiuntur, recte afficiuntur et patiuntur id, quod efficere summum poetarum officium est.

Inveniuntur autem homines brutorum instar animalium stupidi, qui in propriis haerent adeo, ut ad communium perceptionem vix unquam emergant. Hi igitur quum malis, quae imitantur poetae, tanquam veris et propriis afficiantur, horrent tragoedias et aversantur, impatientes scilicet doloris, quem poetis invitis inde percipiunt; iidem, ubi laetae res repraesentantur, ad libidines, protervitatem et lasciviam se invitari arbitrantur. Simiae cuidam hos similes esse, qui pictos scarabaeos ex tabulis erosos devorant, dicit Goethius in colloquio de veris et verisimilibus operum artis scripto. Sunt item alii paullo eruditiores, qui, quum artis opera fictamque imitationem a veritate rerum et fide historicorum parum discernant, non quomodo, sed quid repraesentetur, respiciunt et partim amant partim oderunt quae poetae effinxerunt facta moresque, partibus operum inhaerentes, quorum ad universam vim finemque cognoscendum non assurgant. Hi longe absunt ab illa, quam Aristoteles dixit, purgatione perturbationum, quae ex contemplanda communi rerum humanarum natura redundat, et perturbantur ipsi, dum studio iraeque in percipiendis artis operibus indulgent. Materia igitur magis quam compositione carminum eos teneri (ein stoffliches Interesse haben) idem dixit Goethius, et artis opera a naturae operibus parum distinguere, passeribus similes, qui ad uvas a Zeuxide pictas advolaverint. „Perfecta,” inquit, „artis opera, quatenus quidem ex hominum ingeniis emanarunt, naturae esse opera videri possunt; eadem in unum coniungendo res dissipatas et vim dignitatemque suam vilioribus restituendo naturae opera superant. Et volunt illa se mentibus bene temperatis et quasi ad numeros compositis percipi, quae perfectissima quaeque et omnibus numeris suis absolutissima naturae suae convenire sentiant. Haec ut ineruditorum captum fugiunt, qui venalium numero rerum ipsa quoque artis opera habent, ita intelligentes, cum rebus moribusque ad veritatem expres-

sis delectentur, tum ad acute inventa, ingeniose delecta, eleganter composita, ad remotam a vulgaribus rebus naturam commenticiarum animos advertunt; sentiunt sibi, ut fruantur fictis, in mentem eius, qui finxerit, intrandum, animum a multiplici rerum occupatione expediendum esse, ut versando cum illis operibus et frequenter intuendo ad similem ipsorum natura praestantiam evehatur.”

De intelligentium iudicio haec ita disseruit Goethius; sed perfecta artis opera non ab iis solis, qui intelligunt, sed a multitudine quoque percipi necesse est; neque equidem dubitaverim quae de eloquentiae vi Cicero in *Bruti* c. 49. et 50. egregie disseruit ad poeseos vim paucis mutatis transferre: Necesse est eum, qui ita scribat, ut a multitudine probetur, eundem doctis probari. Nam quid in carminibus rectum sit aut pravum, ego iudicabo, si modo is sum, qui id possim aut sciam iudicare; qualis vero sit poeta, ex eo, quod is carminibus effecerit, poterit intelligi. Efficiendum autem est, ut qui vel legunt vel spectant fabulas afficiantur ita, ut poeta velit, ne in partibus operis aut imaginibus priorum plus, quam decet, haereant, ut ad summam rem sentiendam percipiendamque inscii perducantur, ut denique probare quae poeta probat, spernere quae idem spernit, etiam inviti cogantur. Id quibus virtutibus poetae efficiatur, artifex aliquis iudicabit; efficiatur autem a poeta necne, ut ii, qui spectant, ita afficiantur, ut poeta velit, ex vulgi sentiis ad poetae mentem conformatis iudicandum est. Eam autem vim nemini poetarum maiorem, quam Euripidi, infuisse Aristophanes ipse omnibus locis testatur. Quare tibicen Antigenidas dixerit discipulo sane frigenti ad populum: *Mihi cane et Musis*, prudens aestimator Euripidi fabulas docenti: *Mihi doce et populo*, dixisset, ut qui spectarent, quid efficeretur, ille etiam, cur id efficeretur, intelligeret.

Efficitur autem, ut qui spectant fabulas ea ratione, qua volunt poetae, iis afficiantur, rebus apte componendis, ut aliae aliis vel augeantur vel deprimantur et splendeant ea capiantque animos, quae splendere vult poeta, abiiciantur quae idem arguit obscuratque. Concordem igitur, congruam simplicemque oportet esse compositionem, atque

eam, in qua nihil desideretur, nihil abundet. Suis culque parti finis modusque, quem iubet universi operis ratio, constituendus est, neque propriis aut fortuitis describendis plus, quam digna sunt decetque, tribuendum. Ficta igitur an vera, praestantiora an vitiosiora, divina an vulgaria introducantur, dummodo consilio poetarum respondeant et apte haereant, nil refert.

Hoc loco non alienum videtur Aristotelis quaedam verba vulgo male intellecta diligentius considerare, ut, quid ille de hac re censuerit, intelligatur. Haecce enim in Poet. c. 9. §. 10. scripsit: *τοιαῦται δὲ (sc. ἐπεισοδιώδεις μῦθοι καὶ πράξεις) ποιοῦνται ὑπὸ μὲν τῶν φαύλων ποιητῶν δι' αὐτούς, ὑπὸ δὲ τῶν ἀγαθῶν διὰ τοὺς ὑποκριτάς· ἀγωνίσματα γὰρ ποιοῦντες καὶ παρὰ τὴν δύναμιν παρατείναντες μῦθον, πολλάκις διαστρέφειν ἀναγκάζονται τὸ ἐφεξῆς. Ἐπεισόδιον, Auftritt, Graeci appellabant quem nos Aufzug sive actum, partem tragoediae integram inter bina chori carmina interpositam: quae partes exponendis caussis personarum et aperiendis sententiis atque moribus magis quam maturando eventui inserviebant: nam in impediendis quidem rebus prologi maxime versabantur. Habent igitur medii illi actus caussarum dictiones sive accusationes defensionisque cum altercationibus, nuntiorum relationes, hospitem adventus, deliberationes, insidias, conatus et alias eiusmodi commorationes, quibus decursus rerum consulto inhibetur: unde fit, ut ἐπεισοδιοῦν idem sit quod παρατείνειν sive ducere atque extendere (Aristot. Poet. 17, 3.). In his ipsis autem episodiis inveniendis perpoliendisque summa poetarum ars conspiciebatur, quandoquidem in illis potissimum positum erat, ut privati iuris fieret publica materies et proprie dicerentur communia, unde Aristoteles nominum personis imponendorum munus cum episodiorum elaborandorum studio voluit consociari: μετὰ ταῦτα δὲ ἤδη ὑποθέντα τὰ ὀνόματα ἐπεισοδιοῦν, 17, 4., quo loco nomini ἐπεισοδιοῦν eandem vim esse, quae voci individualisiren a recentioribus tribuatur, manifestum est. Sed in hoc genere modestius tragicis, quam epicis, versandum esse facile intelligitur, et cognovit Goethius, quum his retro spectantes vel retardantes dixit, illis pro-*

moventes rerum causas convenire. Idem Aristoteles monuit: ἐν μὲν οὖν τοῖς δράμασι τὰ ἐπεισόδια σύντομα, ἢ δὲ ἐποποιία τούτοις μηκύνεται. Episodia igitur Odysseae partes ait omnes esse praeter eas, in quibus Ulysses undis iactatus veniat et a paucis cognitus procos adoriatur interfectisque hostibus ipse servetur: τὸ μὲν οὖν ἴδιον τοῦτο, τὰ δ' ἄλλα ἐπεισόδια. Hac ratione argumentum Odysseae universum unius tragoediae finibus commode includitur; et composuit Euripides plures similis argumenti tragoedias, velut Peleum, Oeneum, Peliades. Tragoediam dicit Aristoteles, si velit multis uti episodiis, varietatem tum scenae angustia tum actorum paucitate auferentibus, celeriter satietatem afferre atque explodi (τὸ ὅμοιον ταχὺ πληροῦν ἐκπίπτειν ποιεῖ τὰς τραγωδίας, 24, 4.). Id apud nos aliter fieri, et ex meris saepe episodiis constantes tragoedias gratiam crebris scenae mutationibus inire, notum est.

Ex his, quinam sint ἐπεισοδιώδεις πράξεις καὶ μῦθοι, aestimare licet. Agendis rebus magis, quam describendis, factisque potius, quam moribus sentiisque illustrandis, tragoediam destinatam esse censens Aristoteles, partes, quae his tribuerentur, minoris esse momenti arbitrabatur; et probabat, si rebus convenire et necessaria esse (οἰκειᾶ, 17, 4.) appareret, damnabat, si serpentibus aves, tigris agnos geminari videret:

„Denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum.”

Hoc modo mali poetae eorum gratia, in quibus imitandis se putant praestare, (δι' αὐτούς) plerumque peccant; boni contra actorum causa rerum compositionem amplificare solent, ut habeant, in quo agendo nervos virtutemque ostendant.

Operae est cum his Aristotelis ea, quae de eadem re Schillerus in epistola ad Goethium scripta 488^{ma} disseruit, componere: „Personas induco multa disserentes ac sententias fusius explicantes. Et paucioribus quidem orationibus argumenta explicari posse certum est; idque rebus gerendis convenire melius videtur. Sed veterum auctoritas eadem utentium ratione parumque mores et sententias, quas dicit Aristoteles, restringentium videtur altiore quandam legem, qua recedere a veritate iubea-

mur, significare. Quod si meminerimus, signa dumtaxat verorum hominum personas esse scenicas et, quoniam sint species fictae, communi hominum naturae exprimendae imitandaeque destinari, si reputemus licere poetis artificibusque a veritate rite, non dissimulantibus, recedere, non est quod illum usum abiiciamus. Alioquin adstrictior compositio, quasi infantia, non modo nimis ieiuna inopsque esset, sed etiam sicca supra modum, in acrioribus vero causis plane intoleranda, cum ex copiosiore compositione tranquillitas quaedam et humanitas etiam in atrocissimis rebus nascatur.”

Propria diximus sic poetis imitanda esse, ut in iis communia ostenderentur. Mentis enim suae cogitationes poetae non minus, quam philosophi, aperiunt; hoc interest, quod hi rationem reddendo vel disserendo cogitata exponunt, illi veritati similia effingendo per imagines significant. Itaque alteri communia abstracta a corporibus sive propriis ostendunt, alteri temporibus locisque accommodata et certorum hominum moribus infixata atque infusa. Hoc igitur spectandum est poetis, ut propria vim naturamque adipiscantur communium, id est, ut perfectas consummatasque rerum species exprimant, non vulgares atque fortuitas. Perfecta enim appellamus quae propria vim complectuntur communium sive quae generis naturam referunt singularia: quod fit non meliores praestantioresque, sed liberatas a fortuitis vel adventitiis, ditatasque necessariis et generalibus res hominesque effingendo. In communibus autem exponendis perspicuitas, in propriis temperandis simplicitas carminum posita est. Quamobrem, quantum utrique operum parti tribuendum sit, quatenus poetis et in describendis propriis progredi et suas sententias in personas imaginarias transferre liceat, ex totius operis ratione et argumenti conformatione aestimandum est. Evertitur simplicitas, si quis imitandi causa ea, quibus imitandis ipse aptissimus est, non ea, quibus opus est, imitetur:

„Inceptis gravibus plerumque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Adsuitur pannus, cum lucus et ara Dianae

*Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cu-
pressum*

*Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit
Institui: currente rota cur urceus exit?"*

Idem de propriis describendis dictum esse puta, quo in genere frequentissime a nostris poetis peccatur, adeo ut totas hominum vitas non in romanensibus tantum fabulis, quod genus scribendi medium quendam inter historiam et poesin locum obtinet, sed in scenicis quoque imitari soleant. Quidquid vel privatim vel publice geritur rerum, etiamsi ab uno maxime efficiatur, tamen non ad unum pertinet; aequa autem ex parte et qui patiuntur et qui faciunt studium curamque scriptoris desiderant; et quantum cuiusque personae ad rem gerendam momentum est, tantum explicandis eius moribus sententiisque tribuendum. Non igitur circa unum hominem, sed circa unam rem versandum, et simplicitas non personarum quas dicunt principalium, sed rerum inter se caussis effectibusque iunctarum efficienda est. Porro in his aperiendis priva vel propria conformanda sic sunt, ut communis rerum humanarum natura sive, quod idem est, deorum illas administrantium vis appareat. Nam deorum simul vim potentiamque poetae, hominum fata factaque imitantes, ostendunt. Quanto autem in privis propriisque hominum studiosius immorantur describendis, tanto minus tribuunt rerum momenti, magisque priva vacuefacta communibus imitantur. Atqui propria communibus aucta, communia propriis circumscripta, quasi corporum animarumque coniunctio, itemque deorum hominumque inter se conflictantium momenta et ipso conflictu conciliata efficiunt illa, quae consummata atque perfecta appellamus. Huiusmodi autem conflictatione et conciliatione si simplicitas implicationum et solutionum (quae eadem argumentorum simplicitas est) efficitur, planum est eam simplicitatem constare non posse, ubi universae hominum vitae describantur. Atque etiamsi possint praecipui unius vitae casus, iuncti caussarum continuatione,

singulis carminibus ostendi, tamen aut amplior existet carminum ambitus, quam quos animus facile contueri ac lustrare possit, aut, si modico erunt circuitu, varietate et vicissitudine nimis distincta dissipabuntur*). Sed nos a vera ratione adeo descivimus, ut, quum philosophiae nunquam privorum esse hominum res gerendas statuamus, poesin, sororem eius consanguineam, singulorum personis semper adstringendam esse censeamus, utque offendamur in Sophoclis ultra obitum personae principalis fabula extensa, Euripidem vero plurium personarum principalium fata coniungentem simplicitate argumentorum carere arguamus. De qua veterum poetarum ratione infra disserendi opportunitas redibit. Hoc quidem loco in partes Aristotelem voco verissima docentem (Poet. c. 8.): „Fabula una est non, quemadmodum nonnulli opinantur, si circa unum versetur. Multa enim et infinita singulis contingunt**), quorum plerisque nulla inest simplicitas; item facta singulorum multiplicia sunt, ex quibus unum factum nullum conficiatur. Quapropter errare videntur quicumque poetarum Heracleidas et Theseidas et alia eiusmodi carmina confecerunt. Opinantur enim, quod unus fuerit Hercules, unum etiam necessario argumentum fore. Homerus autem sicut in reliquis excellit, ita hoc quoque recte intellexisse videtur sive arte sive natura. Odysseam enim componens non omnia, quaecumque ei contigerunt, composuit, velut quod ictus est in Parnasso, quod insaniam simulavit in delectu, quorum, facto altero, alterum fieri non erat necesse aut consentaneum; sed circa unam rem vel actionem, qualem dicimus, Odysseam fecit occupari, itemque Iliadem. Oportet igitur, quemadmodum etiam in reliquis artibus imitatricibus simplex est singularum rerum imitatio, ita etiam fabulam, quoniam rerum est imitatio, simplicis esse et quidem totius, et partes quasi membra rerum sic componi, ut mutata earum aliqua vel demta evertatur turbeturque corpus univer-

*) Aristot. Poet. c. 23: *λίαν γὰρ ἂν μέγας καὶ οὐκ εὐσύννοπος ἔμελλεν ἕσεσθαι, ἢ τῷ μεγέθει μετριάζων, καταπεπλεγμένος τῇ ποικιλίᾳ.*

**) Scribo *πολλὰ γὰρ καὶ ἄπειρα τῷ γ' ἐνὶ συμβαίνει pro τῷ γένει.*

sum: nam quae pars sive addita sive demta nil facit momenti, ne pars quidem corporis universi habenda est. Manifestum iam ex his, quae disseruimus, est, non res vere gestas exponere poetarum officium esse, sed quae geri potuerint et probabilia sint aut similitudine veri aut necessitate. Hoc enim poeta ab historico differt, non eo, quod numeris metrisque alter utitur, alter caret. Possis enim etiam Herodoti scripta numeris includere, neque tamen minus historiam feceris metris redditam quam metris carentem. Sed hoc differunt, quod alteri quae gesta sunt dicunt, alteri quae geri potuerint. Quamobrem etiam magis cum philosophia conspirat et gravior sublimiorque est poesis, quam historia. Poesis enim magis communia, historia autem propria dicit." Reliqua vide T. I. p. 376. et adde quae idem c. 23. scripsit.

Haec praefatus sum fabulam *Supplicum* explicaturus, in qua componenda plus aequo philosophiae tribuit Euripides, ut parum dissimulato docendi studio orationes personis minus necessarias minusque caussis convenientes tribuerit, quo partium tumore detrimentum affertur universi operis simplicitati et pulcritudini. In hoc vitium necessario incidunt poetae, si certam rem efficere studentes utilia venustis anteponunt. Neque enim inscitia noster neque inopia peccavit, ut ii, quos dixit Horatius ea, quae scirent, pro iis, quae res postularet, imitari, sed caritate patriae ac studio utilium in tempore necessario monendorum, ut quidquid arti detrahitur accedat laudi pietatis. Haec igitur temporum conditio quaenam fuerit, porro nobis exponendum est. Una autem *Andromachae* fabulam exhibitam esse et iisdem rerum caussis inniti coniecimus.

Quum Spartani neglectis quibusdam sociorum commodis pacem cum Atheniensibus inissent, quae Niciae pax ab eo, qui conciliavit, appellata est, plures Peloponnesi civitates, odio Lacedaemoniorum moti, suadentibus Corinthiis, ad Argivos se applicarunt, quorum integrae erant vires, quod neque bellum hi cum ceteris susceperant, et magna illo tempore spes erat fore ut in pristinum locum potentiae auctoritatisque restituti, quem obtinuerant, priusquam ab Heraclidis vinceren-

tur, principatum inter Peloponnesios rursus adipiscerentur. Odio enim invidiaeque erant Lacedaemonii cunctis, et propter clades acceptas etiam contemnebantur. Plerisque autem civitatum Peloponnesi iam ad foedus et societatem Argivorum traductis, operam dabant Corinthii, ut Thebanos quoque cum illis conciliarent, qui tamen, quod ipsi optimatibus parebant, Argivi autem populari imperio utebantur, horum societatem abnuebant. Mox Spartanorum quidam ephori, paci, cuius auctor Nicias et priores ephori fuerant, adversarii, cum Boeotorum Corinthiorumque legatis egerunt, ut Argivos simul cum Boeotis in amicitiam Lacedaemoniorum reducerent. Ea res aliter cessit, atque speraverant, ut, repudiatis Corinthiis Argivisque, Thebani cum Spartanis societatem renovarent, quo facto hi violati foederis merito ab Atheniensibus accusabantur. Nondum enim traditis urbibus, quas integras Atheniensibus tradere lege foederis iuebantur, imprimis Panacto, Boeotiae civitate, separatim societatem cum Thebanis inierant, quum communes cum Atheniensibus socios omnes se habituros esse polliciti essent. Audiamus Thucydidem de hac re pluribus exponentem V, 35. et 39: „Post haec Lacedaemonii (nam habebantur inter ipsos atque Athenienses assidua de reddendis iis, quae invicem tenebant, colloquia) sperantes, si Panactum Athenienses a Boeotis recepissent, fore ut ipsi reciperent Pylum, adierunt per legatos Boeotos rogaruntque, ut sibi Panactum et qui in vinculis essent Atheniensium traderent, ut pro his ipsi Pylum reciperent. Boeoti autem negabant se reddituros, nisi secum, quemadmodum cum Atheniensibus, societatem separatim inissent. Lacedaemonii autem, quamvis se scirent iniuriam facturos Atheniensibus, pacti, ut alteri sine alteris neque foedus inirent neque bellum, cupidi Panacti recipiendi et pro eo Pylum recuperandi, quum praesertim qui studebant turbare foedera propensiores in Boeotos essent, societatem fecerunt, hieme iam extrema ineunteque vere. Et Panactum statim excisum est, et undecimus belli annus exiit.” His adde quae idem c. 42. scripsit: „Haec cum dicerentur, graviter tulerunt Athenienses iniuriamque sibi fieri pu-

tarunt a Lacedaemoniis, tum Panacto exciso, quod integrum tradi oportuit, tum quod audiebant illos cum Boeotis societatem iunxisse, quum antea se communiter adacturos ad confoederationem eos, qui recusarent, polliciti essent. Haec atque alia considerantes, quae ex pacto servata non essent, deceptos se esse existimabant, adeo ut cum aspero responso legatos Spartanorum dimitterent. Quum esset huiusmodi dissidium Atheniensium atque Spartanorum, statim ii, qui Athenis soluta foedera cupiebant, huic rei efficiendae operam dederunt, cum alii, tum Alcibiades, Cliniae filius, vir aetate quidem, ut quis in alia civitate, etiam tum minor, dignitate autem maiorum commendatus: cui satius videbatur ad Argivos potius, quam ad Lacedaemonios, se applicare, ceterum etiam ambitione foederibus infestus erat, quae per Niciam et Lachetem, contempta ipsius adolescentia, Lacedaemonii fecissent, neglectoque vetusti iure hospitii, quod ab avo repudiatum ipse renovare studuerat officiis, quibus captivos ex Pylo prosecutus erat. Quamobrem undique sibi de iure suo detractum esse arbitrans, et ab initio Lacedaemoniis adversatus est dicendo illos infirmos esse et ea causa foedera cum Atheniensibus percussisse, ut per haec ab iis Argivos abducerent rursusque Athenienses desolatos adorirentur, et tum, cum discordia exstitisset, sine mora ad Argivos privatim misit, iubens illos quam celerime ad societatem provocatos venire una cum Mantineis et Eleis: opportunum enim tempus incidisse seque, ut fieret foedus, annisurum. Quo nuntio accepto Argivi, omissis suis legatis, qui cum Lacedaemoniis de foedere ineundo agebant, ad Athenienses mentem adverterunt, reputantes civitatem et pridem sibi amicam fuisse et populari imperio regi, quemadmodum ipsos, et navibus plurimum valere, et magno sibi, si bellum moveretur, praesidio fore." Haec cum parari cognovissent Spartani, legatos miserunt, qui populo Atheniensium satisfacerent: quo tempore insigni Alcibiadis fraude effectum esse, ut alia apud senatum, alia apud populum profitentes Spartani bilingues fraudulentique esse viderentur, affirmat Thucydides, qui ne obtrectatorum calumniis fidem, quam non debebat, habuerit, vehementer

vereor. Nam verba dare Spartanos, quam revera satisfacere, maluisse eventus docuit. Nam quum Nicia Spartam profecto, ut remotis discordiae caussis amicitiam restitueret, illi ea, quae ab legatis eorum in concione Atheniensium dicta erant, factis confirmarunt neque ulla re foederis legibus satisfecerunt. Itaque quum Nicias infecta re Athenas redisset, etiam magis indignati Athenienses, continuo cum Argivis, qui forte aderant, foedus et societatem auctore Alcibiade composuerunt.

Iratum Atheniensium animum, qualis illo tempore erat, quo laesi foederis et ambiguitatis verborum Lacedaemonios accusabant, reputantes, plane ei convenire intelligimus quae in Andromachae fabula Spartanis exprobrantur (v. 447.):

ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν,
 Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια,
 ψευδῶν ἀνακτες, μηχανορῳάφοι κακῶν,
 ἐλικτὰ κούδεν ὑγιές, ἀλλὰ πᾶν πέριξ
 φρονοῦντες, ἀδίκως εὐτυχεῖτ' ἀν' Ἑλλάδα.
 τί δ' οὐκ ἐν ὑμῖν ἔστιν; οὐ πλεῖστοι φόνοι;
 οὐκ αἰσχροκερδεῖς; οὐ λέγοντες ἄλλα μὲν
 γλώσση, φρονοῦντες δ' ἄλλ' ἐφευρίσκεσθ' αἰεῖ;

Unde non absonum erit statuere hanc fabulam eo ipso tempore, quo illa inter Lacedaemonios atque Athenienses agebantur, scriptam et in theatro exhibitam esse. Quid enim attinebat illa Spartanis obiectari, nisi civium iram inflammando consilia Alcibiadis noster adiuvaré vellet? Accedit, quod totius fabulae vis finisque eo redit, ut perniciosam esse Spartanorum societatem et pestis contagio magis fugiendam ostendatur. Quamobrem aut exeunte anno 419^{mo} aut ineunte 418^{mo} mensibus Posideone, Gamelione aut Anthesterione, quibus Dionysia ac Lenaea celebrari solebant, sive Ol. 90, 2. Andromacham doctam esse statuo. Páullo serius id factum esse Boeckhius ac Petitus statuerunt: significari enim versu 725. illum rerum statum, quo Lacedaemonii Argivos invaderent, propter ea, quae in Troezenios, socios suos, patrassent, irascentes (Thuc. V, 58. VI, 7.). Verum tantam ex ea re iram ab Atheniensibus susceptam esse, ut gravissima opprobria noster in

Spartanos fundenda esse censeret, minus verisimile est. Neque magis probandum est, quod Zirndorfer suspicatus est, ad inducias, quas Brasidas in Thracia violasse argueretur (Thuc. IV, 117—123.), respici. Graviora enim ingeruntur crimina, quam quae ad unius delictum pertinere videantur, neque solet Euripides nisi ea, quae summam rem tangunt, respicere; et publicam Spartanorum perfidiam scholion quoque (ad v. 446. scriptum) significat: ταῦτα διὰ τῆς Ἀνδρομάχης φησὶν Εὐριπίδης λουδοροῦμενος τοῖς Σπαρτιάταις, ὅτι παρεσπονθήκεσαν.

Exstat alterum temporis, quo eam fabulam doctam esse statuimus, indicium, quod v. 725. civitas quaedam haud procul a Sparta sita, antea amica, nunc descivisse et hostilia facere perhibetur, quam civitatem Argos significari viri docti uno ore elocuti sunt. Amicitia inter Thebanos Spartanosque iuncta, Argivi timentes, ne soli relinquerentur, ceteris sociis ad Lacedaemonios transeuntibus, quum antea neque Lacedaemonios neque Athenienses foedere, quod cum Corinthiis inierant, recipi voluissent, iam alteriusutrius populi societatem sibi expetendam esse censuerunt, ac fere eodem tempore ad utrumque legatos miserunt. In Atheniensium societatem una cum Mantineis Eleisque recepti, Lacedaemonios spreverunt. Mox cum ludi Olympici celebrarentur, tanta fuit Eleorum ferocia, ut a sacrificiis certaminibusque Spartanos dispositis custodiis prohiberent, quorum quum unus celato nomine bigas in certamen demisisset, ad coronandum aurigam suum victorem in medium progressus, virgis a lictoribus caesus est. Contra Alcibiades splendore omnes, qui unquam certarunt, non modo privatos, sed etiam reges, longe superavit. Septem enim curribus in certamen demissis et primam et secundam et tertiam palmam retulit*). Quas victorias Euripides carmine celebravit, cuius particulam Plutarchus servavit:

Σὲ δ' αἰείσομαι, ὦ Κλεινίου
παῖ· καλὸν ἂ νίκα, κάλλιστον δ'
ὃ μήτις ἄλλος Ἑλλάνων,

*) Isocrat. περὶ τοῦ ζεύγους. Plutarch. vit. Alc. c. 11.

ἄρματι πρῶτα δραμεῖν καὶ δεύτερον καὶ τρίτον, βῆναι δ'
ἀπονητὶ τοῖς στεφθέντ' ἐλαίᾳ
καὶ κάρνυ βοᾶν παραδοῦναι.

Hunc splendorem illustriorem fecit civitatum munificentia: siquidem tentorium Alcibiadi Ephesii posuerunt eximie adornatum; pabulum equis et copiam victimarum praebuit Chiorum civitas, Lesbii vinum et ceteras epulas large multos invitanti. Reprehensam esse ab adversariis tantam magnificentiam facile est intellectu; quin etiam praecipuam belli redintegrandi causam Alcibiadi fuisse criminati sunt; cf. Thuc. VI, 12. et 15. Neque minore ille splendore ac munificentia in ludis scenicis edendis utebatur, et Euripidis potissimum fabulas eo honore affectas esse ex iis, quae harum quibusdam insunt ad Alcibiadem pertinentia, colligere licet. Supplicum fabulam tum actam esse, quum foedus inter Athenienses et Argivos pangeretur, docuit Boeckhii, cui merito ceteri adstipulati sunt. Itaque cum eodem tempore, quo Andromache, docta sit, non est dubium, quin eiusdem etiam didascaliae fuerit. Et revera utriusque dramaticae ea est vis ac natura, ut alterum altero compleri videatur. Nam alterum fugiendam esse Spartanorum amicitiam ostendit, alterum, ut Argivi foedere icto in societatem recipiantur, non obscure, sed aperte hortatur. Et causas expromunt Argivi, quibus moti Atheniensium potius, quam Spartanorum, amicitiam expetant: esse enim hos feroces et varios versutosque, Athenienses contra mites humanosque, ac praeesse eorum rei publicae juvenem excellentem, quali carentes duce multae civitates perierint:

Σπάρτη μὲν ὤμῃ καὶ πεποικιλταὶ τρόπους,
τὰ δ' ἄλλα (sc. Πελοποννήσου) μικρὰ κάσθενῃ πό-
λις δὲ σὴ

μόνη δύναται ἂν τόνδ' ὑποστῆναι πόνον·
τά τ' οἰκτρὰ γὰρ δέδορκε καὶ νεανίαν
ἔχει σὲ ποιμέν' ἐσθλόν, οὗ χρεῖα πόλεις
πολλαὶ διώλονται ἐνδειῖς στρατηλάτου.

Haec de Theseo dicta nemo non Atheniensium propter causae similitudinem ad Alcibiadem referre potuit. Foederis autem leges paene eadem in fabula, quae apud Thucydidem, sanciantur; cf. Boeckh. Gr. trag. princ. p. 189.

Tum quod non ante, quam necessitate cogerentur, ad Athenienses confugerunt Argivi, prius perniciosam aliorum societatem experti (quippe cum Thebanis et Spartanis de foedere egerant), graviter vituperantur:

*λαμπρόν δὲ θολεροῦ δῶμα συμμίζας τὸ σὸν
ἤλκωσας οἴκους κτλ.*

Excusatur Polynices, socius Argivorum: nam et iniuria affectus sponte patria excessisse, ne fratrem interficeret, fingitur, et praedicatur laudaturque mortuus (v. 149. 150. 930.); cf. Welck. p. 573. Thebanos vero, Spartanorum socios, popularis potentiae adversarios multarumque iniuriarum Atheniensibus auctores, multis opprobriis prosequitur Theseus sive Euripides. Qui quod mortuorum sepulturam prohibentes ostenduntur, arguuntur probri, quod paucis ante annis (Ol. 89, 1., a. Chr. n. 424.) post pugnam apud Delium factam commiserunt *). Belli autem strenue resumendi adhortationes quum legimus (imprimis v. 320. seqq.), Alcibiadem cum iis, qui eiusdem erant sententiae, audire nobis videtur.

Temporibus id quoque Euripides tribuisse videtur, quod fecit Theseum, principem civitatis eundemque republicae constituendae primum auctorem, de fundamentis civitatum, de fontibus malorum, de virtutibus vitiisque accuratius doctiusque, quam dramatum naturae convenire videtur, multa disserentem. Etenim in magna iurum divinorum humanorumque confusione, morum corruptione, opinionum discrepantia, superantibus vitiis, iacente probitate, ingravescente deorum ira ac bello pestilentiaque mortales vexante, vulgus, a pristinorum institutorum reverentia depulsum et paene ad desperationem adactum, cupide amplectebatur philosophorum placita secum communicata et tanquam medicinam quandam malorum avide hauriebat. Testis est Bellerophontis fabulae gloria, cui quae infuit disputatio, ei Thesei oratio tanquam supplementum quoddam adiungitur, qua ad homines a diis fontes malorum recte transferuntur, iique duplices ostenduntur, alteri natu-

*) Cf. Soethbeer de myth. argum. Euripidis Supplicum. Göttingae 1837.

rae hominum omnium proprii, alteri certis civium generibus. Illud genus medicinam quaerit eorum, qui de vita moribusque inquirunt, hoc eorum, qui civitates gubernant et legibus institutisque temperant. Neque defuit vir ad corrigendas civium opiniones emendandosque mores aptus, ac iam tum aetatis vigore florens optimos quosque et discendo habilissimos consuetudine devinxerat, neque solum disputando, verum etiam, quod maius est, suae vitae exemplum proponendo, quum moribus suis pariter atque sermonibus quid verum, rectum bonumque esset ostenderet, incredibile ad conformandos animos mentesque eorum, quibuscum versabatur, momentum habebat. Qui quaecunque sentiebat sibi persuaserat, ea quum mirum in modum cum Euripidis sententia congruant et vitae illius institutum ipsum simile esse moribus ab hoc expressis appareat, plerique hodie, rivulum cum fonte permutantes, hunc illius divitiis ditatum esse affirmant, temporum ratione ipsa puerum Socratem fuisse, quo tempore philosophicas Euripidis tragoedias populus admirari coeperit, arguente (cf. T. I. p. 131.). Hic quoque error, ut plurimi, Aristophanis depravatoris auctoritate nititur, qui tamen invitus verum significavit, cum fecerit Phidippidem, Socratis discipulum, eam potissimum ob rem, quod Euripidem sapientissimum sperneret (*ὄστis οὐκ Εὐριπίδην ἐπαινεῖς σοφώτατον*), patri irascentem. Haec admiratio unde, nisi ex admiratione, quam idem poeta Socrati iniecerat, nasci potuit? Quamobrem, si Theseum noster induxit plane eadem de deorum providentia, de divinatione, de vitiis naturae humanae docentem, quae de his rebus Socratem sensit Xenophon testatur, erit haec quoque philosophi et poetae consensio testimonium magni ardoris, quo Socrates ad senioris viri amicitiam rapiebatur et ad exemplum hominum, quos ille carminibus effingebat, suam mentem suamque vitam conformabat. At Aristophanes, in deturpandis rebus sublimibus, quarum meditatione medela praesenti morum corruptioni vitaeque perturbationi parari posset, in proscindendis studiis honestissimis, in laceranda gravissimorum virorum fama sibi constans, quum antea detorquendis Euripidis carminibus gloriam sibi fabulisque suis

honorem quaesivisset, tum vero, quum iam in veritatem vitae communis translata ad effectum huius commenta Socratis imitatione adduci intelligeret, ad discipulum a doctore conversus, illum opprobriis coopertum, contumeliis vexatum, si minus pessumdare, certe in contemptum adducere atque infringere auctoritatem eius conatus est fabulam scribendo Nubium, qua eadem omnia crimina in Socratem conegessit, quibus postea accusatores ad perdendum eum prosperrimo cum successu usi sunt. Quam fabulam constat circa id ipsum tempus, quo doctae sunt Supplices Euripidis, bis in theatro exhibitam esse. Quamobrem non erit absonum iudicare hac potissimum de re plurimum illustrandis philosophicis studiis in hac fabula tribuisse Euripidem, quod Aristophanes eadem magno cum vulgi plausu riserat. Reliquos eius latratus et lacerationem famae suae ab Euripide contemptam esse manifestum est.

Utinam inter Athenienses exstitisset iuvenis ad gubernandam rempublicam natus, qui quanta cum probitate mores Socrates excoluit, tanta in administranda conformandaque ad illius praecepta republica versaretur, neque fefelisset Alcibiades spem, quam in praestantissima eius indole et Euripides et Socrates posuerunt. Sed enim non fuit in fati, ut idem Atheniensium populus simul pacis artibus florens ad humanitatem reliquas gentes erudiret simulque bellis victas imperio regeret. Vidit Euripides patriam succumbentem bello, ad quod gerendum ipse saepius hortatus erat; vidit ad irritum cadere morum exempla, quae ducibus populorum utilissima proposuerat: neque tamen interire potuerunt quae divina orta origine naturam habuerunt sempiternam, sed commigrarunt cum ipso ad Macedonum populum, cuius reges ad hereditatem gloriae Graecorum et proferendum regnum propagandamque eruditionem et cum barbaris communicandam fati destinabantur; eadem interpretantibus Ennio Attioque ad Romanos translata animos inflammarunt Scipionum, quorum virtute fundamentum positum est imperii clarissimos quosque antiquitatis populos amplectentis.

A. S u p p l i c e s .

Notus est honos, quo ab Atheniensibus affici solebant qui pro patria pugnantes occiderant, cum iusta funebria publice peragerentur et a principibus civitatis viris virtus eorum et merita copiose laudarentur. Eiusmodi exsequiarum imaginem hac tragoedia expressam videmus. Nam quaecunque vitae humanae insunt, digna quae poesis imitetur, horum nihil tristius, nihil gravius, nihil tragoediae convenientius, quam fortium virorum mortes, invenitur. Quum autem sedare perturbationes, erigere animos metu vel aegritudine affictos, purgare vehementiores affectus et constantiam mentibus ingenerare tragoediae propositum sit, quomodo hoc praestare efficacius potest, quam imitando et exemplis repraesentando ea, quae plurimis usu venire et accidere solent communiter? Alienos enim casus similes propriis quum intuemur, fieri solet, ut his minus perturbemur, et liberiore animo sortem mortalium universorum reputantes atque propria communibus accensentes acquiescamus. Meditatione enim non tantum futura, sed etiam praesentia mala minuuntur, eademque solaminis dolorum initium est.

Tam aptam tamque vere tragicam materiam quod non frequentius veteres tragici tractassent, mirandum esset, nisi summam eadem haberet implicationum inopiam, quibus quae carent argumenta, neque rerum varietate distinguuntur et carent tum morum describendorum tum actionum instituendarum caussis. Has tantas difficultates felicissima ingenii sollertia vicit Euripides adeo, ut primo adpectu qui intuentur opus rudem materiam, ex qua conformata tanta venustas est, vix agnoscant.

Templum Cereris Eleusinae repraesentatur, ante quod prope aram ac vestibulum Aethra, Thesei mater, constituta conspicitur; in basi sive infimo gradu, orbe dimidio facto, feminae Argivae supplices cum ramis olivae, tonsis capillis, sordidis vestibus consederunt, quarum dux Adrastus rex in summo gradu et prope fores templi capite obvoluto sedet, supplicis in ara depositis, circumque eum pueri ducum, qui apud Thebas interierunt. Septem ma-

tres cum totidem famulis plenum chori bipartiti numerum efficiunt*). Nam etsi neque Polynicis neque Amphiarai mater in scenam produci recte potuerint nec nisi sex mortuorum corpora reportentur, tamen haec non accuratissime explorata esse intelligimus, neque urgenda sunt quae poetae consulto celaverunt. Celavit autem noster manifesto, quum fecerit Theseum, quo quisque interfectorum genere, quo ingenio qualique vita fuisset, non ex matribus ipsorum (id quod decebat), sed ex Adrasto quaerentem atque excusatione utentem ea, qua contra naturam se facere ipse fateretur:

μέλλων σ' ἐρωτᾶν, ἠνίκ' ἐξήντλεις στρατῶ
 γόους, ἀφήσω· τοὺς δ' ἐκεῖ μὲν ἐκλιπῶν
 ἐς τὰ σά γε μύθους, νῦν δ' Ἀδραστον ἱστορῶ,

i. e. quum antea, dum lamentis operam dabas, quaedam ex te quaesiturus fuisset, nunc omittam, invicemque quae ad te pertinent ex Adrasto quaeram**). Quemadmodum singuli duces cum singulis satellitibus in bellum profecti sunt, sic singulae famulae singulis reginis quasi satellitum matres attributae sunt. Item certum numerum puerorum in pulpito proximum Adrasto sedere ex v. 106 seq. intelligitur: quos intuentes qui spectabant profecto non curabant, quomodo eorum numerus habitusque cum filiis heroum, quos fando accepissent, congrueret. Sunt certae rerum scenicarum leges, decoris caussa constitutae, quibus dum obediunt qui dramata componunt, interdum fingunt ea, quae veritati minus respondeant. Cuius rei insigne exemplum huius dramatis prologus continet. Primam enim personarum omnium chorum verba facere ac de suarum rerum conditione exponere, quum Aethrae auxilium imploraret,

*) v. 963. ἐπὶ τὰ ματέρες ἐπὶ τὰ κόουρους ἐγεινάμεθα. Cf. Boeckh. Gr. trag. princ. p. 75. Elmsl. in class. journ. V. IX. n. XVII. p. 56. Contra Astius in programmate gymn. Clivensis ann. 1827. inania opinatur.

***) Vocem δέ post τοὺς inserui et interpuncta mutavi verborum. Altera δέ, quae post νῦν collocata est, ad μέν refertur neque connectit enuntiata, sed tantum vicissitudinem declarat (anderseits).

necessarium erat ac naturae accommodatum; et si unquam Euripidi occasio fuit prologum choro agendum deferendi et cum parodo miscendi, huius certe tragoediae materia eam rationem praescribebat. Sed enim ab eiusmodi mixtione adeo abhorrebat, ut mallet vel minus naturae convenientia fingere, quam non iustum prooemium parodo praemittere. Fecit enim Aethram prius causam mulierum, quae supplicant, exponentem, quam harum voces precesque audirentur: quae res absona et praepostera habenda esset, nisi dudum chorum in gradibus arisque templi consedissee, dudum reginae supplicatum esse et multas iam preces, antequam aulaea demitterentur, similes iis, quas iteratas audimus, factas esse appareret. In medias igitur res rapimur, quum catervam hominum non nunc demum advenientem, sed assiduam et pridem in supplicatione occupatam conspiciamus, et mediam inter supplices Aethram verbenis cinctam (v. 359.) et quasi ab obsidentibus retentam in loco, in quo rediens e templo constitit, filii adventum, quem per nuntium accessivit, expectantem atque interim de rebus actis exponentem.

Preces pro semente publice factura templum Cereris Eleusinae, stipata sine dubio matronarum Atheniensium grege, adiit Aethra, Thesæi regis mater, Aegei uxor, Pitthei filia. Functis sacris cum ex aedibus deae redisset, ante fores templi, in gradibus et apud aras matres conspexit ducum prostratas, qui ad oppugnandas Thebas cum Adrasto ac Polynice, Argis profecti, ibi omnes interierunt, unaque cum iis Adrastum supplicantem. Omnes vidit moerore, luctu, squalore iacentes, supplicia tenentes, genua ipsius cum lacrimis amplectentes, ut et misericordia et ramorum sacrorum reverentia quasi vinculis adstricta (*δεσμὸν ἄδεσμον ἔχουσα*) retineretur. Tum Adrastus causa dicta oravit, ut preces interponendo filio persuaderet, ut miseris auxilio esse et mortuis vel verbis vel armorum vi vindicatis vellet sepulturae auctor esse. Insepultos enim omnes, qui contra Thebas arma tulerint, iacere iubent victores, iura deorum contemnentis. Quibus commota precibus Aethra, cum nihil, ut mulier, sola moliri vellet, nuntio misso filium accessivit. Refert igitur Aethra ea,

quae ab Adrasto edocta est. Noluit enim ne huic quidem officium Euripides rerum exponendarum deferre neque praeoccupare orationem, quam opportuniore idem tempore coram Theseo dicturus est. In hoc igitur stant res loco, cum matres interfectorum, de eventu anxiae, quo certius reginae animum flectant, supplicibus cum precibus genibus eius advolvuntur, ora lacrimis oppleta, corpora planctibus laniata ostendentes, et per partuum perque aetatis communitatem obtestantur, ut sua felicitate ipsarum calamitati medeatur filio persuadendo, ut liberorum suorum corpora a bestiarum laniatibus liberata matrum curet manibus ac sepulturae reddenda. His matrum precibus lamenta planctusque accedunt famularum doloris consortium, quae et genas unguibus cruentando et fletu et lamentatione debitos manibus defunctorum honores persolvunt.

Hae lamentantium voces animum advertunt Thesei ad matrem diu domo absentem tendentis. Qui, conspecta supplicantium forma et habitu, ubi ex matre, quinam essent, cognovit, causam veniendi ex Adrasto ipso quaerit, quem iubet detecto capite et misso luctu rem dicendo explicare. Alternis versibus dum causam belli infelicissimi quaerit accipitque Theseus, ferocius illud, quam consultius, invitis diis susceptum esse intelligit. Ad solam inde misericordiam confugit Adrastus, quum genua iuvenis rex senex amplectens oret, ut matrum in decrepita aetate orbatarum filios vindicet. Miseros ad felices confugere, felices miserorum rationem habere, aequum esse. Patriam iacere calamitate exhaustam*); Spartam a misericordia perinde ac fide alienam esse; solos Athenienses ac ducem eorum huic suscipiendo labori pares esse. His auditis Theseus negat se alienae civitatis, quae merito propter delicta mulctetur, calamitate suos cives oneratum esse aut communitate inita participem fore piaculi. Altius a fonte malorum repetens ac de communibus mor-

*) Idem versu 126. significatur: τὸ δ' Ἄγρος ὑμῶν ποῦ ἔστιν; ἢ κόμποι μάτην; quibus verbis miror quid insolentiae inesse putaverit Marklandus.

talium peccatis, ut philosophus, disserens, propria Adrasti peccata arguit. Orditur igitur illud philosophorum illustrare: „Falso queri de natura sua genus humanum”^{*)}. Quod nisi plura bona, quam mala, dii mortalibus imperitivissent, pridem putat genus humanum abundantia pestium, quas homines hominibus inferant, perituum fuisse. Et maximas quidem esse naturae dotes, quibus a bestiis differamus, rationem atque orationem. Deinde cibum terrae bonitate coelique temperie procreari, fontes pluviamque adesse, quibus et solum irrigetur et sitis expleatur ventris. Tum adversus frigus aestumque praesidia suppeditari, navigationem inventam esse, ut permutatione facta exportent quibus quique abundant, invehant quibus indigeant. Denique quae humana prudentia procurari nequeant, omnibus significata divinandi arte conici. Haec deorum dona ad beate vivendum sufficere: quibus non contentos plerosque ad contemnendos deos insolentia adduci, ut his ipsis esse sibi sapientiores videantur. Sic Adrastum filias quidem cum peregrinis iungendo, ubi consulto opus fuerit, oraculis obsecutum esse: nam si quis puram domum cum polluta misceat, eum, societate inita piaculi, vacuum crimine cum noxiis una interire; eundem spreto vate, cui parere debuerit, adolescentibus obtemperantem, honoris cupidis, iniustitiae amantibus, avaritiae indulgentibus et semper patriae salutem suis commodis postponentibus, bello temere moto calamitatem attulisse reipublicae. Nam quum tria fere civium genera sint, opulentos semper plura concupiscere, pauperes semper ob invidiam malignos esse et turbidis populi ducibus pronos; solos qui medii inter utrosque sint iura legesque tueri et firmum reipublicae fundamentum esse.

Quotiescunque Euripides Theseum in scenam induxit, doctrina eruditum ac philosophantem exhibuit, sine dubio neminem, nisi philosophum, recte reipublicae praeesse et condendis civitatibus scribendisque legibus parem esse

^{*)} Prodicum his refutari (ἔλεξε γὰρ τις) vidit Welckerus in museo Rhen. T. I. p. 622.

judicans. Eiusdem personae convenire arbitrabatur de rebus, quibus vel starent crescerentque civitates vel collabefactae conciderent, doctius disputare, neque ea disputatio ab hoc quidem loco, quo tum exercitus amplissimus cum fortissimis ducibus malis artibus pessumdatum ostenditur, tum civitas potentissima ad tantam inopiam redacta, ut ne occisorum quidem ad honorem vindicandum vires sufficerent, plane aliena est.

Respondet Adrastus non indicem sibi vel censorem, sed medicum vindicemque opus esse. Quod si repudietur, esse Thesei decreto acquiescendum et relictis verbenis, quae sint spretae supplicationis testimonia, abeundum. Mulieres vero, priusquam ei obsequantur, iteratis precibus animum Thesei expugnare conantur. Admonent eum communis stirpis; esse aiunt feris specus, servis aras deorum, civitatibus civitates perfugio, neque a calamitatibus quemquam mortalium tutum esse. Tum relicta orchestra sive fundamento (*δαπέδω*) templi in pulpitem escendunt et in genua cunctae orbe facto procumbunt, genua Thesei manusque amplectentes, cum lacrimis, cum flebili gemitu orantes, ut liberorum corpora matribus restituant. Hoc alterum carmen cantans chorus, quamquam ratione saltandi, i. e. ad numerum se movendi gesticulandique usus sit, poetae verba ipsa satis declarant.

Tam miserabili spectaculo non leviter Theseus ipse movetur; Aethra vero obvoluto capite dolorem in lacrimas effundit; tum, consolante eam filio, occasionem nacta pro Argivis intercedendi, neque repudiandas esse supplices docet, neque committendum, ut sepultura et iustis funeribus extincti prohibeantur, sed compescendos homines violentos, qui communem Graeciae morem interpellent. Et multo iustius honestiusque hunc laborem, quam certamen cum sue aliqua agresti, suscipi: quamobrem cavendum esse, ne quis Theseo, si detrectet, tela et aciem horrore fuisse exprobrat. Torvo vultu populum Atheniensium intueri, si quis cavillettur; hac ratione auctum esse laboribus: contra quae cautae quiescant civitates in tenebris latere obscuras. Proinde opem ferat viris extinctis et mulieribus afflictis; neque se matrem filio arma sumentem

iustissima metuere. Haec Aethrae verba simillima sunt iis, quae Spartanæ quaedam mulieres filiis in bellum proficiscentibus dixisse traduntur, et manifesto Euripides feminis Atheniensium hanc orationem tanquam exemplar proposuit, quod imitarentur. Respondet Theseus se, ut recte Adrasto delicta obiecerit, ita probe intelligere mortuos vindicandos esse, neque suae esse personae laborem ullum detrectare. Sed antequam rem adgrediatur, ad populum de ea referendum esse, quem ait a se suffragiis redditus in libertatem restitutum; ceterum tantam esse auctoritatem suam, ut, quicquid ipsi placeat, civibus probetur. His dictis abit, secum in concionem adducens Adrastum; inde cum iuventute lecta rediturus est, ut, in armis sedens, nuntiis missis cadavera mortuorum a Creonte reposita. Simul verbenas de matre demi iubet, ut domum reducat, manibus suis anum grandaevam sustentans. Declaravit Euripides Thesei verbis, quamnam reipublicae formam maxime probaret. Periclis administratio tanquam exemplar ei ob oculos versabatur, quam his verbis descripsit Thucydides: „Pollens dignitate consilioque et pecunia manifesto minime corruptus, ingenue tractabat multitudinem, nec magis illi se comitem, quam ducem, praebebat, quippe quum non per illicita adeptus potentiam nunquam ad voluptatem diceret quicquam, sed, dignitate princeps, etiam indignanti multitudini obniteretur. Quoties igitur intelligebat eos quippiam intempestive moliri ferocientes, dicendo reprimebat terreatque, idem rursus, ubi sine ratione formidarent, ad fiduciam erigebat; denique specie quidem popularis erat status, revera autem penes primarium virum principatus.”

Profecto Theseo, chorus fausta piis eius consiliis precatur eorumque testem invocat civitatem Argivorum. Honestissimum ait civitatibus decus pium esse laborem, eundemque gratia frui sempiterna. Simul optat, ut idem Atheniensibus, qui regi eorum, animus sit cum studio succurrendi miseris, vindicandi iuris. Hoc brevissimo carmine longissimum temporis spatium expletur, quo populi concionem Theseus convocat, rem exponit, in suffragia

mittit tribus, exercitum conscribit et ad Callichori puteum Eleusinis*) copias conducit, ubi dum lustrantur, ipse ad templum Cereris reversus praeconem instruit, qui ad Creontem profectus mortuos repetens amicitiam populi Atheniensium, si voti compos fiat, offerat, sin minus impetret, bellum indicat. Sed ut in scena agantur res gravissimae, fingitur hoc ipso tempore praeco Thebanus advenire de eadem re cum Theseo collocuturus. Quam deinde praeco orditur disceptationem, dignissima est, quam consideremus. Insigne enim documentum est propositi, quod in scribendis fabulis Euripides tenebat. Nam quum propter diversam suae civitatis formam Thebani, quod paucorum imperio ipsi parebant Athenienses autem libera republica utebantur, summa rerum populo commissa, ab horum amicitia semper abhorrerent et nuper etiam Argivorum societatem repudiassent, defensionem Euripides popularis potentiae, quasi maxime ad rem causamque pertinentem, huic dramati inseruit, fingens Thebanum arroganter reipublicae statum Atheniensium vituperare, eaque accusatione Theseum ad ostendendam patriorum institutorum praestantiam provocari. Itaque populari civitate et regia inter se comparatis, in illa reprehenditur, quod pauperes, etiamsi minus sint rudes, quaestu a rerum publicarum cura abstrahantur, quodque homines ambitiosi dulci oratione multitudinem deleniendo ad sua flectant commoda, tum, eveniente errorum fructu, novis calumniis priora peccata celando poenam effugiant: et acerbam rem esse optimo cuique, videre homines pravos sola dicendi facultate ad principatum ex humilitate evectos. Hanc verissimam accusationem minime Theseus vel Euripides refutat; sed dominatu unius vel paucorum opulentium praestantissimis bonis ait civitates privari. Haec bona primo loco esse leges, quibus tenuium divitumque iura aequentur, deinde suadendi quae quisque optima esse cognoverit libertatem, tum virtutis studium et virium ex-

*) Paus. I, 38. p. 95: Ἐλευσινίοις δὲ ἔστι μὲν Τριπτολέμου ναός, ἔστι δὲ Προπυλαίας Ἀγρέμιδος καὶ Ποσειδῶνος πατρός· φρέατος τε καλούμενον Καλλίχορον, ἔνθα πρῶτον Ἐλευσινίων αἱ γυναῖκες χορὸν ἔστησαν καὶ ἦσαν ἐς τὴν θεόν.

ercitationem. Contra ubi unus vel plures opulenti regnent, horum arbitrium pro legibus esse, imbecilliores vi coerceri, robur autem civitatis, iuvenum succrescentium florem, et optimos quosque, quod sint tyrannis infesti, ad exemplum eius, qui per hortum ambulans summa florum capita baculo decuteret, interim; nemini licere vel divitiis suis frui vel filiarum virginum venustate gaudere: haec enim omnia quasi praedam libidinibus exposita esse tyrannorum. His Euripides ea, quae penitus animo sentiebat, declaravit, quo quamvis nemo maiore cum suo incommodo acerbitatem licentiae popularis expertus esset (quid enim Aristophanis protervitate nasci molestius potuit?), neque quisquam ambitiosorum hominum pestem magis abominaretur, tamen parva haec incommoda esse ducebat, comparata cum iis, quae ferret dominatus. Ceterum non hoc referre iudicabat, unus an plures an omnes de summis rebus decernerent, sed opes an virtus, arbitrium an leges plurimum valerent. Itaque principatum Thesei, qui legibus se non minus quam populum teneri arbitraretur, quique persuadere civibus mallet, quam cogere eosdem, a populari statu nil differre iudicabat.

His disputatis, urgente Theseo, edit praeco mandata: vetare Thebanos supplices recipi vel mortuos tolli; contrarium facientibus bellum minari. Hinc rursus ad locum communem transit, pacis bona praedicans damnansque cupiditatem imperandi, causam bellorum. Solere, ait, quando bellum in deliberationem populi veniat, neminem de suo fato cogitare, sed in alios a se quemque hoc infortunium transferre. Quod si mors singulis in ferendis suffragiis ante oculos versaretur, nunquam futurum fuisse, ut potius bellorum furore civitates perirent aut aliae alias subigerent, quam pacis bonis dulcissimis fruerentur. Verissima haec est sententia. Sed dicit eam is, qui iniustissima et postulando et agendo necessitatem belli gerendi ipse imponit. Recte igitur Theseus non se huius belli dicit auctorem esse, sed eos, qui alieno populo, quasi subdito, arroganter imperent. Copiosissime autem in eo immoratur, quod praeco dixit septem duces, quoniam fuerint impii diisque infesti et manifesta coelestium vin-

dicta interierint, iure meritoque sepultura mortuos privari. Quidquid enim peccaverint, caede eorum expiatum esse docet, neque ultra mortem puniendi saevitiam procedere debere; esse corpora terrae, animas aetheri, singula dominis, qui quasi commodaverint, reddenda; et universae Graeciae, ut mos sepeliendorum mortuorum servetur, interesse: infringi enim virtutem, si aliter fiat. Absurdum autem esse eundem sepulcra mortuorum timere et ferocire in superstites, neque intelligere quasi luctamen esse vitam humanam, illudente nobis fortuna, quo impensius et a miseris et a beatis colatur. Hoc enim qui reputat, eum convenit et modice irasci, iniuria affectum, et ipsum ab iniuriis faciendis abstinere. Stultorum est velle corporibus mortuorum, in quibus nullus residet sensus, male tractandis iram explere, vel credere humationem ad aliud quicquam praeter corpus pertinere. Huius quoque sententiae auctor Anaxagoras fuit, qui quum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, auferri, Nihil necesse est, inquit: undique enim ad inferos tantumdem viae est. Et eandem Socrates amplexus est, qui moriens aegre tulit, quod multa opera consumpta non potuisset Critoni persuadere se hinc avolaturum, neque quicquam sui relicturum. Haec igitur sentiens Euripides, quum superstitiosae credulitati et lemurum timori adversaretur, tum longe abfuit a Cynicorum turpitudine, ut referre quicquam negaret, sepelirentur mortui an ferarum laniatibus obiicerentur, sed terram terrae reddendam esse censuit. Idem comprobans vulgi opinionem consortium quoddam manium cum sepulcris esse statuebat, simile deorum commorationi in delubris, in quibus colerentur. Memoria enim, qua mortuos prosequimur, cum sepulcri veneratione coniuncta est, quo se honore destitui aegre ferunt defuncti: iidem gratiam pie colentibus referunt. Nam quum ne vulgarium quidem hominum animae intereant, tum qui, quoad vixerunt, virtute et egregiis facinoribus vulgus superarunt, eandem praestantiam servant mortui et genii appellati deorum quandam induunt similitudinem; cf. Alcest. 995. Rhés. 962 seqq.

Commodatum accepimus quicquid nostrum esse dicimus, non solum vitam, sed etiam externa bona (Phoen. 555.). Haec qui reputabunt, in quocunque erunt fortunae statu, modestiam servabunt et verecunde rebus hominibusque utentur. Non licet iram perpetuam exercere, quoniam ne vita quidem perpetua nobis concessa est (Philoct. fragm. T. I. p. 357.). Non licet viribus suis vel opibus fretum humiliores contemnere, quoniam cuilibet accidere potest quod cuipiam accidit neque quisquam ante mortem ab infortunio tutus est.

His dictis Theseus, memor certaminum plurimorum contra improbos a se atque Atheniensibus iam feliciter sustentatorum, memor gloriae et incrementi civitatis inde accepti, minas pares paribus hostium referens, parari arma, currus, equos iubet, ut statim cum exercitu, ducis simul praeconisque officio ipse fungens, terram hostium invadat; Adrastum autem remanere iubet, nolens huius genium infastum suo misceri, ut, quum sine numinum favore nihil mortalibus prosit virtus, propriis utens numinibus opus perficiat.

Longissimum temporis spatium, quo haec omnia, quae proposita sunt Theseo, ad exitum adducuntur, brevissimo carmine expletur, sed eo, quo affectus expectantium acerrime depingitur. Bipartitus enim chorus incise membra-timque canens et antispastico maxime utens numero, volvens inter se cogitata, exclamando, interrogando, optando, conquerendo animum inter spem metumque suspensum declarat. Et prima quidem stropha sollicitas se de exitu esse matres significant: nam si nova clades cladi priori et luctus luctui adiciatur, quam tandem mente erunt ipsae, calamitatis autrices? Antistropha spem produnt fore ut evertatur qui triumphavit: deos enim, quamvis varie, tamen iuste eventus temperare, neque semper urguere afflictos; caedem autem caede, vindictam vindicta rite puniri. Altera stropha optant, ut sibi adesse in loco, quo pugnatur, et sortem amicorum cognoscere liceat. Denique antistropha altera precibus, quae sunt sola timentium fiducia, Iovem patrium implorant, ut ex contumelia in honorem tumuli vindicare corpora liceat.

Quartus actus tum eventum pugnae tum mortuorum reductionem laudationemque continet. Nuntius autem, qui de rebus gestis exponat, famulus quidam Capanei prodit, qui, quum esset apud Thebanos captivus, de turri quadam urbis spectavit proelium, donec inter tumultum occasionem nactus effugit. Ante portas Electras in campo Aesopi inter Thebas et Plataeas patente pugnatum est, et tripartitum fuit agmen Atticorum, dextrum cornu Pediaeis adversus collem Ismenium positum sive gravis armaturae militibus cum Theseo, laevum autem Paralidis sive hastatis apud fontem Martis tenentibus, quibus adiecti equites, in extrema acie collocati, horum numerum numero illorum aequabant. In media denique acie apud Amphionis monumentum positi Diacrii erant, qui de curribus pugnant. Qui a laeva utriusque cornu parte stabant, equis curribusque praediti, primi ex acie provecti proelium commiserunt, ut quodammodo ipsi pro prima acie, pedites autem pro secunda haberentur. Hostes ante moenia aciem instruxerunt sic, ut equites equitibus hostium, currus curribus opponerentur; a tergo autem media inter aciem et urbem cadavera erant Argivorum, de quibus certabatur. Quae ut redderentur postulans praeco Thesei cum repudiatus esset, primi ii, qui curribus insistebant, pugnam inierunt. Provecti igitur ex acie aurigae constituerunt pugnatore ibi, ubi manus consererent: quibus dimicantibus, ipsi conversis rursus equis praesto fuerunt ad auxilium ferendum. Quorum conspecto certamine sine mora Phorbas, dux equitum Atticorum, cum hostium equitibus manum conseruit. Et hoc quidem certamen acerrimum fuit, donec, cedentibus Thebanis, Creon cum graviter armatis succurrit: quod fieri videns Theseus non neglexit, sed ipse quoque graviter armatos adduxit, ut, retractis in cornua curribus equitibusque, graviter armati hastatique exercitus utriusque, quasi media acies, proelium decernerent. Inclinato laevo Atticorum cornu (in quo erant hastati), dextrum, quod Theseus ducebat, superavit; inde hic in laevum transgressus voce manuque animum languescentibus addidit et; immani clava Epidauria saeviens, tandem hostes terga vertere coegit. Inter Thebanorum terrorem

quum capiendae urbis potestas esset, contentus fuit ea perfecisse, quorum causa exercitum adduxerat, plane diversus et a septem ducibus Argivorum, qui, quum satis aequis conditionibus bellum Eteocles componere vellet, his non contenti perierunt, et a Thebanorum rege, qui, quum repente opulentus ex inope factus esset, impatiens felicitatis et contumeliose tractans victos, iam invicem praecipitatus est. Eadem immodestia Athenienses paucis ante annis, quum Cleonti, homini ambitioso, mallent quam amicis patriae obtemperare, nimium intendentes arcum fregerant, et quum prudenter consulentes audire noluissent, eventu docti doluerunt; cf. T. I. p. 505. Cuius peccati hoc loco per Adrastum salubriter admonentur. Nuntii autem narratio diligentia et verisimilitudine rerum excellit: nihil enim ille narrat, nisi quod animadvertere et audire commode ipse potuerit. Addit deinde, mortuorum corpora militum quidem humo mandata esse in parte Cithaeronis Eleutheras vergente, ducum autem curribus imposita huc adduci, admodum humane Thesei ipsius manibus ex caede protracta, abluta vestibisque stratis imposita et contexta. Quibus auditis Adrastus cum planctibus et lamentis obviam defunctis carissimis proficiscitur, matres autem ibidem adventum exspectant, gaudentes, quod voti compotes sint factae, simulque lugentes, quod acerbissima liberorum funera, orbae et privatae fructu matrimoniorum, in extrema aetate conspiciantur sint. Adductis cadaveribus et in conspectu positis, mutua sequitur Adraستي chorique comploratio, inter quam funera velata amplectuntur matres, laniant genas, pulvere capita deformant. Numeri huius commatici cantus maximam partem ex dochmiis constant. Cantant autem non singulae matres, sed coniunctae.

Quaerit deinde Theseus de mortuorum laudibus, non illis quidem bellicis (vanos enim esse qui doceant, quem quisque in proeliis vulneraverit, neque posse talia pro compertis referri), sed de civilibus. Aeschylum hoc loco vituperari manifestum est; ceterum etiam propter genus laudationis, qua usus est Euripides, hac praefatione opus fuit. Spernebat noster, ut inane, quid-

quid a sui saeculi moribus et vita, qualis tum erat, abhorrebat longius, quam ut theatra iis moveri possent: moventur enim homines iis solis rebus, quas ad se similitudine pertinere putant. Atqui illa aetate cum reliquae artes tum res militaris virtute animi magis quam vi corporis procedebat, neque singulorum certamina magni in proeliis momenti erant, neque iis in acie spectandis locus erat. Speciosae quidem sunt imagines rerum pridem abolarum, sed inutiles magisque delectandis adolescentibus vana, quae cogitatione finguntur, sectantibus, quam commovendis viris, usu et prudentia et exercitatione praeditis, idoneae. Hoc intelligens Euripides homines tales, quales revera erant, non tales, quales antea fuerant vel fingebantur, imitatus est. Non enim iisdem, quibus Homerus, hominibus scribebat, adolescentium quadam similitudine praeditis, sed floruit eo saeculo, quod, cum priore comparatum, virorum naturae imaginem referre fatendum erit. Ac tragoediae ipsius atque epopoeiae eandem esse diversitatem facile intelligitur, quandoquidem haec rerum gestarum gloriam quasi adolescentium grandia omnia sperantium imaginationes narrat, illa destitutas spes, eversas fortunas, ruinas de conatibus excidentium, qualia virili aetati usu venire solent, repraesentat.

Orationis igitur funebris imaginem, quam laudationem (*ἔπαινον*) ipse appellat, Adrasto tribuit Euripides. Novum hoc fuit et ab heroum moribus discrepans, teste Dionysio Hal. A. R. V, 17. (p. 291.): „Certamina quidem tum gymnica tum equestria in illustrium virorum funeribus ab amicis instituta esse memoriae est proditum; at laudes iis dictas esse nemo tradidit praeter Atheniensium tragicos, qui adulantes civitati suae de iis, quos Theseus sepelivit, hoc quoque commenti sunt.” Eius autem laudationis ratio haec est, ut singuli heroes singulis hominum generibus imitandi proponantur: exemplaria enim exprimentur divitis carentis insolentia, pauperis vacui avaritia neque ex odio iniustorum in odium patriae delapsi, iuvenis frugalitatem et patientiam pro elegantia et mollitie affectantis, inquilini caritate reipublicae civibus aemulantis casteque degentis, cum propter corporis formam a plu-

rimis amaretur, viri denique factis magis et fortitudine quam dicendo laudem adepti. Atque has tantas virtutes, quibus et gloriosam mortem et honestam sepulturam omnes adepti sint, ex pudore natas esse disputat Adrastus, pudorem autem animis inseri disciplina. His humanitatis et honestissimorum studiorum imaginibus quantopere veteres moti sint, ex testimoniis scriptorum intelligitur, velut Zeno, stoicae auctor disciplinae, in ore habere solitus est versus de Capaneo dictos (Diogen. Laert. VII, 23.). Eiusdem Capanei exemplar Pelopidae Thebano, Eteocli autem Argivi personam Epaminondae ob oculos positam fuisse Plutarchus significat. Respexerunt eiusdem atque Eteoclis mores Euclides apud Athen. VI. p. 250. E. et Teles ap. Stob. XCV. et XLVI. Haec efficere pluris erat, quam mores heroum ab aliis poetis traditos, ad hanc fabulam nihil pertinentes, servare.

Dicta laudatione, placet Capaneum, Iovis fulmine consecratum, separatim in monumento prope templum exstructo componi, reliquos mortuos communi rogo cremari. Ad quem dum corpora abducuntur, matres, ne vulnerum foedissimo adspectu dolor augeatur, relinquuntur. Finitur actus tum sententia gravissima, qua avaritia caedium caussa pestisque felicitatis esse arguitur, tum carmine lugubri, quo orbitatem suam et commutatam sortem matres flebiliter deplorant. Contrahere licet spatia ac tempora eorum, quae oculis spectatorum subtrahuntur, non eorum, quae, quum coram spectentur, minus possunt fallere. Quamobrem quum in ipsa scena rogi cremandis corporibus exstruerentur ardentesque conspicerentur (et recte quidem summaeque huius dramatis accommodate), curandum fuit, ut, dum in cineres considerent ignes, episodio aliquo magnifico et cum rerum conditione congruente animi tenerentur. Id qua ratione Euripides perfecerit, iam videamus.

Exstructo enim per famulos Capanei monumento accensoque rogo, repente uxor huius, Evadne, Iphidis filia, in rupe imminente stans conspicitur, inde in rogam viri, cui se immolare constituit, corpus demissura. In episodium noster contraxit argumentum eiusmodi, quale antea integra tragoedia ornaverat. Revera enim Evadnae factum

facto Laodamiae omnibus ex partibus respondet: quod faciens duplicem subiit accusationem, quod tristia tristibus cumulando assequi id, quod est tragoediae propositum, magis multitudine quam temperatione rerum tragicarum studuisset, quodque iterandis iisdem inventis inopiam quandam ingenii significasset. Inopiae quidem non recte accusatur is, cuius tantae sunt divitiae, ut etiam detractis iis, quae iteravit, opulentissimus esse non desinat; iterationibus autem ne natura quidem rerum, dei potentissimi sapientissimique fabrica, vacat; mortalium vero neminis unquam tanta fuit sollertia, ut eas impensius, quam Euripides, vitaverit. Exaggeratio vero miseriarum tum demum vituperanda est, si fit cum detrimento simplicitatis: nam si congruant res et apte haereant, etiam laudanda; idque in hac dramatis parte usu venit. Adsunt curandis funeribus et matres et liberi defunctorum; absunt, ad quas vel maxime calamitas pertinet, uxores. Potuit iis chori munus delegare poeta, sed matres vetulas, quam feminas aetatis vigore florentes, duce rege iuvene inter peregrinos versari, magis decere iudicavit. Quamobrem quum neque omitti coniuges, quin deesset pars necessaria, possent, neque tertii chori inducendi copia esset, unam instar omnium ob oculos posuit, cuius spectata pietate et amore reliquas minus desideraremus. Dixerunt mulieres vitam suam, privatam bono, quo omnis felicitas contineretur, nullam esse; nil sibi relictum esse praeter aegritudinem perpetuam et lacrimas. Hoc qui sentit, eum (veterum certe iudicio), nisi ignavus est, mortem quaerere necesse est: praestat enim inferorum numero accenseri, quam inter vivos mortuosque medium pendere:

οὐτ' ἐν τοῖς φθιμένοις

οὐτ' ἐν ζῶσιν κρινομένη,

χωρὶς δὴ τινα τῶνδ' ἔχουσα μοῖραν.

Sed videndum est, ut mors nostra aut superstitionibus aut defunctis utilis sit. Evadne vero, desiderii stimulis acta et furore quodam divinitus concita, quum fefellisset custodes e domo patris aufugiens, duce vel natura vel deo aliquo, ad rogam mariti, quo ne defuncto quidem carere vult, delata est. Quam quaerens pater, qui idem Eteocli

pater est, paullo serius eodem pervenit, quo praesente et frustra preces interponente in accensum rogam femina desilit, ut, ad latus iacens mariti, una combusta una ad inferos descendat. Honorum, qui defunctis tribuuntur, summus est una mori malle quam vivere orbatos eos, quibuscum mutuo amore illi coniuncti fuerunt. Quibus in honoribus celebrandis quum universum hoc drama occupatum sit, huiusmodi facto recte consummatur.

Ardori Evadnae simile quicquam a priorum poetarum ullo inventum fuisse non est verisimile. Neque enim ille nasci aut inveniri potuit, antequam ea, quae prisci admirati erant, pro inanibus haberi atque contemni coeperunt. Deus, qui in mortalium pectoribus dominatur, curat, ne unquam extinguatur ardor, quo inflammati homines spreto humilibus sublimia petunt; utque contraria fere inter se coniuncta esse solent, ita illius aetatis sobrietas et prudentia, ab opinabilium rerum admiratione alienissima, novum quendam peperit impetum, quo ad sempiterna pro caducis, ad animi bona pro corporis, ad divina pro humanis amplectenda homines multo incitatus ferebantur, quam rerum corporis viribus gestarum gloriam priores secuti erant. Eius autem impetus interpretis existit Euripides. Et hoc quidem loco imaginem furoris plane singularis ac paene monstrosi proposuit, cui similes in romanticorum quidem qui dicuntur poetarum carminibus multae occurrunt, nullae in Graecorum, qui ante Euripidem fuerunt. In celsa rupe mulier subito apparet fanatica, avis instar suspensa, ornata coronis auroque*), ut hilaris diis manibus hostia veniat, imminens flammae rogi ardentis, cantans carmen plenum ardoris, vocans virum, cui se devovet, praedicans matrimonium, cui se totam consecraverit. His aliisque dictis, quibus consilium

*) Philostratus, qui haec in Imag. II. p. 826. imitatus est: ἡ δὲ γυνή, καθάπερ οἱ ἐς τὰ ἰσθὰ στεφάνους τε καὶ χρυσὸν ἐξασκοῦντες, ὡς φαιδρὰ θύοιτο καὶ ἐς χάριν τοῖς θεοῖς, οὕτως ἑαυτὴν στείλασα καὶ οὐδὲ ἐλεεινὸν βλέπουσα πηδᾷ ἐς τὸ πῦρ κτλ. Rogum hic a Cupidinibus facit accendi.

snum significaret, non audiens patris voces, laeta, quasi ad deos ascendat, in ignem ad latus mariti devolat*). Pater autem miserrimus, duobus liberis praestantissimis cum genere orbatus, privatus fructu laborum, quos in illis tollendis educandisque toleravit, solus in senectute relictus, neque ossa defunctorum attrectare neque amplius vitam inutilem extendere vult, sed statim domum se reduci iubet, ut tenebris tectus vitam inedia finiat.

Cum Oedipodarum sorte suam commiscens horum fato ad perniciem una trusus est. Hanc sententiam et universum drama et partes eius mentibus spectatorum inculcant. Evadnae autem rebus similitudo inest eorum, quae Oenomai fabula ostenduntur, quam uno didascaliae corpore cum Supplicibus coniunctam fuisse suspicamur.

His peractis, extinctis ignibus, pueri ducum compositorum in scenam prodeunt urnas tenentes, quibus ossa patrum collecta insunt, et naeniae canuntur, alterna vice pueris matribusque memoriam extinctorum querelis prosequentibus. Onus gestant grave doloribus, leve pondere; cineris exiguum modum pro robustis quondam corporibus. Carent pueri praesidio, carent matres fructu laborum atque vigiliarum: haec enim omnia, igne soluta, partim in aetherem partim in Orcum abierunt. Sed extinctis viris non est extincta vindicta: superstites sunt ultores, qui, ferreis armis induti, memores pique ea, quae patres nequiverunt, perficiant: ad quod conandum et matrum dolore et suo impelluntur. Haec sic cantantur, ut praeecuntibus pueris matres, non singulae, sed universae, succinant, confirmantes illorum verba et sententias fere dimidiatas explentes. Puerorum cantus pluribus tragoediis noster inseruit, gratificans, credo, Timotheo musico et acutae symphoniae voci modulandae dare locum volens.

Priusquam Adrastus et ii, quos adduxit, donati publice ossibus cineribusque mortuorum abeant, iubente Theseo,

*) Haec imitatus est Ovidius Amat. III, 21:

„Accipe me, Capaneu! cineres miscbimus, inquit
Iphias, in medios desiluitque rogos.”

promittunt, se, memores accepti beneficii, gratiam esse civitati Atheniensium relaturos. His finiri drama potuit. Nam quae Minerva praecipit ad argumenti exitum explicandum nil pertinent. Iubet enim iureiurando Argivos obstringi se nunquam in Atticam infestis armis invasuros, iuramentum autem tripodis inscribi, eumque Delphico deo servandum tradi, et huius generis alia hominum, qui tum erant, opinionibus accommodata. Tum filiis eorum, qui apud Thebas interfecti sunt, pollicetur fore ut vixdum puberes, duce Aegialeo ac Diomede, Thebas expugnando patrum mortem vindicent.

Argumentum fabulae tale, quale ab Euripide conformatum fuit, retulerunt Pausan. I, 39, 1. 2. Diodor. IV, 65. Apollod. III, 7. Non armis pugnando, sed persuadendo paciscendoque cadavera a Thebanis impetrata esse et mutasse Euripidem tradita a prioribus dixit Plutarchus in vit. Thes. c. 29. Sed praeierant illi et Herodotus IX, 27. et Aeschylus in Eleusiniis (Plut. l. l.), quem Euripides potest imitatus esse. Laudes Atticorum et in hoc drama et in Heraclidis et in Erechtheo praedicatas frequenter imitati sunt Rhetores, velut Isocrates in Panegyrico, qui et argumenta fabularum, quas dixi, retulit. Etiam Aristoteles Polit. V, 9. p. 151. in iis, quae de rerum publicarum formis disputavit, Euripidem imitatus est. Denique non omittam, quod Macedones quondam, Aetolorum saevitiam, qua Diu Dodonamque vastaverant, ult, excisi oppidi Thermi parietinis inscripserunt versum celebratissimum (861.):

ὄρας τὸ Δῖον οὐ βέλος διέπτατο.

Nulla huic dramati inest persona, quam principalem dicere possis, nisi forte chori eas partes esse putandum sit. Legum etiam, quas critici proponunt, plerasque laesas esse apparet; et tamen movendo docendoque vix ullam tragoediam aptiorem fuisse intelligitur.

B. Oenomaus.

Argumentum huius fabulae apud Diodorum IV, 73., cuius verba Servius Virg. Georg. III, 7. iteravit, et Hyginum exstat. Imitatus est Euripidem Attius, id quod ex his maxime verbis inter se congruentibus intelligitur:

τεκμαιρόμεσθα τοῖς παροῦσι τάφανῃ.

„atque ea coniectura auguro.”

Prooemii materia his inest Hygini verbis: „Oenomaus, Martis et Asopi*) filiae filius, habuit in coniugio Evareten, Acrisii filiam, ex qua procreavit Hippodamiam, virginem eximiae formae, quam nulli ideo dabat in coniugium, quod sibi responsum fuit, „a genere mortem caveret” **). Itaque cum complures eam peterent in coniugium, similitatem constituit, se ei daturum, qui secum quadrigis certasset victorque exisset (quod is equos Aquilone velociores habuit), victus autem interficeretur.” Haec ab Hippodamia ipsa commode theatro exponi potuerunt. Horrebat virgo crudelitatem, qua plurimi iam viri nobiles trucidati et capita super valvas, deterrendorum procorum caussa, fixa erant, simulque suam vicem dolebat, quod connubio privaretur: unde cum odium patris concepisset, ad deserendum eum prona fuit ***).

Alteram prologi partem colloquio Pelopis, forte ex Phrygia advenientis, et Hippodamiae confectum esse suspicor; cf. Diodorum l. l.: Πέλοψ δὲ ὁ Ταντάλου καταντήσας εἰς Πίσαν καὶ θεασάμενος τὴν Ἰπποδάμειαν ἐπεθύμησε τοῦ γάμου.

Post parodum Oenomai atque Pelopis colloquium sequi potuit. Caussam adventus his verbis ostendit Pelops:

*) Sic ex Diodoro reponendum pro Asteropes esse censui.

***) Servius vel Diodorus: „Finem vitae ab oraculo sciscitanti responsum est tunc in fata illum casurum, quum filia nupsisset. Decrevit igitur filiam perpetua virginitate frui.”

****) Philostr. iun. Im. 10: ἐρᾶται γὰρ καὶ τὸν γεννήτορα μυσάτεται τοιούτοις ἀκροθινίοις φρονοῦντα, ἃ δὴ ὀργῆς, κερφαλῆς ταύτας τῶν προπυλαίων.

„Coniugium Pisis petere, ad te itiner
tendere” —

„Ego, ut essem adfinis tibi, non ut te
exstinguerem,

Tuam petii gnatam; numero se expurgat
timor.”

Ostendit Oenomaus capita priorum procorum in valvis fixa:

„Horrida honestitudo Europae princi-
pum primo ex loco.

Metum hoc spectaculo Pelopi iniectum esse dicit Hygi-
nus: „Multis interfectis, novissime Pelops, Tantali filius,
cum venisset et capita humana super valvas fixa vidisset
eorum, qui Hippodamiam in uxorem petierant, poenitere
eum coepit, regis crudelitatem timentem.” Reliqua pars
narrationis Hygini ab Euripide recedit. Non enim clavos
rotis detrahare Myrtilum iussit Pelops, sed terriculamen-
tum aliquod in curriculo infodere, quo equi consterna-
rentur:

„Fer te ante Auroram, radiorum arden-
tum indicem,

Cum e somno in segetem agrestes cor-
nutos cient,

Ut rorulentas terras ferro rufulas

Proscindant glebas arvoque ex molli ex-
citant.”

Cf. Pausan. VI, 20. p. 504 seq.: ἐπονομάσαι Ταράξιππον,
ὅτι τῷ Οἰνομάῳ διὰ τοῦ Μυρτίλου τῆς τέχνης ἐταρά-
χθησαν αἱ ἵπποι κτλ. Ex eodem Pelopis et Myrtili colloquio
depromptum esse suspicor fragm. inc. 237:

οὐκ ἐγγνώμαι· ζημία φιλέγγνον

σκοπεῖ· τὰ Πυθοῖ δ' οὐκ ἐᾷ γεράμμενα*).

Quae verba bene conveniunt in Pelopis personam malam
perfidio aurigae gratiam relaturi.

Certaminis rationem his verbis persequitur Diodorus:

„Equorum instituit cursum a Pisa ad aram Neptuni, quae

*) Vulgo σκοπεῖν τὰ Πυθοῖ δ' οὐκ ἐᾷ τὰ γεράμματα. Scripta
autem erat in templo Delphico sententia Chilonis: ἐγγνώα,
πάρα δ' αἶτα.

erat apud Isthmum Corinthi. Cursus autem erat eiusmodi. Oenomaus arietem Iovi sacrificabat; qui autem virginem postulabat, quattuor equorum ferebatur curru. Sacris demum peractis, Oenomaus cursum incipiebat et sequebatur praecedentem, secum habens hastam et Myrtilum aurigam. Nactus eum, quem persequabatur, hasta feriebat interficiebatque procum. Hoc pacto cum semper equorum velocitate assequeretur aemulos, multos interfecerat."

Certus de victoria Oenomaus haecce dicit:

*„Atque hanc postremam solis usuram
cape.”*

Sacrificium his verbis indicit:

*„Vos ite actutum atque opere magno
edicite*

*Per urbem, ut omnes, qui arcemque astu-
que accolunt,*

*Cives ominibus faustis augustam adhi-
beant*

*Faventiam, ore obscoena dicta segre-
gent.”*

Nuntius quidam Hippodamiam de eventu certaminis certiolem facit.

NUNTIUS.

„Praesto iam adsum.”

HIPPODAMIA.

„Expromito,

*Quid fers: nam te e longo itinere cerno
vadere.”*

Ex locis editis cursum a se spectatum esse ait nuntius:

*Quemcunque institeram grumum aut
praecisum iugum*).*

Locum periculosum, in quo currus Oenomai fractus sit, his verbis designat:

*Saxum id facit angustitatem, et sub eo
saxo exuberans*

Scatebra fluvia eradit rupem.

Quum procul spectans infortunium Oenomai non omnia

*) Nonius: Grumus dicitur agger, a congerie dictus.

explorata compertaque habeat, quaedam coniectura suspicatur:

τεκμαιρόμεσθα τοῖς παροῦσι τὰφανῆ.

„Atque ea coniectura auguro.”

Chorus tantum abest, ut vicem regis doleat, ut iustam numinis vindictam in calamitate eius agnoscat:

ἐγὼ μὲν εὔτ' ἂν τοὺς κακοὺς ὄρω βροτῶν

πίπτοντας, εἶναί φημι δαιμόνων γένος*).

Hippodamiae tribuo verba, quibus fatum nulla arte vitari posse declaratur:

ὁ πλεῖστα πράσσων πλεῖσθ' ἀμαρτάνει βροτῶν.

Parta victoria Pelops extemplo ad Hippodamiam ex eo ipso loco, quo haec cursum spectaverat, abducendam reversus est. Philostr. epist. XLII: οὐκ ἤκουσας τὸν Πέλοπος δρόμον, οὐκ ἐθαύμασας τὴν ἐκ θεάτρου γαμηθῆεῖσαν; Idem ep. XLVII: οὐδὲ γὰρ τὸν Πέλοπα ἢ Ἰπποδάμεια ἠτίμησε ξένον ὄντα καὶ βάρβαρον.

Reversus in scenam Oenomaus, quum desertum se a filia videret, quam vehementiore quam paterno amore dilexisse dicitur, simulque fatum a diis destinatum sibi venisse crederet, mortem sibi conscivit: qua de re haec sunt Servii sive Diodori verba: „Quo dolore actus Oenomaus, existimans adyenisse responsi tempus, sibi mortem conscivit.” Aegritudinem hisce verbis declaravit:

ἔν ἐστι πάντων πρῶτον εἰδέναί τόδε,

φέρειν τὰ συμπίπτοντα μὴ παλιγκότως ·

χοῦτός γ' ἀνὴρ ἄριστος αἶ τε συμφοραὶ

ἤσβον δάκνουσιν · ἀλλὰ ταῦτα γὰρ λέγειν

ἐπιστάμεσθα, δρᾶν δ' ἀμηχάνως ἔχει

— — — — —
ἀλλ' ἔστι γὰρ δὴ κἂν κακοῖσιν ἠδονὴ

θνητοῖς ὄδυρμοὶ δακρύων τ' ἐπιρροαί,

ἀλγηδόνας δὲ ταῦτα κουφίζει φρενῶν

καὶ καρδίας ἔλυσε τοὺς ἄγαν πόνους

— — — — —
ἀμηχανῶ δ' ἔγωγε κοῦκ ἔχω μαθεῖν,

εἴτ' οὖν ἀμεινόν ἐστι γίγνεσθαι τέκνα

*) Orion V, 5. Schneidew. p. 47.

θνητοῖσιν, εἴτ' ἀπαιδα καρποῦσθαι βίον.
 ὄρω γὰρ οἷς μὲν οὐκ ἔφυσαν ἀθλίους,
 ὅσοισι δ' εἶσιν οὐδὲν εὐτυχεστέρους.
 καὶ γὰρ κακοὶ γεγῶτες ἐχθίστη νόσος,
 κἄν αὖ γένωνται σώφρονες, κακὸν μέγα·
 λυποῦσι τὸν φύσαντα, μὴ πάθωσί τι.

ὅστις δὲ θνητῶν βούλεται δυσώνυμον
 εἰς γῆρας ἔλθειν, οὐ λογίζεται καλῶς·
 μακρὸς γὰρ αἰὼν μυρίους τίθει πόνους.

Disparem fabulae conformationem, cuius auctor Sophocles fuisse potest, Lucianus in Charidemo c. 20., Philostratus Im. I, 17., Hyginus c. 253., Schol. Apoll. I, 756. aliique memoriae prodiderunt. Myrtilo enim dicunt ab Hippodamia persuasum esse, ut cereos clavos pro ferreis rotis iniiceret; Oenomaum in ipso cursu interiisse*); eundem non oraculo monitum, sed quod filiam ipse praeter naturam amaret neque a se dimittere vellet, dolum excogitasse, quo proci perirent; Hippodamiam ex ipso certamine, cum Pelopis curru veheretur, cum hoc aufugisse; Pelopi currum a Neptuno donatum fuisse cum equis immortalibus; deos ipsos virginis, quod flore aetatis ei frui non liceret, misertos esse et Pelopi praesentes auxilium tulisse. Hanc fabulam expressam videmus in amphora eadem, qua Archemori fatum exhibetur, itemque in ea, quam Dubois Maissonneuve tab. XXX. curavit reddendam.

C. A n d r o m a c h e.

Mirum est dictu, quantum Euripidi criminationum iniuriarumque importaverit iudicii illa perversitas, qua vulgo, nisi ad unam personam primariam omnia referantur, traegodiam ullam pro simplici unaque habendam esse negant.

*) In Iphig. Taur. 823. etiam Euripides Oenomaum a Pelope hasta transfixum esse finxit.

Μῆνιν ἀειδε θεὰ dicens in principio operis Homerus non in uno homine, sed in uno facto eiusque eventibus cardinem rerum et simplicitatem operis a se poni significavit; idque non epicis solis, sed tragicis quoque faciendum esse iudicavit summus arbiter Aristoteles. Ubi-
cunque autem in factis insignibus, gravibus et ad multos pertinentibus momenta rerum communia ponuntur, principales istae, quas recentiores appellant, personae frustra quaeruntur. Itaque in Andromachae fabula primae quidem partes ei feminae, ex qua tragoedia nomen accepit, mandatae sunt, sed pro principali persona neque haec neque Hermione haberi potest. Iniuste igitur criminantur hodie, copulatis duabus actionibus duabusque personis principalibus opus male coagmentatum simplicitate carere. Quod si id, quod isti volunt, propositum fuisset Euripidi, quid attinuit Neoptolemi caedem copiosius describere, quum obiter commemorare satis esset? quid, Pelei obitum accuratius persequi? quid, Thetidem adhibere et facere dicentem ea, quae ad neutram personam principalem quicquam pertinerent? Accedit, quod chori carminum pleraque, si ad illam normam exigantur, otiosa sunt. Qualis autem poetae mens et consilium fuerit, drama ipsum perlustrantibus et ad graviora dicta accuratius attendentibus planum erit.

Actio dramatis in oppido quodam Thessaliae, prope Phthiam Pharsaliamque sito, constituitur, quod Thetideum vocatur propterea, quod ibi Thetis cum Peleo seorsim ab hominibus habitasse fertur. Ibi Neoptolemus ex Troia redux, cum vivo Peleo regnum accipere nollet, sedem fixisse fingitur. In conspectu sunt aedes Neoptolemi, et prope eas fanum Thetidis, quod, ut monumentum nuptiarum, religione colitur a Pelei sobole sanctissima. In hoc Andromache, de vita sua timens, confugit; puerum autem, quem ex Neoptolemo conceptum peperit, extra domum clam ablegavit. Verba igitur facit Hectoris coniux, quam expugnata Troia filius eiusdem viri, qui Hectorem occidit, captivam pro pellice abduxit. Qua utens conditione mulier miserrima aliquid nacta erat solatii ex filio Molosso, donec Neoptolemus Hermionam, Helenae filiam, in matri-

monium duxit, quae, quum sterilis esset, aemulam accusavit, sterilem se factam esse invisamque marito occultis illius medicamentis, quae quidem tantum aberat ut tori consortio delectaretur, ut, cum principio invita inisset, hoc tempore iam reliquisset. Quaerens autem Hermione occasionem aemulae cum filio eius occidendae, Neoptolemo ad oraculum Delphicum profecto, statim patrem ex Sparta arcessivit, quo adiuvante conata perficeret: cuius ex adventu mala sibi praesagens Andromache filium quidem parvulum aliquo tuto loco occultavit, ipsa autem in ara fani supplex consedit.

His ab Andromacha prooemio dilucido probabilique, ut ait argumenti auctor (*πρόλογος σαφῶς καὶ εὐλόγως εἰρημένος*), expositis, convenit illam mulier quaedam Troiana, quae, cum famula Andromachae in Troia fuisset, una cum hac Phthiam a Neoptolemo abducta erat. Quae quum eadem fide et benevolentia captivam, qua quondam dominam, colat, Andromachon de periculo filii certiore facit, comperto, quo loco occultaretur, Menelaum ad illum rapiendum profectum esse. His auditis Andromache auxilio destituta impetrat a famula, ut nuntium discriminis, in quo Molossi salus versetur, ad Peleum senem clam perferat; ipsa interim mala et priora et praesentia deplorat threnum versibus elegiacis fundens, quem numero praestantissimarum huius dramatis partium esse iudicat is, qui scripsit vetus arguentum (*ἔτι δὲ καὶ τὰ ἐλεγεία τὰ ἐν τῷ θρήνῳ τῆς Ἀνδρομάχης*). Unicum hoc carminis elegiaci in tragoediis, quae exstant, occurrit exemplum, sed certe numeri rebus accommodatissimi sunt. Est autem hoc carmen initium parodi, in qua iisdem rursus hexametris dactylicis utitur poeta, sed ita, ut singulis plures ithyphallicos, paroemiacos aliosque eius generis versus subnectat. Chorus, ex feminis Phthiadibus constans, misericordia atque benevolentia ductus ad captivam Troianam congregatur; ceterum eam monet, ut necessitati pareat missaque contentione et relicto delubro, quum ipsa serva sit ac peregrina, dominis Spartanis potentissimis se submittat.

Videmus iam tres quasi partes inter se conflictantes, quarum prima sunt Spartani victores, altera Troiani victi subditique, tertia socii affinesque Spartanorum, Phthiotae sive domus Pelei. Nam hac mente haec a poeta sic efficta esse, ut quasi gentium civitatumque personas ii, qui producuntur, gerere viderentur, inde intelligitur, quod saepius populorum civitatumque sic facit mentionem, ut ad illos privatorum facta dictaque eum revocare appareat. Et victores quidem superbos, arrogantes, iniustos effingit, neque minus sociis quam subditis iniquos. Impudentissime enim facit Menelaus, in aliena domo tanquam in sua dominans simulque fictis criminibus innocentes damnans improbissime. Huius populi amicitiam secuti Pelidae feminae improbae repetendae causa Troiam everterunt, quo facto malam mercedem mali tulerunt facinoris. Mala enim merces Hermiona est, improbae matris improba filia, mala merces captiva Andromache, eius quondam viri uxor, qui crudelissime a Pelide ipso, patre eius, qui in matrimonium duxit, interfectus et circum urbis moenia tractatus et canibus volucrisque proiectus est. Et Hectoris quidem mortem pridem ultus est Apollo. Huius enim iussu atque impulsu ille in templo eiusdem interfectus est; idem iam filio eius supplicium paratum est. Fingitur enim Neoptolemus, quum antea Delphos profectus paternae necis poenas a deo expetisset, hoc tempore rursus expiandae temeritatis causa eodem contendisse: ubi dum versatur, deus, spreta satisfactione eius, mortem ei per Orestem curat inferendam. Continuatur igitur Hectoris, pridem defuncti, ultio, eiusque ultionis pars etiam ad Andromachen pertinet, quam quidem, priori marito unice fidam, concubinae loco Neoptolemus habet invitam. Declaravit poeta mentem suam et Achillis interitum et Astyanactis pueri necem et reliquas Andromachae calamitates statim in prooemio describendo. Inde planum iam fore arbitrator, summam rerum in Pelidarum domus interitu ostendendo poni, ad quem illa, Spartanorum societatem improbam sequens malamque gratiam pro iniusto auxilio accipiens, detrudatur. Neoptolemo partem actionum tribuisset Euripides, si locum actionum mutare licuisset. Pri-

mas tamen partes ne Sophocles quidem, idem ornans argumentum, huic detulisse videtur: Hermionae enim pro Neoptolemi nomine fabula eius appellari solita est.

Prodit in scenam Hermiona Lacedaemoniae gentis fastum insolentiamque et vestimento et dictis et factis referens. Spartanos constat in peregrinis terris degentes legumque patriae vinculis liberatos facillime ex domestica esse frugalitate in luxuriam degenerare solitos. Idem Helena, inter Troianos versans, passa est, quam corruptellam ad Hermionam filiam hereditate tradidit. Conspicitur igitur haec femina capite auro gemmisque ornato, corpore splendidis vestibus instructo, ut Asiaticum luxum cum Lacedaemonia superbia coniunctum ostendat. Quem splendorem admirationi invidiaeque mulieribus Phthiadibus esse animadvertens, statim eas occupat, glorians non a marito se his divitiis instructam esse, sed ex paterna domo opulentissima ampla cum dote attulisse. Licere igitur sibi ait libere loqui, divitiis fretae. Servam autem captivam sibi aequari, quin etiam domum se expulsa solam occupare indignum esse. Quae quamvis ad aram supplex consederit, tamen eam aut interfectum iri propterea, quod invisam se marito sterilemque reddat, aut, si sospes esse velit, fore ei genibus suis corpus advolvendum, fore domum verrendam ex aureis vasis aquam spargenti, denique fore, ubi locorum sit, cognoscendum. Turpe esse eam cum filio eiusdem, qui maritum ipsius occiderit, concumbere; sed enim talem esse barbarorum gentem, ut fas nefasque confundat. Neque decere eum, qui bene rem domesticam administrare velit, unum pluribus uxoribus uti, sed ad unam respicere legitimam. Convenire hanc orationem personae Hermionae merito iudicarunt veteres (*ῥῆσις Ἑρμιόνης τὸ βασιλικὸν ἐμφαίνουσα*). Neque enim haec quidquam dicit agitve, quod non deceat matronam paternis opibus et propinquorum potentia fretam, pellici servae postpositam, fecunditate carentem, amore viri privatam. Laudandum est etiam hoc, quod opprobria atque crimina, quibus et aemulam mulier invida oneraret et suam iracundiam excusaret, poeta speciosissima excogitavit. Foedum enim revera facinus est, quod cum mariti sui interfecto, quos ulcisci debet,

Andromacha concumbit, quod invitam se facere testans Hermionae non persuadet. Denique pestem coniugiorum esse pellicum amores dicens, sententiam effatur eam, quae huius dramatis argumento ipso confirmatur.

Andromachae oratio prudens, eademque et animosa et considerata est, planeque constantiae feminae probissimae accommodata. Exordium ex insinuatione et principio constat. Primum enim loco communi utitur: malum esse iuventutem, et in iuventute iniustitiam. Deinde vereri se dicit, ne, quoniam ipsa serva sit, locum non inveniatur oratio sua, neve ipsa veritas, quod vinci se argumentis aegre ferant potentiores, sibi detrimento sit. Tum crimina diluit et suspiciones absurdas esse ostendit. Inde veras causas, propter quas Hermione a marito parum ametur, ingenue exponit. Vehementius ait modestia, obsequio, indulgentia, pudicitia, quam formositate corporis, amorem conciliari; nulla autem re viros magis alienari, quam arrogantia et concubitus cupiditate parum celata. Characterismus inest hisce: Tu, si quid te pungit, magnam dicis Lacaenam civitatem, Scyrum nihili facis, divitem te inter egenos fers, et Achille maior tibi est Menelaus. His moribus plane contrarios se ipsam Hectori quondam marito suo exhibuisse ostendit. In fine hac utitur sententia: noli matrem tuam imitari: malarum enim matrum mores vitant filiae, quibus sana est mens. Has orationes excipit altercatio, qua Hermione, quum suam causam inferiorem esse intelligat, sine ambagibus moriendum aemulae esse declarat, seque, nisi lubens illa delubrum deae relinquat, inventuram esse ea, quibus cogi possit, minatur. Cuius minis non movetur Andromache; ceterum remedium malitiae mulierum, atrocissimae pestis, nullum a diis concessum esse queritur.

His peractis chorus ad causam belli Troiani memoria rediens trium dearum contentionem et Paridis iudicium et perniciem ab hoc universae genti inlatum carmine elegantissimo persequitur. Cuius commemorandae duas fuisse video causas, quarum altera est, quod illustri aliquo exemplo poeta, quam perniciosae essent tum feminarum aemulationes tum virorum libidines, ostendere voluit;

altera, quod iis, quae hoc dramate continentur, ea, quae apud Troiam gesta sunt, quodammodo iterantur. Nam et Neoptolemus paternae impietatis heredium accepit, et Hermione quasi altera Helena pestem regno, in quod transducta est, importat, et Menelaus iterum pro improba muliere certamina movet, et Andromache, Hectoris dignissima coniux, adest, cuius contumeliam una cum illius nece deus persequatur.

Venit Menelaus Molossum adducens comprehensum, minaturque se eum occisurum, nisi Andromache relicto sacello sua morte filium redimat. Iterum Andromache oratione utitur ut Hectoris uxore digna ita ad iram dominorum magis accendendam, quam restinguendam, idonea. Huius orationis priore parte ostendit turpe esse quod Menelaus moliatur, altera idem ne utile quidem, sed potius ipsis auctoribus perniciosum. Orditur ab exclamatione, qua conqueritur, indignos saepe homines fama atque opinione extolli, esseque gloriam non virtutis fructum, sed fortunae donum, siquidem Menelaus Troiam vicisse feratur, vir tantae vecordiae, ut filiae stolidae obtemperans cum muliercula misera in certamen descendat. Non amplius, inquit, nec te Troia nec rursus Troiam te dignam iudico. Tales homines foris splendidi sunt, intus, praeterquam quod praestant opibus, similes vulgaribus. Deinde multo acerbiora mala, quam quibus hoc tempore filiam laborare putet, ex caede, quam patrare conetur, et ipsi et Hermionae oritura esse docet. Primum enim piaculum atque infamiam contrahi, deinde Hermionam a Neoptolemo domo pelli necesse fore, tum turpi de causa dimissae viro carendum et apud patrem consenesendum. Denique monet, ne propter levem rem grandia sibi mala parare, neve mulierum dementiam vir aequare velit, sed Neoptolemo, ad quem eae iniuriae damnaeque, si qua sint, perinde atque ad Hermionam pertineant, iudicium suppliciumque sumendum permittere. Haec partim pudorem iniicere partim ad sanam mentem reducere quemvis potuerunt praeter eum, qui unius mulieris causa bello moto Troiam perdidit. Verissima tamen sunt quae Me-

nelaus dicit*): Haec parva quidem sunt neque digna imperio meo; at scito, quo quis opus habet, id maius cuique est, quam Troiam capere. Itaque ego in his filiam meam adiuvo: vita enim excidit mulier, quae viro excidit. Reliqua speciosa sunt: quoniam communia sint bona amicorum, licere sibi Neoptolemi loco de servis eius decernere. Non Menelaum solum, sed omnes Spartanos, eodem utentes praetextu, sociorum sive amicorum, quos vocabant, rebus saepissime se immiscuisse et in alienis civitatibus, tanquam in sua, versatos esse notum est.

Quum alteri de duobus, aut matri aut filio, utique moriendum esset, illa sua morte filium redimere non dubitat. Et initio quidem precatur, ne, quod coacta cum dominis concubuerit, se pro auctore malorum interficere velit; mox autem reputans miserias, et quas antea perpessa est et quae hoc tempore imminent, mortem vita infelicissima potioem esse cognoscit. Itaque, relicta ara, hostibus se trucidandam tradit; ceterum filio mandat, ut, memor matris, patrem blanditiis ad ulciscendam necem crudelissimam impellat. Materni animi sensum gravissima declarat sententia, quam a filio discedens effatur: omnibus mortalibus vita sunt liberi; quibus qui aequo animo carent, minus quidem dolent, sed qua se uti putant felicitate, ea ipsa miseria est. Menelaus vero, Andromacha potitus, facinus committit uti indignissimum, ita Spartanis satis usitatum. Impudentissime enim, eliciendae matris caussa, quo citius in manus suas veniret, pueri mortem se praetendisse fatetur; iam, impetrato quod voluerit, hunc et ipsum filiae suae occidendum, si velit, commissurum esse. En vividissimam Spartanorum imaginem et verissima naturae gentis lineamenta! Unum Menelaum adspiciens omnes noveris, et Andromachae Molossique sortem intuens Helotas conspiceret tibi videberis, ex Neptuni templo Taenario per dolum protractos, insidiis circumventos, crudelissima caede catervatim pereuntes**).

*) Idem iudicarunt veteres: καὶ ὁ πρὸς Ἀνδρομάχην λόγος οὐ κακῶς εἰρημένος.

***) Notum est illud *Ταινάρον ἄγος*; cf. Thuc. I, 128.

Foedissimo autem facinore eo ipso tempore, quo haec tragoedia acta est, duo millia Helotum fortissimorum de medio sustulerant. Nam quum id agerent Lacedaemonii, ut exercitum duce Brasida in Thraciam mitterent, Helotas iusserunt stipendia facere et, libertate proposita, praeceperunt, ut, quicumque se fortes ac strenuos esse iudicarent, a reliquorum turba secernerentur. Hac enim ratione facillime mentes illorum explorari putabant: nam ut quisque maxime se dignum duceret libertate, ita maxime eum propter elationem animi primum fore ad insidiandum. Quorum quum ad duo millia discreti essent et templa coronati, tanquam libertate donati, circumissent, non ita multo post de medio sublatis extinctique sunt, neque, quo quisque pacto interisset, compertum est*). Haec quin a nostro respiciantur, ipso dicente, non potest dubitari:

ἡ ταῦτ' ἐν ὑμῖν, τοῖς παρ' Εὐρώτᾳ, σοφά;

Ceterum summa illo tempore, quo haec fabula acta est, indignatione Athenienses Lacedaemoniorum tergiversatione atque insidiis incensos fuisse supra ostendimus. Atheniensium igitur personam ferre Andromache videtur opprobriis atque criminationibus gravissimis non Menelaum tantum, sed universum populum Lacedaemonium exagitans. Neque tamen illa animositas, qua, mortem contemnens, pro supplici celsa contumaxque conspicitur et magnifica oratione hominem turpem nefariumque percellit, non ipsius quoque ingenio optime convenit.

Andromacha cum filio in domum abducta, chorus praestantissimo carmine, aemulatio quantum in omnibus rebus malum sit, exponit. Neque enim domibus gemina coniugia aut civitatibus gemina imperia aut navibus geminos gubernatores salubria, sed discordiarum, seditionum, turbarum semper materiam esse, citiusque unum, quamvis minus excellat prudentia, quam multitudinem sapientium, quae ubique opportuna sint atque conducant invenire.

Deinde miserabile indignumque spectaculum oculis obfertur, cum Andromache vincata cum puero ad mortem

*) Thuc. IV, 80.

a Menelao ducatur flebilibusque querelis mater et filius alternis sortem suam deplorent. Atque illa, cum ipsa mortem pati non recuset, tamen filium iubet ad carnificis genua procumbentem misericordiam hominis implorare, qui, saxi instar durus atque immobilis, neque pueri innocentis precibus neque mulieris lacrimis retinetur, quominus iure utens victoris captivos, quos commodis suis obficere putat, interficiat. Sed repente Pelei interventu res commutantur, qui, postquam conspexit Andromacham cum filio vaccae instar cum vitulo ad lanii cultrum venditae morti propinquam, cognita causa, tanta exardet indignatione, ut quasi iuvenilibus receptis viribus Menelaum minis atque opprobriis oppugnet, donec pudore victus tergum homo uxorius vertat. Turpem illum turpis uxoris maritum fuisse, turpemque turpis filiae patrem esse arguit. Rursus autem haec singulorum vitia ex pravis civitatis moribus originem ducere ostendit. Non potest, etiamsi cupiat, mulierum Spartanarum ulla pudica castaque esse, quae nudis cruribus laxisque vestibus cum iuvenibus in palaestris discurrunt. Itaque Helenam ait cum adolescentulo peregrino in terram alienam aufugisse; Menelaum autem, hoc affectum dedecore, quam feminam etiam pecunia addita a se ablegare debuerit, eam totius Graeciae copiis contractis cum plurimorum parentum orbitate, cum plurimarum mulierum viduitate, cum immolatione filiae fratris recuperare studuisse, receptam autem non poena affecisse, sed abiecto gladio in amplexus ruisse. Et quidem ipsum incolume corpus, integra arma ex bello luctuosissimo retulisse. Monuisse se nepotem, ne cum eo, qui Achilli auctor mortis fuisset, affinitatem iungeret, neve malae matris pullum in domum reciperet; iam effecturum, ut Hermiona quidem domo pellatur, Molossus autem incolumis sit: saepe enim spurios filios legitimis et pauperes affines divitibus praestantiores esse.

Ad haec Menelaus, utpote conscientia convictus, leniter respondet. Et primum quidem rectum esse negat barbaram mulierem captivam eandemque interfectorum Achillis propinquam, quam in ultimas terras ablegare deceret, legitimae uxori anteferri ex eaque liberos tolli, qui

imperent Graecis. Deinde aequum esse dicit mulieri iniuria a marito affectae parentes atque cognatos opitulari. Helenam excusat: quippe deum impulsu peccasse, ut Graeci, cum antea bellorum rudes fuissent, rei militaris gloria auferentur; cui quod ipse veniam dederit, melius factum esse, quam quod Peleus ira abreptus Phocum occiderit.

Haec, ut sunt inania, merito Peleus negligit. Dolet autem admodum populariter, quod victoriarum gloriam, aliorum laboribus atque aerumnis partarum, duces sibi vindicent, sintque elato animo homines prudentia atque fortitudine multo reliquis inferiores. Tum sine mora, repulsis famulis, vincula Andromachae adiuvante Molosso solvit. Simul Menelaum cum filia, additis minis, e terra excedere iubet. In fine orationis hac utitur sententia: si bellica laus deesset Spartanis, plane nil praestarent reliquis.

His auditis Menelaus, timens non tam senem quam iuventutem, quae ad arma vocari possit, domum abit, civitatem quandam finitimam ad officium redire coacturus. Ceterum quo timidius agit, eo ferocius verba facit, se ad conata sua exsequenda remque cum genero disceptandam opportuniore tempore rediturum. Pulso hoste Andromachae animum senex confirmat.

Laude dignam Pelei personam habuerunt veteres critici, quorum iudicium refert scriptor argumenti: εὖ δὲ ἔχων καὶ ὁ Πηλεὺς ὁ τὴν Ἀνδρομάχην ἀφελόμενος. Atheniensium pars ea, quae idem atque Alcibiades sentiebat, probare haec potuit; contra eos, qui paci favebant, quum toto dramate tum imprimis hoc actu propter obtreptionem Spartanorum offensos esse arbitror. Plane enim universa Spartanorum disciplina ab Euripide damnatur, quum praeter virtutem bellicam quicquam ei boni inesse neget. Et recte quidem: nam sublata feminarum pudicitia et coniugiorum sanctitate tolluntur domesticae virtutes, tollitur sensus humanitatis. Nec praeter patriae amorem et fortitudinem, quorum ille cum foedo proprii commodi studio, haec cum immani animorum durtia coniuncta erat, ulla virtute insignes fuerunt, ullam rem generi humano utilem invenerunt, quicquam operum magnorum atque praestan-

tium posteritati tradiderunt. Vincere hostes et victorum iure crudeliter uti neque ullum facinus, quod modo ipsis utile esset, horrere unice sciebant*). Haec respiciens chorus praestare docet victoriam non invidiosam adipisci, quam opibus ac potentia ad subvertendam iustitiam abuti. Praeterea et Andromachae gratulatur, quod propter generis nobilitatem gloriamque Hectoris ex discrimine servata sit, et Pelei virtutem praedicat, quam quondam cum Lapthis Centaurisque pugnans, cum Argonautis navigans, cum Hercule Ilium evertens praestiterit. Hoc quoque carmen omnibus numeris absolutum est.

Finem iam haberet tragoedia, si Andromachae dumtaxat sors decernenda fuisset. Verum vix credas quemquam, qui non titulum operis solum inspexisset, sed fabulam ipsam diligentius legisset, hoc opinari potuisse. Nam in Pelei domo, non in Andromacha serva, summam tragoediae causamque totam consistere, propositumque poetae fuisse ostendere, qua ratione illa domus propter societatem cum Lacedaemoniis initam sive affinitatem cum Menelao iunctam interierit, non admodum difficile est cognitu. Hoc qui minus respexerunt, iis certe non licet in Euripidem culpam conferre, quasi illud propositum non plane commodeque declaraverit. Apertissime enim mentem suam et orationibus et sermonibus et sententiis, quibus personae utuntur, et totius operis structura declaravit. An quo facilius compositionem fabulae vituperare possis, illa omnia pro supervacaneis spectatorum lenociniis habere aequum est? Calumniari hoc quidem est, non aestimare.

Pestis in domum ac civitatem recepta est amicitia cum Menelao inita. Et primum quidem in Achillis caput ea pestis conversa est (cf. v. 605.). Alteram quasi praedam Neoptolemum absumptura est. Tertius Molossus interiisset, nisi Peleus malo, ne longius vagaretur, obviam isset, acrique medicamento utens, exturbato Menelao, puerum servasset. Hoc autem pulso, nondum omnes mali radices excisae sunt. Relinquitur enim in domo femina improba, quasi telum mortiferum in visceribus haerens, quod evelli

*) Liberalem disciplinam non in fortitudine neque opibus, sed in eruditione cerni recte iudicavit Isocrates Paneg. c. 13. p. 49.

non potest, quin profusione sanguinis mors consequatur, id quod in reliqua dramatis parte perfici videmus.

Deserta igitur a patre Hermiona non minus vehementi poenitentia, quam antea vehementi iracundia, perturbatur, metuque trepidans, ne maritus iustissimas delictorum poenas sumat, tanto aestuat dolore, ut modo gladio pectus percutere, modo laqueo collum implicare conetur, nutrice cum famulis ab utroque prohibentibus. Postremo, mente alienata, in publicum se proripit, passis crinibus, vestes scindens, genas unguibus lacerans, in flammis, in mare se praecipitare, in aerem tollere, in solitudines aufugere cupiens. Quam sic mente perturbatam dum consolari sedareque nutrix studet, venit, in locum Menelai successurus, pestis domus Pelidarum multo etiam, quam ille, atrocior, Orestes, qui forte, quum per Phthiam ad oraculum Iovis Dodonaeum proficisceretur, cognito Hermionae Andromachaeque dissidio, speculatus erat, quemnam illius et Menelai consilia eventum haberent, ut, data opportunitate, Hermionam sibi vindicaret. Fuerat enim ei a Menelao, priusquam Troiam proficisceretur, desponsa, sed postea rursus Neoptolemo, si Troiam excidisset, promissa: quod factum aegre ferens Orestes, ut qui a patria exsulans ac parricidio inquinatus difficile alienorum affinitate reciperetur repudiatus a propinquis, supplicibus precibus contenderat a Neoptolemo, ut, respectu habito infortunii sui, sponsam sibi cederet. At is contumeliose propulit matricidam, qui tum quidem, miseriis oppressus, iniuriam pertulit, sed ulciscendi opportunitatem expectare constituit, quam hoc tempore adeptus est. Nam non solum Hermionam abducit, sed Neoptolemum quoque, deo iubente, huius simul suasque iniurias persequens, interficit.

Orestis atque Neoptolemi de Hermiona contentionem caede Neoptolemi finitam Sophocles, idem argumentum tractans, summam fabulae constituerat. Delphis res agebantur, quo Neoptolemus cum uxore, sterilitatis remedium quaerens, se contulisse fingebatur*). Et quidem illam prius a Neoptolemo rapi fecerat: cuius matrimonium cum invita passa esset propter Orestis, cui desponsa erat, amo-

*) Cf. Welck. p. 319 scqq.

rem, interfecto per Machaereum raptore, Orestes illam recuperabat**). Hoc igitur argumentum a Sophocle mutatus Euripides admixta mulierum ac Menelai contentione fabulam amplificavit. Praeierat quodammodo in hac quoque parte Sophocles: sterilem enim Hermionam finxerat, Andromacham contra trium liberorum possessione felicem. Primas partes quum Hermionae tribuisset, non magis in huius persona cardinem rerum posuisse potest, quam in Andromachae persona vertitur apud Euripidem, sed ad fatum Pelidarum non minus illum quam hunc omnia retulisse necesse est. Copiosiorum argumentorum multiplicisque implicationis amans Euripides non ex uno fonte duxit eventum, sed plures causas ad eandem rerum conversionem fecit conspirantes. Qua in re facilius tardorum hominum reprehensionem vitasset, si statim in principio dramatis Orestem producere atque eo more, quo solent nostri poetae, rerum momenta actionesque miscendo unius rei tenorem ei interpellare licuisset. Quod facere quum et destinatus numerus actorum et scenae simplicitas et reliqua institutorum morositas vetaret, alteram post alteram actionem institui necesse fuit. Non potuit enim Orestis atque Hermionae colloquium, antequam Andromachae, arae insidentis, sors decerneretur, in scena exhiberi. Alioquin Orestes Hermionae iram acuens et ad tollendam aemulam ultro mulierem, quam recuperare cupiebat, incitans citius certiusque potuit eo, quo tendebat, pervenire. Commodissime etiam Neoptolemi atque Orestis colloquium exhibuisset poeta, si locum actionis mutare licuisset. Nihil horum reputatum est ab iis, qui futilissimis criminationibus poetae famam lacerare nunquam desinunt.

Conspecto Oreste ac de rebus actis edocto, spem salutis concipit Hermione. Itaque obtestatur obsecratque eum, ut, priusquam Neoptolemus Delphis redisset, se ex hac terra domoque, quae quasi voce praedita propellere ipsam videatur, quam longissime abducat aut in patriam restituat. Simul factum excusans, malarum mulierum, quibus ianuam aedium praeccludere satius fuisset, consuetudine atque sermonibus se corruptam esse conqueritur.

***) Ovid. Heroid. 8.

Partim enim lucri studio, partim aemulatione, quum angantur alieno bono, laborantes ipsae, partim malignitate ac libidine ad malas artes impellere et turbare coniugiorum tranquillitatem insusurrando in aures ea, quibus ira atque cupiditas incitentur.

Summi momenti haec est narratio ad Hermionae ingenium perspicendum, magnaue laude dignus Euripides, quod moribus, quantum dramatis natura patiebatur, accuratissime describendis operam dedit ita, ut etiam ad priora tempora recurrendo, quomodo res natae essent, ostenderet. Quod si eo, quo nostri tragici, Shaxperii maxime exemplum sequentes, utuntur studio amoenorum ac diverticulorum amore struantque tragoedias paene non minus, quam sunt epopoeiae, laxas, Euripidi uti licuisset, neque rectissima via ad finem semper properandum fuisset, non est dubium, quin colloquium Hermionae atque vicinae alicuius familiaris in initio dramatis positurus fuisset.

Cognita Hermionae voluntate Orestes sua invicem consilia explicat hortaturque illam, ut secum statim ad Menelaum redeat, sibi nuptura. Quum Hermiona matrimonii quidem curam patris arbitrio se permissuram esse, secuturam autem abducentem dixisset, porro Orestes de Neoptolemi ultione nihil timendum esse ostendit. Iam enim ei insidias structas mortemque per socios suos, quos Delphis habeat, paratam esse: nam neque Apollinem accipere satisfactionem culpa, qua quondam paternae caedis reus ab illo postulatus sit, et sese iam contumeliarum poenam repetiturum, quamobrem, deo secum conspirante suisque manibus ad exigendum supplicium utente, illi iamiam pereundum esse. His dictis cum Hermiona decedit. Chorus temporis spatium, quo illa, quae Orestes praedixit, Delphis perficiuntur perfectaue nuntiantur, carmine explens reputat, quanta mala Apollinis Neptunisque ira ex Troia victa in Graeciam victricem redundarint. Periit Priamus cum domo regnoque, eversa urbe, quam unice Apollo Neptunusque dilexerant, periit autem etiam Agamemno uxoris manu, periit vicissim haec filii manu Apollinisque consilio, et innumerae Graecae mulieres, orbatorum liberorum matres, maritos interfectos in publico lu-

xerunt, aliae tecta et coniugia mutarunt, nec soli Hermionae accidit, ut propter Troianae pellicis amorem coniugio privaretur, sed communi malo, tanquam poena a Troia immissa, universa Graecia vexata est. Hoc carmen componendum est cum querelis Andromachae, quibus non sua tantum, sed communia Troianorum mala, quorum particeps testisque fuerat, commemoravit. Eorum igitur malorum ad Graecos redundantium pars propter societatem Achillis cum Atridis affinitatemque Neoptolemi cum Menelao iunctam in Pelei domum conversa hanc tragoediam excitavit. Cum Atridarum Pelidarumque coniunctis viribus, illis exercitum ducentibus, his gravissimam operam manu praestantibus, Troia interierit, Hectoris autem maxime fortitudine defensa sit, considerate sic noster argumentum fabulae composuit, ut horum trium quasi partium superstites in unum locum perducti inter se confligerent salutisque periculum subirent.

Vix Peleus, quum rumore excitatus ad chorum redisset, Hermionae fugam consiliumque Orestis comperit, quum statim famulus Delphis veniens alteram calamitatem, mortem filii, seni infelicissimo nuntiat. Neoptolemus, quum Delphos ad aedes dei venisset, antequam rem sacram faceret, triduum in spectandis templi ornamentis consumsit. Et hoc statim Delphicis suspectum fuit: quibus de ea re sermones conferentibus, Orestes, ut incitaret indignantes, illum ad evertendum diripiendumque templum venisse affirmavit. Quod quum persuasisset magistratui, senatores et quibus opum dei custodia mandata erat insidias in porticu templi locarunt. Cuius doli ignarus Neoptolemus cum hospitibus sacerdotibusque ad aram constitit hostiam immolaturus. Sacerdoti, cui preces faciendae erant, interroganti, cuiusnam rei caussa adesset quidve a deo precaretur, velle se dixit priora delicta expiare. Hoc dicens non fecit fidem iis, qui insidiabantur: plus enim Orestis auctoritati tribuebant. Cum deinde, dum victima crematur, penetralia intrasset, ut ante oraculum deo coram supplicaret, inter ipsas preces manus armata, quae lauro occultata insidiabatur, coepit tela in inermem iaculari. Ibi Neoptolemus, pede relato, arma in templo suspensa arri-

puit, quibus tectus stans in ara fortissime se defendit. Quum multitudine oppressus nihil proficeret, relicto altari, saltu Troico in medios hostes insiluit, qui columbarum instar, viso accipitre, in fugam se coniecerunt, multique, cum sibi ipsi officerent in angusto exitu, interierunt. Iamque Neoptolemus, splendidis lucens armis, vicerat, quum deus voce ex adyto missa hostes denuo incitavit. Ibi Neoptolemus gladio percussus a quodam Delphicorum cecidit, iacensque saevis vulneribus toto corpore laniatus est. Sic deformatum corpus extra templum proiectum est, unde sublatum famuli lugendum Peleo domum retulerunt. Statim hac narratione finita cadaver apportatur flebilibusque lamentis a Peleo excipitur. Videmus igitur senem quondam opibus, gloria rerum gestarum, felicitate florentem, quondam divina coniuge dignatum, Troiae expugnantoris patrem, hunc igitur videmus orbem, desolatum, ruina domus suae oppressum. Ad hunc eventum ab initio cursum direxit Euripides. Quamobrem, si utique unus homo pro capite rerum, ad quod omnia referrentur, habendus esset, Peleum hunc esse, non Andromachen, neque Hermionen, necesse esset. Ad quem consolandum deque futuris docendum Thetis venit. Haec iubet corpus Neoptolemi, ostensum theatro, Delphos reportari et sub limine templi, ut sit Delphicis Orestique opprobrio, sepeliri. Andromacham autem praedicit in terra Molossia Heleno nupturam esse; ibi Molossum, Pelidarum solum superstitem, auctorem fore regum perpetua serie inter se succedentium. Denique Peleum suo beneficio malis liberatum immortalem fore et in Nerei regia secum habitaturum, unde ei siccum pedem ex ponto tollenti potestatem fore Achillem in beatorum insulis degentem videndi. Proinde eum statim, ubi composito nepote Delphis reversus fuerit, ad rupis Sepiadis recessum considerare et manere iubet, donec ipsa cum Nereidum choro veniat ad ipsum deducendum. His auditis Peleus placato animo est et felices praedicit qui in matrimoniis ineundis non opes, sed honestatem respiciant.

Dolet Hermannus, quod salvi evadant Menelaus et Hermiona, quorum malitiosam saevitiam quivis puniri velit,

eorumque loco Peleus, cuius generosa intercessione periculo liberati sint Andromacha et eius filius, in malum incidat ac veluti poenas luat iustitiae suae. Scilicet praeceptorum iudicumque munere poetas fungi primum esse ducit. Melius iudicasset, si Emiliam Lessingii audisset haec dicentem: „Dieses Leben ist Alles, was die Lasterhaften haben. Mir, mein Vater, mir geben Sie diesen Dolch!“ Et in Schilleri fabula, quae Don Karlos inscribitur, salvus evadit Philippus, salvus Alba, salvus Dominus, salvi improbi omnes; solus Posa et Karlos mulcantur. Nihil didicit ex tragoediis Hermannus, si hoc non didicit, virtutis praemium labores esse.

Probatum esse hoc drama antiquis multa testantur, imprimis iudicia, quae auctor argumenti retulit. Quod idem non primum, sed secundum illud in certamine didascaliarum iudicatum esse significat (τὸ δὲ δῶμα τῶν δευτέρων), non mirabuntur qui inesse ea reputabunt, quibus magnam civium partem, certe quicumque Niciae auctoritatem sequentes pacem atque Lacedaemonios fovebant, offensam esse necesse sit. Alterum testimonium sunt loci scriptorum, qui ad hanc fabulam respexerunt. Imitatus est Menander versum 207. et 925. (cf. Pflugk. ad v. 207. et 944.). Abusi sunt Eubulus ap. Athen. p. 63. D. versu 370., Charmus Syracusius ap. eundem p. 4. B. versu 449. Perstrinxit Aristoph. Lys. 155. v. 630.; eundem respexerunt Aristides, Clemens Alex. et Galenus; Plutarchus autem et Iulianus in Caes. p. 46. (331.) v. 449. et 684., Philostratus v. 419., Diodorus v. 765. Stobaeum, Tzetzem et grammaticos omitto. Tertio loco nominandi sunt nobilissimorum criticorum interpretumque commentarii, inter quos fuit Didymus, cuius mentionem faciunt scholia ad v. 867. Denique commemorandum est, quod totam tragoediam Ennius imitatus est, cuius versionis fragmentis aliena quaedam, ex Troadum quadam imitatione deprompta, intermiscuntur. Liberius eandem Racinius Gallus imitatus est, cuius drama neque ipsum mihi neque quae de eo a Gallis scripta sunt innotuisse fateor.

D. Autolycus prior.

Ex hoc dramate depromptam orationem servarunt Galenus atque Athenaeus hancce: *Εὐριπίδης ἐν τῷ πρώτῳ Αὐτολύκῳ λέγει·*

Κακῶν γὰρ ὄντων μυρίων καθ' Ἑλλάδα
οὐδὲν κάκιόν ἐστιν ἀθλητῶν γένους,
οἱ πρῶτα μὲν ζῆν οὔτε μανθάνουσιν εὖ
οὔτ' ἂν δύναιντο· πῶς γὰρ ὅστις ἔστ' ἀνὴρ
γνάθου τε δοῦλος νηδύος θ' ἠδσημένος
κτῆσαι' ἂν ὄλβον εἰς ὑπερβολὴν πατρός;
οὐδ' αὖ πένεσθαι κάξυπηρετεῖν τύχαις
οἴοι τ'· ἔθῃ γὰρ οὐκ ἐθισθέντες καλὰ
σκληρῶς μεταλλάσσουν εἰς τὰμήχανα.
λαμπροὶ δ' ἐν ἤβῃ καὶ πόλεως ἀγάλματα
φοιτῶσ'· ὅταν δὲ προσπέσῃ γῆρας πικρόν,
τρίβωνες ἐκβαλόντες οἴχονται κρόκας.
ἐμεμφάμην δὲ καὶ τὸν Ἑλλήνων νόμον
οἱ τῶνδ' ἕκατι σύλλογον ποιούμενοι
τιμῶσ' ἀχρείους ἡδονὰς δαιτὸς χάριν.
τίς γὰρ παλαίσας εὖ, τίς ὠκύπους ἀνὴρ
ἢ δίσκον ἄρας ἢ γνάθου παίσας καλῶς
πόλει πατρῴᾳ στέφανον ἤροκεδεν λαβῶν;
πότερα μαχοῦνται πολεμίοισιν ἐν χεροῖν
δίσκους ἔχοντες, ἢ δι' ἀσπίδων χεροῖν*)
θείνοντες ἐκβαλοῦσι πολεμίους πάτρας;
οὐδεὶς σιδήρον ταῦτα μωραίνει πέλας
στάς. ἀνδρας οὖν ἐχοῖν σοφούς τε ἀγαθούς
φύλλοις στέφεσθαι χῶστις ἡγεῖται πόλει
κάλλιστα, σώφρων καὶ δίκαιος ὢν ἀνὴρ,
ὅστις τε μύθοις ἔργ' ἀπαλλάσσει κακὰ,
μάχας τ' ἀφαιρῶν καὶ στάσεις· τοιαῦτα γὰρ
πόλει τε πάσῃ πᾶσι θ' Ἑλλήσιν καλά.

Quosdam horum versuum etiam Eustathius, Diogenes Laert. et Plutarchus attulerunt. Sententiam universam, ut ple-

*) Codicum pars χεροῖν, pars ποσί praebet. Πηνυαῖς reponerem, si correptae syllabae ante γμ praesto esset exemplum.

rasque Euripidis, Isocrates in Paneg. init. in suum usum convertit.

Celebratissima inde ab Homero fuit perfidia Autolyçi; cf. Od. XIX, 396. Plant. Bacch. II, 3, 41. Martial. VIII, 59. Corporis robore eundem insignem vel pugilatus peritum fuisse nusquam legi scriptum, neque potuerunt illa contra quemquam aptius, quam Herculem, disputari, quem ut pugilum principem auctoremque a comicis frequentissime risum esse satis notum est. Eosdem viri mores Euripides cum in Alceste tum in satyricorum dramatum plerisque imitatus est. Unde non absonum est suspicari inductum in hac fabula Herculem fuisse cum Autolyco disputantem, ac certante ingenuitate cum vafritia victum esse perfidum ac de medio sublatum. Eidem Autolyco tribuerim fragm. inc. 16:

κάλλιστα Μουσῶν φθέγγεται πλουτιῶν ἀνὴρ.

XIV. Natura tragoediae ab Euripide immutata.

Aristoteles sex ponit partes tragoediae, quae naturam eius efficiant: quarum tribus continentur ea, quae imitatur, duabus ea, quibus imitatur, una genus imitandi. Quae imitatur tragoedia sunt fabula sive argumentum, mores et sententiae. Quibus imitatur sunt verba sive dictio et moduli sive cantus. Ratio imitandi est apparatus scenicus sive spectaculum.

Fabulam dicit rerum imitationem sive compositionem factorum; mores, in quibus natura eorum, qui agant, consistat; sententias, quibus dicendo demonstrent aliquid vel quid censeant declarent. Facta ex moribus dicit et sententiis nasci, neque ab his separari posse; sed illa finem imitationis esse, mores autem et sententias quasi viam, qua ad ea perveniatur. „Summum igitur trium est factorum compositio: nam tragoedia imitatio est non hominum, sed factorum (nam et felicitas et infelicitas in

factis cernitur), et finis eius actio est aliqua, non proprietas*). Consistit autem in moribus quidem proprietas hominum, in faciendo autem patiendoque felicitas vel infelicitas. Non igitur ut mores imitentur res gerunt, sed mores una complectuntur propter res gerendas. Ergo res et argumentum finis sunt tragoediae. Finis autem omnium rerum summum est. Praeterea rerum actione carere tragoedia nulla potest, moribus potest: etenim recentiorum plurimorum tragoediae moribus carent, et omnino poetae multi sunt tales, itemque inter pictores Zeuxidis haec est Polygnotique diversitas. Polygnotus enim moribus exprimendis valet, Zeuxidis pictura moribus caret. Praeterea si quis continuet sermones moratos et dictiones et sententias quamvis bonas, non fecerit quod est tragoediae officium, sed multo magis suppetet quae his parcus erit usa tragoedia, argumento et rerum compositione valens. Accedit, quod quibus maxime animos tenet tragoedia argumenti partes sunt, rerum commutatio et errorum cognitio. Etiam hoc signum est, quod qui carmina scribere ordiuntur prius dictis moribusque elaborandis sufficiunt quam rebus componendis, quemadmodum etiam primi poetae fere omnes. Principium igitur et quasi anima tragoediae est fabula, secundo loco sunt mores. Simile enim quoddam in arte evenit pingendi. Nam si quis illinat pulcherrimis coloribus fuses, non perinde delectet, ac si quis albo describat imaginem. Tertium locum sententiae tenent: hoc est dicere posse quae ad rem pertinent aptaque sunt, idque in orationibus partim civilis est scientiae partim rhetoricae; et antiquiores quidem civilibus utentes inducebant orationibus, qui nunc sunt, rhetoricis. Iam mores sunt tale quiddam, ex quo mens et voluntas qualis sit intelligatur: ergo quaecunque orationes non quid vel expetat vel fugiat is, qui dicit, declarant, morum significatione carent. Sententiae

*) Scribo sic: ἡ γὰρ τραγωδία μίμησις ἐστὶν οὐκ ἀνθρώπων, ἀλλὰ πράξεως (καὶ γὰρ ἡ εὐδαιμονία καὶ ἡ κακοδαιμονία ἐν πράξει ἐστὶ), καὶ τὸ τέλος πράξις τίς ἐστὶν, οὐ ποιότης.

autem insunt iis, in quibus demonstrant aliquid aut esse aut non esse aut enuntiant aliquid in universum."

Diversam veteris tragoediae naturam a nostratium tragoediis fuisse Aristoteles in his, quae interpretati sumus, ostendit. Homines enim nostri tragici et vitas, non facta, imitantur; mores et sententias tanquam summum sequuntur, cui fini res et facta servire necesse est. Eam autem rationem damnat Aristoteles, negatque facere, quod sit tragoediae officium, quibus ille finis propositus sit. Haec recentium et veterum tragoediarum diversitas quo perspiciatur planius, in medium proferamus quae de eadem re Schillerus eo loco, quo de Egmontis fabula Goethiana iudicavit, disseruit. „Aut facta," inquit, „insignia rerumque complexionem (Situationen) aut mentis perturbationes aut mores tragoedia imitatur. Quae res etsi possunt, utpote alia ex alia nascentes, in uno dramate consociari, tamen una fere tanquam finis proposita reliquis antefertur. Rerum igitur compositioni qui plurimum tribuunt poetae, perturbationes moresque imitari non habent necesse, nisi quatenus illae ex his nascuntur; in perturbationibus autem exprimendis qui elaborant, vilissimis rebus, quibus quidem illae excitentur, recte utuntur, velut sudarium alieno loco inventum palmariae actionis in Aethiopia Veneti fabula caussa est; denique quibus morum est imitatio proposita, neque magnitudo neque continuatio rerum sequenda est, iisdemque, totius vitae imaginem exprimere studentibus, ne nimium uni perturbationi tribuant, cavendum. Veteres tragici fere toti sunt in rerum compositione ac perturbationum imitatione; iidem in moribus describendis parum diligentes, in propriis hominum ingeniis persequendis parum acuti. Recentiore demum aetate, et quidem Shaxperio maxime auctore, hoc genere tragoedia aucta est: is enim primus in Macbethii, in Richardi tertii aliisque fabulis universas hominum vitas expressas in scenam detulit, inter Germanos autem primum huius generis exemplum proposuit is, qui scripsit Goetzius Berlichinensem. Nolo hoc loco quaerere, utrum conveniat in hoc genus necne metus et miseratio, quem tragoedia sequitur

finem; sufficit, quod exstat quodque eius leges sunt descriptae. In Goetzii autem fabula nulla inest res gesta illustrior, nulla mentis gravior perturbatio, nulla rerum vel implicatio vel compositio vel continuatio, sed sola actionum intermissarum descriptionumque series, quae nulla re, nisi vita eius, qui iis interest, vel ad quem pertinent, aliae ad alias referuntur. Itaque neque in rerum calamitatumque concursu, neque in affectu aliquo turbas conflante, sed in vitae hominis unius decursu simplicitas fabulae illius conspicitur. Neque magis Egmontis rerum ulla materiam praebere tragoediae potuit: nam vincula quidem eius et capitis damnatio neque ipsa quicquam grande habent neque ex ulla re graviore proficiscuntur, sed ex pluribus levioribus, quae tales, quales revera fuerunt, parum dignae sunt tragoedia neque cum summa rerum sic possunt coniungi, ut apta actionum compositio efficiatur. Quamobrem sumpta hac materia aut fingendo veritas immutanda fuit et praevalens aliqua perturbatio traditis moribus adiicienda aut plane relinquendum genus utramque, quod diximus, tragoediae, et in vita et moribus hominis depingendis acquiescendum: quorum postremum factum esse videmus."

Tria tragoediae genera Schillerus pro duobus Aristotelis posuit: perturbationes enim hic, quoniam et communes sunt et vehementissima laborum incitamenta, priori generi adnumeravit. Ceterum diversam veteris et recentioris tragoediae naturam nemo illo acutius dignovit, nemo descripsit rectius. Idem ad Graecorum tragicorum virtutem, quamvis illos minus imitaretur, tamen propius accessit quam Goethius, qui erat cogitatorum sensorumque quam factorum amantior, a perturbationum vero furore adeo abhorrebat, ut vix spectare sustineret depictum. Cuius in fabulis omnia insunt summa Romanensium fabularum bona, pauca tragoediae, qualem esse veteres voluerunt. De epico carmine componendo ambo poetae principes saepius cogitaverunt, multum et secum et inter se delibaverunt, meditati sunt, volutarunt in animis; sed invito gentis nostrae genio oleum operamque perdiderunt.

Qui tanquam finem et summam tragoediae sequuntur morum et ingeniorum imitationem, iis, si recte fungentur officio, totas hominum vitas inde a pueris enarrare necesse erit, id quod Goethius non in Romanensibus tantum, sed in scenicis quoque fabulis facere solitus est. Atqui huic instituto scenae natura ipsa repugnat. Deinde nulla una causa vel rerum complexio ei consilio sufficit, sed opus est pluribus et ampliori ambitu. In alios autem atque alios locos consessum abripiendo theatri et multorum annorum spatium emetiendo ac saepe intra binas horas senes ex adolescentibus factos ostendendo vix mentis suae compotes esse sinunt spectatores; omitto, quod ad oculorum delectationem ab animorum commotione tragoedia crebra apparatus mutatione transfertur. Tum loco actionum confabulationes componi necesse est, quae legentibus quam spectantibus rectius offeruntur: cuius generis sermonibus dramata nostrorum omnia repleta sunt. Qui sensa magis quam facta et perturbationes imitantur poetae, foras efferunt ea, quae penitus debent pectore clausa teneri, temerantque penates in publico propositos, et subtiliora fere sublimioraque, quam quae in populi ludos spectantis captum cadant, enuntiant, tanquam florum quendam pulvisculum offerentes, qui ipso hominum importunissimorum tactu decutitur. Praeterea ad vultum fingendum a gestulatione sive saltatione, quam veteres appellarunt, artem actorum avocant, quod et ipsum nimis subtile et a spectaculis alienum est. Nam qui quidem remotioribus sedent locis spectatorum, fructu privantur; qui autem propinquiores sunt, corporibus scenicarum scenicarumque magis, quam poetarum sententiis, quamvis gravibus argutisque, tenentur.

Factis et vehementioribus animorum motibus, qui sunt ipsi factis aequales, imitandis Graeca theatra destinata fuisse cum fabularum natura tum quae de scenae apparatu, de vestitu actorum, de personarum usu, de saltatione, de cantu eiusque generis aliis rebus cognovimus, ostendunt. Et quidem unum fere insigne factum, quo magna efficeretur rerum commutatio sive *καταστροφή*, repraesentabant. Itaque Macbethii fabula, si ad veterum rationem revo-

care voles, in duas tragoedias dispescenda erit, quarum altera interfectionem regis, altera Macbethii interitum contineat. Multae ex hac veteris tragoediae natura pendent proprietates, quibus illa a recentiorum carminibus longissime distat, quae diversitas a nostris aestimatoribus ne-tiquam satis perspecta est. Velut personas primarias veterum tragicorum fabulis tales, quales recentium, inesse debere falso sibi persuaserunt, et quasdam illorum tragoedias, ultra istarum principalium, quas putant, personarum fata porrectas, quasi simplicitate carentes, iniuste damnant. Quorum opinio a veterum tragicorum ratione, quibus nihil tale in mentem venire potuit, longe aberrat. Etenim si circa factum unum, non circa unum hominem, Graecae tragoediae occupatae sunt et *καταστροφήν* non vitae, sed rerum vel privatarum vel publicarum, i. e. vel familiarum vel civitatum, ostendunt, planum est non posse unam aliquam personam in lumine, reliquas in umbra collocari, sed tantum cuique tribuendum esse, quantum ad rem summam afferat momenti. Itaque ne nomen quidem personae principalis ullum apud veteres scriptores usurpatum invenitur. Nam *πρωταγωνιστήν* sive primam personam sicut *δευτεραγωνιστήν* et *τριταγωνιστήν* non ex hominum momentis, sed ex actionum temperatione constitutos esse planum est*). Nulla igitur inest una principalis personae Aiaci Sophoclis, nulla Trachiniis, sed singulae res summae, atque eae aequa ex parte ad Aiace[m] atque Ulyssem, ad Deianiram atque Hercule[m] pertinent. Videmus in Aiacis fabula corporis robur et contumaciam cum prudentia conflictantem in eoque certamine sic succumbentem, ut etiam iustis funebribus ei carendum foret, nisi aemuli beneficio impetraret; in altera tragoedia vir exhibetur pellicem super uxorem reducens et materfamilias bona mente amorem mariti recuperare studens, quae res in perniciem vertit utriusque. Huius generis sunt communia illa, quae in componendis tragoediis

*) Terent. Phorm. prol.: „Quia primas partis qui aget, is erit Phormio parasitus, per quem res geretur maxime”; cf. quae K. Fr. Hermann. in annal. critt. Berolin. mensis Martii anni 1843. disseruit.

sequenda esse dixit Aristoteles: quo loco ad rerum implicationes, non ad hominum vitas imitandas, omnia revocavit.

Alter recentiorum error est, quod cum interitu hominum, quorum sors praecipue agatur, tragoedias utique finiendas esse arbitrantur, quum conversionem tantum sive *καταστροφήν*, non eversionem, et quidem rerum, non vitae, tragoediae propositam esse veteres voluerint. Itaque non minor erat numerus tragoediarum, quibus miserae res in laetas, quam earum, quibus laetae in miseras mutarentur, et reprehendebatur Euripides, quod infelicem rerum eventum saepius quam felicem finisset, defendente Aristotele et maxime tragicum poetarum propter hanc ipsam rem illum appellante (poet. 13, 6. adde quae T. I. p. 57 seq. disseruimus). Et recte quidem hic gravia infortunia et perniciosos eventus a comoedia iudicavit aliena esse, recte laetum exitum in comoediam magis quam in tragoediam convenire dixit, erravit idem, si tragoediam dedecere putavit. Non enim felicitate vel infelicitate, sed granditate et levitate tragica a comicis distinguuntur, ac decent tragoediam quaecunque maiestatem deorum manifestant, qualis est inopinata atque insperata rerum conversio, quum efficiuntur ea, quae humanis viribus effici posse desperaveramus, non minus laeta quam misera.

Tertius recentium error est, quod semper singulorum hominum, nunquam civitatum vel populorum fata tragoedia ostendi opinantur. Tenuis materia sunt res singulorum, et longe tragoedia inferior esset quam epopoeia, si tam angustis contineretur terminis: a qua illa modestia tam longe abest, ut nunquam circa singulos homines, sed semper aut circa familias, ut *Odyssea*, aut circa populos et republicas, ut *Ilias*, occupata sit. Et aperte populorum res et rerum publicarum aut conversiones aut eversiones fabulis *Phoenissarum*, *Troadum*, *Hecubae*, *Rhesi*, *Heraclidarum*, *Supplicum* itemque *Persarum* *Aeschyli* ostenduntur: quibus in fabulis quae primas agunt partes personae, harum in nulla summum rerum momentum est.

Exposita Aristotelis sententia, qui res et facta dixit finem tragoediae propositum esse, itemque Schilleri, qui homines vitasque praecipue imitatus est, tertiam adiungam

Horatii, qui mores et sententias censuit minime negligendos, sed aequa ex parte effingendos esse.

„Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi.
Si plausoris eges aulaea manentis et usque
Sessuri, donec cantor Vos plaudite dicat,
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mo-
res” etc.

„Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatore[m] et vivas hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis (διαβολαῖς) morata-
que recte
Fabula nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum nugaeque cano-
rae.”

Res hoc loco non facta, sed cogitata dici apparet. Idem iudex ad philosophiam, et quidem Socraticam, poetas, si velint ad rem summam efficiendam idonei esse, se applicare iubet:

„Scribendi recte sapere est et principium et fons.
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
Partes in bellum missi ducis, ille profecto
Reddere personae scit convenientia cui-
que.”

His igitur Socraticae philosophiae vim momentumque Horatius ostendit, cuius quum non admirator tantum, sed etiam auctor esset Euripides, Anaxagoram, qui viam Socrati munierat, sequutus, naturam tragoediae immutavit. Primum autem ne erres, quod mores plane a tragoedia abesse posse censuit Aristoteles, non communes mores, sed peculiare dixisse videtur. Neque enim unquam sine moribus facta ulla ostendi possunt, quippe quum faciendo patiendoque mores necessario manifestentur. Quamobrem quaecumque ille moribus carere putavit opera vel poetarum vel opificum, non carebant moribus nisi propriis, et in servanda

communi quadam mentium corporumque conformatione, quae heroica dicitur, inter se conspirabant. Haec ratio imitandi propria est iis maxime poetis, qui communitate quadam studiorum ac disciplinae inter se coniunctos homines et ad certa quaedam exemplaria, quae mentibus obversentur, habitum animorum corporumque conformantes imitantur. Huiusmodi hominibus quoniam unum tanquam summa eorum, quae vera, recta honestaque habentur, propositum est, ad quod dirigendum est quidquid volunt sentiuntque, si quid ab eo discrepent, hoc, si non damnandum, certe non dignum admiratione videtur. Varietas nulla nisi virium intercedit et magnitudinis vel gradus, quo a perfecta virtutis specie singuli distant. In his igitur rebus explicandis carmina necessario tota versantur; sentiis, si quas in medium proferunt, non certorum hominum persuasionem, sed opinionem communi vulgi consensu comprobata proponunt.

Ab eiusmodi vitae genere studia eruditorum saeculorum multum differunt. Nascitur fere eruditio quo tempore maiorum disciplina sufficere hominibus desiit, neque iam simpliciter singuli a patribus tradita amplectuntur, sed cognitis rerum caussis ea, quae cuique probantur, adiscunt. Inde pro communione studiorum varietas sententiarum, pro legum institutorumque reverentia admiratio placitorum inventorumque existit, discessionibus discordiisque vita tum privata tum publica turbatur; nil firmi neque certi relinquitur, et quae vera esse natura ipsa duce cuncti sibi persuaserunt, ad purganda singulorum commissa veteratorie detorquentur. Raro enim facta ad iudicia, saepius iudicia ad facta conformantur, et sentiunt prave qui prave fecerunt, recte sentiunt qui recte fecerunt; contra qui praecepta sapientiae, quibus imbuti sunt, tuentes cupiditatum impetum fortiter sustineant, pauci inveniuntur. Ii vero specie quadam menti obversante rerum perfectiorum, quam quas vulgus sequitur, inflammati egregia edunt virtutis exempla, tanto magis omnibus admiranda, quanto minus naturae impetu pulsi perpetrarunt: videntur enim semet ipsos generoso animi consilio vicisse et auctis mentis viribus naturam suam superasse. Sic vitiis perinde atque virtutibus ducti in di-

versas sententias discedimus et a popularibus opinionibus magis magisque discrepamus.

Haec est Euripidis cum Homero vel Aeschylo comparatio. Illa enim aetate fieri discidium illud, ut ait Goe-thius, vix sanabile coepit, quo homines et secum et cum vulgo dissidentes, aliud natura vel sensu, aliud ratione vel meditatione suadente, veri cognitione cum traditis opinio-nibus pugnante, plus sensus cogitatisque, quam factis, tri-buere coeperunt. Novum igitur genus tragoediae ab illo inventum esse concedendum erit a priori non minus dis-crepans, quam Menandri comoedia ab Aristophanis discedit. Nam huius quidem personae omnes tam similes sibi sunt, quam ovo ovum, communem Atticorum formam nota-mque tanquam nummi uno malleo signati prae se feren-tes. Moribus nihil ille tribuit; rerum compositione et actionibus pollet*). Contra Menandri, qui Euripidem imi-tatus est, fabulae, quales ex Terentii Plautique imitatio-nibus novimus, densae erant sententiis; mores vero dili-gentissime expressos habebant et fidissimam vitae vulgaris imaginem ob oculos ponebant. Cuius rationis Euripidem habuerunt auctorem, qui et veros hominum sui saeculi mores pro fictis imitatus est et plures tragoedias scripsit in declarandis sententiis aperiendisque voluntatibus magis quam in rebus gerendis occupatas, et primus studia sin-gulorum cum publica disciplina conflictantia et iudicia eru-ditorum a traditis opinionibus discrepantia ostendit, et omnem disputandi prudentiam cum callida et captiosa cu-piditatum excusatione exeruit et induxit homines falsa sibi vitiorum suorum amore persuadentes. Ab hac via, quam ingredi natura rerum ipsa iussit, semel monstrata si posteriores tragici, qui Philippi Macedonis tempore fue-runt, recesserunt (id quod verba Aristotelis significare vi-dentur), si Atridarum Alcmaeonisque scelera exhibuerunt nullis mentium vitiis excusata, si ad fati necessitatem rur-

*) Plutarchus in Aristoph. et Menandri comparatione: ὡςπερ ἀπὸ κλήρου ἀπονέμει τοῖς προσώποις τὰ προστυχόντα τῶν ὀνομάτων, καὶ οὐκ ἂν διαγνοίης εἴτε υἱὸς ἔστιν εἴτε πατὴρ εἴτε ἄγροικὸς εἴτε θεὸς εἴτε ἦρωα ὁ διαλεγόμενος.

sus revocare atque huius effectui asserere conati sunt flagitia, quae ex naturae humanae depravatione nasci saeculum recte sibi persuaserat, non minus, quam inter nostrates Müllnerus et Grillparzerus, errarunt neque digna, quae posteris traderentur, opera composuerunt.

Ad libertatem enim agendi sentiendique ex vinculis morum traditorum tendit generis humani cognitio. Itaque non iam fatum tanquam necessitatem sensus mentisque expertem horremus, sed in dei optimi maximi providentia acquiescimus. Item ex legum severitate Christi beneficio vindicati sumus, pro religionibus fidem, pro caeremoniis sanctitatem animi, pro sacrificiis poenitentiam, pro iuris contentione gratiam et pietatem commendantis, neque legibus scriptis homines ad observanda sua praecepta obstringentis, sed amore amorem sibi conciliantis et sui exempli imitandi studium excitantis.

Inde gravissima nata est studiorum commutatio. Sprentis corporibus, quae locorum temporumque finibus continerentur angustissimis, in animorum vi divina, nullis rerum terminis coercitorum et per infinita spatia summa sentiendi cogitandique libertate evagantium, omne momentum poni coeptum est; neque iam in agendo, sed in sentiendo dignitas est humanae naturae consistere visa. Huic contrariam vitae rationem sequebantur antiqui, iudice Goethio: „Quae gerebantur sola magni faciebant, quum nos praeter ea, quae cogitantur ac sentiuntur, nulli rei multum tribuere videamur. — Omnes proxima quaeque et vera sequebantur adeo, ut etiam quae cogitatione fingerent, ossibus ac medullis praedita putarent*.)” Haec ille verissima; nec minus haecce probanda sunt: „Quum recentiores, quidquid meditantur, in infinita ferantur, postremo, si contingat, in angustum aliquem locum reversuri, veteres sine ambagibus statim intra amoenos venustarum rerum fines consistentes integra voluptate atque

*) „Das, was geschah, hatte für sie den einzigen Werth, so wie für uns nur dasjenige, was gedacht oder empfunden worden, einigen Werth zu gewinnen scheint. — Alle hielten sich am Nächsten, Wahren, Wirklichen fest, und selbst ihre Phantasiebilder haben Knochen und Mark.”

delectatione fruebantur*)." Quibus cave dictum putes in humanarum rerum fragilitate veteres acquievisse. Etenim nullae ab iis compositae essent tragoediae, si suavis dulcisque iis visa esset huius vitae conditio; nunquam sustinissent viros fortissimos dolore fractos, gementes, lacrimantes, eiulantes, immortalitatem ipsa morte quzerentes spectare, si humanae vitae commoda iis arrisissent; nunquam solos deos felicitate frui, mortalium neminem ante mortem beatum esse dixissent, nisi fluxam atque fragilem esse divitiarum et formae gloriam cognovissent.

Vitae studiorumque commutationem poeseos genus plane diversum consequeretur necesse fuit. Proprium recentioribus fabularum genus est quod appellatur Romanensium, totum in sentiis exponendis, in moribus exprimendis, in proprietatibus hominum tam humillimorum quam illustrissimorum describendis, in quibuslibet vitae consuetudinibus persequendis occupatum. Idem ad illustrandas res conspiratione bonorum viriumque coniunctione gestas, ad repraesentandam divinam virorum principum virtutem, irruente mole malorum aut succumbentem aut superantem, minime idoneum est; contra nullum est tam peculiare studium, nulla tam privata mentis voluntas tamque singularis sententia, nullum tam proprium ingenium, nulla tam depravata natura, nulli tam alieni a publico consensu mores, in quibus adumbrandis, depingendis describendisque non studiose immoretur. Quin etiam ad remotissimas, longinquissimas, alienissimas gentes poetae nos abducunt, omnium terrarum incolas, omnium saeculorum mores, omnium populorum disciplinas, omnium temporum conditiones fideliter expressas ob oculos ponunt, neque solum mores et ingenia hominum, verum etiam ora, pedes, manus, vestitum, neque horum tantum, sed etiam equorum et canum, denique locorum situm, coeli habitum, silvarum, pratorum, annium naturam describunt, quicquid

*) „Wirft sich der Neuere fast bei jeder Betrachtung ins Unendliche, um zuletzt, wenn es ihm glückt, auf einen beschränkten Punkt wieder zurückzukehren, so fühlten die Alten ohne weiteren Umweg sogleich ihre einzige Behaglichkeit innerhalb der lieblichen Gränzen der schönen Welt.“

uspiam invenitur ostendunt praeter ea, quibus ad fortiter faciendum fortiterque patiendum homines instituuntur. Nam hoc est epicae tragicaeque Musae officium, cuius formam quidem multi recentiorum poetarum induerunt, vim virtutemque pauci assecuti sunt. Nam fere quicquid eiusmodi carminum composuerunt, specie quidem a narrationibus illis differt, re et natura illis simillimum est. Nam quum omnia ea, quae diximus, insint, tum absunt res gestae, quae quidem dignae sint studio hominum virtute praestantium; amant homines amanturque, fugiunt expectantque alii alios et aut matrimoniis iunctis felices fiunt aut deiecti hac spe infelices; ex eodem fonte difficultates et implicationes rerum fere omnes proficiscuntur. Communitate quadam disciplinae studiorumque coniuncti pristini aevi equites fuerunt: nihilominus virtutum voluntatumque conspiratio etiam in hoc hominum genere desideratur. Itaque in Tassonis Ariostique carminibus plerique ducum nulla imperatoris laesi iniuria, sed feminas venantes, alius alio palantur per totum orbem terrarum vagantes, neque fere eorum quisquam maius malum novit, quam quod ex amore nascitur voti non compote. Demtis igitur numeris vocumque concentibus Romanensibus fabulis illa quoque carmina, quae in horum rebus studiisque illustrandis versantur, tum propter rerum novitatem tum propter miras hominum cogitationes similia esse apparet.

Medium quendam locum inter christianos poetas et antiquiores Euripides tenet, cuius fabulae speciosae locis morataeque recte vehementer populo probatae sunt. Virtutes quum Homerus ostendisset a naturae impetu sic pendentes, ut vix hominum fortitudo ante belluarum excelleret (nam Achilles quidem ne dei aliqua specie in proelio oblata timidus ex impavido fieret, timendum esse censet Iuno Il. XX, 130., idemque mortem sibi ante tempus praestitutum adesse putans perterretur Il. XXI, 276.), Euripides eandem ostendit ex rerum adventiciarum vi, quales sunt genus, opes, potestas, sic vindicatam, in se sistentem et generoso mentis consilio mancipatam, ut multo praestantiora facinora, quam heroes faciunt Homerici, non viris tantum, sed feminis quoque et puellis, suam naturam vin-

centibus neque ullis alienis viribus adiutis, attribuerit. Necessitatem fatalem, cui dii hominesque inviti parerent, nullam agnovit, sed eius loco aequa iustaque, tuentibus diis et conspirante sensu generis humani, regnare docuit (cf. T. I. p. 522.). Denique suae mentis cogitata, suique animi voluntatem in personas sic transtulit, ut interdum parum videatur dissimulasse.

Haec sequens Euripides formam quidem tragoediae traditam minime deseruit neque facta tanquam primum sequi desiit; sed vim naturamque immutavit moribus sententiisque exponendis plus, quam factum a prioribus erat, tribuendo. Quamobrem quum moribus per facta manifestandis ambitus tragoediarum receptus et forma partium tradita parum sufficerent, orationum contentionibus et disputationibus sententias hominum vitaeque instituta exponi necesse fuit, id quod oratoribus magis vel philosophis, quam personis scenicis, convenire videtur. Hoc et ab Aristotele argui, parum commodam fabularum structuram esse dicente (*οὐ καλῶς οἰκοδομεῖ*), et acerbissime ab Aristophanē, hoste philosophiae infestissimo, vituperari identidem monuisse utile erit.

Euripidis tamen ratio quantum distat a recentiorum poetarum imitationibus! Hoc componentibus cum illius Iphigenia Goethii fabulam eodem nomine inscriptam omnibus, qui poterunt iudicare, manifestum erit. Eam utriusque operis diversitatem recte Guil. E. Weber in libro de Goethii Iphigenia et Schilleri Tellio scripto notavit, verbis utens hisce, quibus ad Aristotelis praeceptum recurrit ignarus: „Apud Euripidem moribus delectamur caussa eorum, quae aguntur, apud Goethium morum caussa delectamur iis, quae aguntur*.)” Alterum igitur poetarum res gerendas, alterum mores tanquam primum sequi agnovit, quod dicens recentioris et veteris poeseos diversitatem indicavit. Quanquam fatendum est plus Euripidem in quibusdam aliis fabulis componendis, quam in hac,

* P. 87: „Man kann sagen, bei Euripides interessiren wir uns für die Personen um der Handlung willen, bei Goethe für die Handlung um der Personen willen.”

moribus sententiisque imitandis tribuisse: est enim Iphigeniae Tauricae fabula numero earum, quae ad Sophocleae tragoediae formam propius accedunt.

Restat, ut quonam tempore illa primum docta sit disquiramus. Ante Aulidensem Iphigeniam compositam esse Tauricam, nisi certis testimoniis constaret (nam haec in Ranis Aristophanis respicitur, illam post Ranas a filio Euripidis doctam esse scholiasta Aristophanis memoriae tradidit), ex argumentis ipsis fabularum conici posset. Licuit sine dubio Euripidi Aulidensem post Tauricam componenti argumentum sic conformare, quemadmodum erat movendis docendisque spectatoribus aptissimum futurum, nec tenebatur iis, quae de Iphigeniae immolatione in priore dramate erant obiter commemorata. Licuit igitur matrem in castra arcessere, sine qua non poterat argumentum commode impediri; licuit virginem facere ultro se ad mortem obferentem, quod invitam per vim abstrahi puellam insontem, praesertim si in eius persona summum dramaticis poneretur momentum, facinus inmane fuisset exitusque argumenti is, in quo vix possent spectatores acquiescere. Causas igitur mutationum vides iustissimas atque gravissimas. Tauricam vero si posteriorem esse ponas, vix ullam idoneam immutandi argumenti causam reperies. Poutuit enim fere eadem omnia et sentire et agere virgo, etiamsi lubens immolata fuisset. Eodem argumento Tauricam Iphigeniam ante Orestem compositam esse efficitur. Orestes enim sorori de Menelao hocce quaerenti:

οὐ που νοβοῦντας θεῶς ὕβρισεν δόμους;

contrarium respondet eorum, quae Orestis dramate continentur; idem quo loco recenset quaecunque post patratum matricidium mala perpessus est, periculum, quod in patria, antequam Furiarum impetu expelleretur, subiisse altero dramate fingitur, omittit. Vestigia autem, ex quibus definiri tempus posset, haec inveni. Feminae chori, quo loco patriae desiderium exprimunt, summa cum voluptate in Deli insulae atque eorum locorum, in quibus Latona geminos liberos enixa sit, commemoratione immorantur, unde illas Delo oriundas fingi recte Marklandius suspicatus est. Eximie Athenienses gavisi esse videntur

sacris Apollinis in Delo per se restauratis ludisque splendidius, quam fuerant antea, celebratis (Thuc. III, 104.), id quod factum erat Ol. 88, 3. Hanc igitur quinquennalem ludorum celebrationem in gratiam civium suorum commemorans Euripides illa de loco, in quo nati dii esse credebantur, uberius persecutus est. Quod autem chori mulieres fecit querentes se patria hostium vi privatas et in barbarorum terram abstractas esse, et acri patriae desiderio flagrantibus, et quidem in Deli potissimum et sacrorum Apollinis commemoratione immorantes *), id quo pertineat, intelliges cognitis iis, quae Thucydides V, 1. retulit: „Insequenti aestate (anni 422.) Athenienses e Delo insula Delios submoverunt, rati illos ex vetusta quadam causa non esse castos ad sacra facienda et hoc sibi restare expiationis, quam tollendis mortuorum corporibus rite fieri arbitrati sunt. Delii autem Atramyttium in Asia, locum iis dante Pharnace, ut quisque adibat, incoluerunt.” Quibus adde quae idem c. 32. commemoravit: „Per eadem huius aestatis tempora (Ol. 89, 4. anno 421.) Athenienses, expugnata Sciona, puberes interfecerunt, pueros ac mulieres pro servis vendiderunt, agrum Plataeensibus colendum dederunt. Delios vero rursus in Delum reduxerunt tum casus reputantes proeliorum tum oraculo moniti Apollinis.” Haec quum respici ab Euripide manifestum sit, doctum hoc drama esse hieme inter utramque aestatem interposita suspicor, ut oraculo dei cum maxime edito carmen Euripidis suffragaretur. Symplegadas petrasque Cyaneas sive insulas, quas Tauri habitarent, Bosphoro Thracio adiacere credebat Euripides; cf. vv. 124. 231. 250. 1354. 1371. In iis locis quod feminas Graecas bello captas fecit pro servis venditas commorari, finxit rem illis temporibus minime novam, sed eam, quae usu venire saepissime potuerit.

Consociatam cum Iphigenia fuisse fabulam Phruxi conicio, de qua exponendum prius esse videtur.

*) Vv. 1065 — 1081.

A. Phrixus.

Argumentum, id quod Welckerus cognovit, continetur iis, quae Hyginus c. 2. refert, quibuscum congruit narratio Apollodori. Illius quidem verba haec sunt: „Ino, Cadmi et Harmoniae filia, cum Phrixum et Hellen ex Nebula natos interficere voluisset, iniiit consilium cum totius generis matronis et coniuravit, ut fruges, in sementem quas darent, torrerent, ne nascerentur, ita ut, cum sterilitas et penuria frugum esset, civitas tota partim fame partim morbo interiret. De ea re Delphos mittit Athamas satellitem, cui Ino praecepit, ut falsum responsum ita referret: „Si Phrixum immolasset Iovi, pestilentiae fore finem.” — Coniuratio mulierum omnium contra viros omnes non potuit propter unius feminae odium fieri, sed oportuit eam ex communi indignatione atque impatientia imperii virilis natam esse fingi. Ad Lemniadum igitur modum Boeotiae mulieres ex servitute se atque iniuriis, quibus a viris afficerentur, in libertatem vindicare conabantur. Euripides quum de universa mulierum conditione deque coniugiorum iuribus disputationes frequentes instituerit, tum illam sententiam studiose imitatus est plusque una tragoedia in ea caussa versante effinxit.

Prologum ab Inone actum esse fragmenta ostendunt, quibus de patre et cognatis eius exponitur:

*Σιδώνιον ποτ' ἄστν Κάδμος ἐκλιπών,
Ἄγῆνορος παῖς, ἕκετ' ἐς Θήβης πέδον.*

Europae quoque et tauri, quo vecta erat, factam mentionem esse Eratosthenes Catast. 14. testatur: ταῦτος οὗτος λέγεται ἐν τοῖς ἄστροις τεθῆναι διὰ τὸ Εὐρώπην ἀγαγεῖν ἐκ Φοινίκης εἰς Κρήτην διὰ τοῦ πελάγους, ὡς Εὐριπίδης ἐν τῷ Φοῖξῳ. Nec fratres Inonis omittebantur:

*ἦσαν γὰρ — — — Ἄγῆνορος κόροι
Κίλιξ, ἀφ' οὗπερ Κιλικία κικλήσκειται,
Φοίνιξ, ὅθενπερ τοῦνομ' ἡ χώρα φέρει,
καὶ Θάσος.*

Ad Cadmum inde rediens Ino eum dicit a patre, nisi so-

rorem invenisset, exulare iussum, in Boeotia sedem fixisse:

Φοίνιξ πεφυκῶς ἐκ δ' ὀρίζεται χθονός.

Tam claris se prognatam maioribus ab Athamante peregrino, qui cum matrimonio suo simul regnum adeptus sit, non eo, quo deceat, honore haberi queritur; id vero minime ferendum esse, quod regnum a suis liberis Cadmique nepotibus ad Nephelēs filios, ut natu maiores, transferre constituerit. Quare se ad vindicandam ab iniuriis suam dignitatem conspiracy fecisse mulierum totius civitatis, ut fame ex agrorum sterilitate effecta ferocia virorum comprimeretur. Intellecturos viros, quantum in mulieribus ad salutem tam publicam quam domesticam tuendam momenti sit. Simul hoc se illa machinatione consecuturam, ut, Phrixo privigno sublato, regnum avitum Cadmi nepotibus servaretur.

Accedit deinde ad eam satelles, ex oraculo Delphico rediens, quo erat ad consulendum de fine sterilitatis deum missus ab Athamante. Cui, cum sit antiquus domus Cadmeae famulus —

λάτρις πενέστης ἀμὸς ἀρχαίων δόμων) —*

facile persuadet, ut celato dei responso ficta referat, Phrixum, ut sterilitate terra liberetur, immolandum esse. Aequum rectumque esse ducit satelles dominam, cui hereditate traditus sit, in persequendo iure adiuvare:

*πολλοῖσι δούλοις τοῦνομ' αἰσχροῦν, ἧ δὲ φρῆν
τῶν οὐχὶ δούλων ἔστ' ἐλευθερωτέρω.*

Hoc finito colloquio prodeundum choro fuit, qui non potest ex viris, sed ex feminis reginae familiaribus constitisse. Parodo labores civium, penuria famesque describendi fuerunt, tum sciscitandum, quidnam deus remedii proposuisset.

Prodit rex, de oraculi responso certior factus, negatque se sua manu pro salute populi liberos suos interfecturum**). Argumentis utitur ex philosophia petitis: impiam

*) Athen. VI. p. 264. b. οὗτοι μὲν οὖν οἱ κατὰ τὰς ὁμολογίας καταμειναντες καὶ παραδόντες ἑαυτοὺς ἐκλήθησαν τότε μενέσται, νῦν δὲ πενέσται· καὶ πολλοὶ τῶν κυρίων ἑαυτῶν εἶναι εὐπορώτεροι· καὶ Εὐριπίδης ἐν Φριξῷ κτλ.

**) Hyginus: „Quod cum Athamas se facturum abnuisset.”

esse pietatem ipsam, si quis caede deos colendos esse opinetur, neque Iovem, si improba cupiat, summi numinis naturam dignitatemque tueri:

εἰ δ' εὐσεβῆς ὦν τοῖσι δυσσεβεστάτοις
εἰς ταῦτ' ἔπρασσον, πῶς τὰδ' ἄν καλῶς ἔχοι;
εἰ Ζεὺς ὁ λῶστος μηδὲν ἔνδικον φρονεῖ, —

His auditis Ino simulato studio viro adstipulatur vitaeque privigni parcendum esse ipsa censet:

ὡς οὐδὲν ὑγιές φασι μητροιάς φρονεῖν
νόθοισι παισίν· ὦν φυλάζομαι ψόγον.

Et probat chorus fidem feminae:

δίκαί' ἔλεξε· χρὴ γὰρ εὐναίῳ πόσει
γυναιῖκα κοινῇ τὰς τύχας φέρειν αἰεί.

Sine dubio celare oraculum rex et, si necesse sit, potius suam, quam filii, vitam populo condonare constituit.

Locus fit alteri chori carmini, quo de atrocitate remedii feminae queruntur:

(στερόδ' ἀ μὲν) ἀνάγκη
πεινῆν διὰ βίου,
τὸ δ' ἀθλιώτερον
ἀπαλλάττειν *).

Interim oraculum percrebuit, et populus seditione mota regem vi ad immolandum filium coacturus est **). Verba facit aliquis plebis dux, exprobrans regi, quod nulla usus sit liberalitate aut beneficentia neque inopiae plebis ulla ratione succurrerit:

κοινωνὸς οἶξαι μὲν σιροὺς οὐκ ἤξιον ***)

κρείσσων δὲ βαιὸς ὄλβος ἀβλαβῆς βροτοῖς,
ἢ δῶμα πλούτῳ δυσσεβῶς ὠγκωμένον.

Ignaviae accusat, quod quominus filium immolandum concedat recusat:

*) Fragm. inc. 242. vulgo καὶ ἀθλιώτερον pro τὸ δ' ἀθλ. Trimeteros Matthiaeus efficere noluisse, si rationem habuisset caesurae.

***) Apollodorus: τοῦτο ἀκούσας Ἀθάμας, συναναγκαζόμενος ὑπὸ τῶν τὴν γῆν κατοικούντων, τῷ βαμῶ παρέστησε Φοῖξον.

****) Vulgo καὶ μῶν ἀνοῖξαι. Valck. καὶ νῶν ἀνοῖξαι. Sunt autem σιροὶ τὸ ἐπιτήδειον ἀγγεῖον εἰς ἀπόθεσιν πυρῶν καὶ τῶν ἄλλων ὀσπρίων.

ἀνῆρ δ' ὃς εἶναι φήσῃ, ἀνέρος οὐκ ἄξιον
δειλὸν κεκλήσθαι καὶ νοσεῖν αἰσχρὰν νόσον.

Quaerit, num extinctis civibus regnum suum constare posse opinetur:

αἱ γὰρ πόλεις εἴσ' ἄνδρες, οὐκ ἐρημία.

Denique absurdum esse dicit spe animum pascere, ubi nil iam sperandum sit:

δι' ἐλπίδος ζῆ καὶ δι' ἐλπίδος τρέφου.

Perseveranter rege recusante, cum periculum domui regiae immineret, Phrixus ultro se immolandum obtulit. Hyginus: „Quod cum Athamas se facturum abnuisset, Phrixus ultro ac libens pollicetur se unum civitatem aerumna liberaturum.” Generosi adolescentis oratio philosophicis sententiis exornata fuit, velut haec, quam risit Aristophanes:

τίς δ' οἶδεν, εἰ ζῆν τοῦθ', ὃ κέκληται θανεῖν,
τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστὶ; πλὴν ὅμως βροτῶν
νοσοῦσιν οἱ βλέποντες, οἱ δ' ὄλωλότες
οὐδὲν νοσοῦσιν οὐδὲ κέκτηνται κακά.

Potuit fragm. inc. 238. hic locum habere:

τὸ μὲν σφαγῆναι δεινόν, εὐκλειαν δ' ἔχει,
τὸ μὴ θανεῖν δὲ δειλόν, ἡδονὴ δ' ἐνι.

Ducitur igitur ad aram Phrixus, choro eum cum paeane et gratulationibus prosequente. Inter hunc cantum accidunt ea, quae his verbis Hyginus exponit: „Itaque quum ad aram cum infulis esset adductus, et pater Iovem comprecari vellet, satelles misericordia adolescentis Inus Athamanti consilium patefecit.” Haec non in scena acta, sed per nuntium exposita esse videntur. Narrationis vestigium exstat apud Photium: „πῶ γωνα πυρός, τὴν ἀναφορὰν τοῦ πυρός· Εὐριπίδης Φοῖξω”, quod de igne altarium dictum esse videtur. Pro clausula hanc fuisse sententiam arbitror:

ὅστις δὲ θνητῶν οἴεται καθ' ἡμέραν
κακόν τι πράσσειν τοὺς θεοὺς λεληθέναι,
δοκεῖ πονηρὰ καὶ δοκῶν ἀλίσκεται·
ὅταν σχολὴν ἄγουσα τυγχάνῃ Δίκη,
τιμωρίαν ἔτισεν ὧν ἤρξεν κακῶν.

Praesentis enim numinis vi atque potentia adolescens ser-

vatus frausque detecta erat. Redit cum filio Athamas et nefariam mulierem in iudicium vocat: de qua fabulae parte haec refert Hyginus: „Rex facinore cognito uxorem suam Ino et filium eius Melicerten Phrixo dedit necandos.”

Ex oratione Athamantis haec deprompta sunt, quibus mulieres, si sint probae, dulcissimo viris solatio, sin improbae, atrocissimam perniciem esse docuit:

γυνή γὰρ ἐν κακοῖσι καὶ νόσοις πόσει
ἤδιστόν ἐστι, δάματ' ἦν οἰκῆ καλῶς,
ὄργην τε πραῦνουσα καὶ δυσθυμίας
ψυχὴν μεθιστᾶσ' ἠδὲν ἀπάται φίλων.

Capitis damnata Io misericordiam movet chori:

καὶ γὰρ πέφυκε τοῦτ' ἐν ἀνθρώπων φύσει·
ἦν καὶ δίκη θυήσκη τις, οὐχ ἤσβον ποθεῖ
πᾶς τις δακρῦειν τοὺς προσήκοντας φίλους.

Abducta iam ad supplicium Inone cum filio, relictoque in scena Athamante, descendit de coelo Liber servatamque a se nutricem suam ostendit. Hyginus: „Quos cum ad supplicium duceret (Phrixus), Liber pater ei caliginem iniecit, et Ino suam nutricem eripuit.” His addenda quae in sequenti capite perscripta sunt: „Phrixus et Helle insania ab Libero obiecta, cum in silva errarent, Nebula mater eo dicitur venisse et arietem inauratum adduxisse, Neptuni et Theophanes filium, eumque natos suos ascendere iussit et Colchos ad regem Aetam, Solis filium, transire ibique arietem Marti immolare.” Sed accuratius Euripidis vestigia Apollodorus secutus esse videtur: „Nephele autem ipsum cum filia sua eripuit et a Mercurio acceptum aurei velleris arietem ei donavit, quo quum per aerem veherentur, quicquid terrae ac maris interiacebat, superarunt. Ubi autem ad fretum, quod Sigeum inter et Chersonesum iacet, pervenerunt, Helle in profundum delapsa ibique extincta est, unde ab ea fretum Hellespontus appellatum est. Phrixus autem in Colchos pervenit, ubi Aetes regnabat.” Testimonium huius praedictionis, quam Phrixus, quamvis procul errans, ex dei ore audiebat, exstat apud schol. Apollon. II, 382: ὅτι δὲ νῆσος αὐτῆ ὀρνυθίας ἔχει τοξευούσας τοῖς πτεροῖς ὡς βέλεσιν, ἰστορεῖ καὶ Εὐριπίδης ἐν Φρίξῳ. Unde pericula itineris omnia

praedicta esse apparet. Etiam fraudem generis matronarum a deo detectam esse consentaneum est.

Duas Phrixi fabulas ab Euripide conscriptas fuisse ex scholiastae Aristoph. Ran. 1256. (1225.) verbis hisce collegit Welckerus: ἔστι δὲ τοῦ β' Φοῦξου Εὐριπίδου ἡ ἀρχή. Ego citius scribam in hac una littera errasse, quam silentibus testibus reliquis omnibus hunc unum scholiastam verum tradidisse crediderim.

Ceterum non exiguam huius tragoediae laudem fuisse inde apparet, quod partes eius vel versus Isocrati, Antipatri, Aristophani, Plutarcho, Iustino, Athenaeo, Eratotheni, Sexto Emp., Eusebio, Clementi Alex. aliisque familiares fuerunt. Neque ad verba tantum quaedam Aristophanes in Ranis (1225. et 1477. et 1082.) respexit, sed totum drama ad risum detorsisse videtur in *Lysistrata*, qua fecit viros abstinentia Veneris pro cibi privatione in angustias a mulieribus compelli. Idem argumentum et Aeschylus et Sophocles tractaverunt, Athamantis nomen fabulis suis inscribentes. Et Sophoclis quidem argumentum quomodo conformatum fuerit, ex schol. Aristoph. Nub. 258. cognoscitur. Sterilitatis auctricem Nephelen induxerat Athamanti, quod spreta atque Inoni mortali postposita erat, irascentem. Adulterinum oraculum et ipse fraude Inonis referri finxerat. Arcessebantur deinde per dolum ex agris duo Nepheles liberi, quibus aries, voce utens humana, periculum declaravit, statimque illi in eius tergum ascendentes salutem petierunt. Nephela autem poenas caedis liberorum ab Athamante expetens ipsum iussit immolari. Qui cum coronatus ad aram constitisset, Herculis interventu servatus est. Duplici igitur deorum auxilio dupliciter impeditum nodum Sophocles non solvit, sed discidit. Neque tamen inelegantem hanc tragoediam fuisse inde conicias, quod Attius eam imitatus est *).

*) Welck. p. 319 seqq.

B. Iphigenia in Tauris.

Repraesentatur templum Dianae spoliis immolatorum ornatum et ara cruore sparsa. Tempus diei fingitur esse mane. Prodit autem ex aedibus sacris, in quibus habitare fingitur, Iphigenia sacerdos, visis excitata somniorum, quibus Orestis fratris mortem significari putat: quamobrem inferias ei, ut defuncto, mittere constituit. Sed antequam haec pronuntiet animique sensa aperiat, de vita sua priore exponit. Neque enim solis eruditis atque acutioris iudicii hominibus Euripides, sed multitudini scripsit, quae, quum sit parum apta ad coniungenda callide ea, quae aliud agendo obiter monentur et rebus ipsis postulantibus opportune inseruntur, perspicua atque continua explicatione sine ambagibus docenda est.

Immolandam se ait Iphigenia fuisse propterea, quod pater eo anno, quo nasceretur, vovisset se quidquid annus procreasset pulcherrimum Dianae oblaturum esse*). Tauricae vero deae victimis humanis gaudentis numen quo minus detestetur, vix se retinet**) et praeter nomen quidquam in ea pulcri esse negat***). Ceterum non virgo ipsa caedes perficit, sed tantum crinibus desectis mola spargit hostias; eadem, postquam sic deae consecratae sunt, intro in penetralia templi abductae a barbaris sacerdotibus in occulto interficiuntur. Thoantis nomen quod unde ductum sit docet, a pedum celeritate illud impositum esse dicens, hoc illius saeculi Euripides consuetudini atque opinioni tribuit, qua nomina pro ominibus habebantur, neque transferebantur a patribus ad filios, sed ex temporibus locisque aut ex praedictionibus ducebantur.

Solent autem prooemiis partim res ante actae exponi, partim ad ea, quae statim agenda sunt, aditus parari.

*) Huc respexit Cic. Off. III, 25, 4: „Agamemnon, cum devovisset Dianae quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius.”

**) τὰ δ' ἄλλα σιγῶν, τὴν θεὸν φοβουμένην.

***) τοῦτον μὲν ἦς καλὸν μόνον. Cf. Aeschyl. Agam. 140. ἃ Καλά.

Quod nisi Iphigenia a patria domoque paterna sic esset remota, ut ne nuntius quidem ad eam ullo modo pervenire posset, non esset poetae necesse ad somniorum visa confugere. Ceterum somniorum a diis, id quod facile est intellectu, missorum non levior fides quam nuntiorum est, ut recte Iphigenia, tanquam re explorata, et inferias fratri defuncto obferat et funditus iam gentem suam interisse credat: nam quod errat in interpretando somnio iamque mortuum fratrem esse putat, qui in periculum tantum mortis adduci significatur, id ipsum aptum et necessarium est. Hic autem error impeditiois fons et caussa est: nam si recte somnium Iphigenia interpretata esset, fratrem esse alterum eorum, qui pro hostiis adducerentur, statim intellexisset. Neque vero, si Pyladis genus ei notum fuisset, imprudens occisura fuisset cognatos: quamobrem illum minorem natu quam Orestem fuisse et postea naturam esse, quam Iphigenia domo abduceretur, significari necesse fuit. Nam nomen quidem Pyladis ut celaretur, propter furorem Orestis fieri non potuit. Mirati sunt quidam, quod non de patre potius, quam de fratre Iphigenia cogitasset, qui minus attendisse ad causam, quam ipsa profert, videntur:

στῦλοι γὰρ οἰκῶν εἰσὶ παῖδες ἄρσενες.

Hanc expositionem si qui nimis importunam et magis actore aliquo, qui se actoris dumtaxat munere fungi profiteretur, quam persona Iphigeniae dignam esse iudicabunt, permitto iis, ut totam abiiciant. Nihil enim demta ea dramati deesse videbunt: quod est documento Euripidem non propter sui ingenii inopiam, sed ut spectatorum tarditati occurreret, haec praemisisse. Sed Iphigenia his rebus expositis in domum redit, famulas, quibus adiuvantibus inferias oblatura est, nondum adesse dicens, revera autem locum datura colloquio Orestis ac Pyladis, qui, antequam capti ad supplicium traherentur, producendi ostendendique spectatoribus fuerunt, ut invicem ipsi quoque de prioribus rebus gestis, de caussa navigationis et consilio imaginem deae auferendi exponerent. Commodius res procederent, si statim famulas Iphigenia paratas invenisset, simulque aptius sermonem cum his serendo, quam

ad concionem dicendo de priore vita exposuisset. Accedit, ut Orestis Pyladisque colloquium, quum ad docendos spectatores et ipsum instituatur, in initio dramatis collocari potuerit commodissime. Haec, quae quilibet videt, fugisse Euripidem non est credibile: qui quod facere, quae prona erant, omisit, inde patet eum id, quod alii sequebantur, etiam de industria vitasse, ac noluisse ab instituta ratione ullo modo discedere*). Pluris nimirum faciebat perspicuitatem, quam facilem naturalemque rerum decursum, ac praestare censuit doceri semel de summa rerum plana aperta que explicatione spectatores, quam paulatim cognoscere divinando et coniciendo quae passim obiterque significarentur. Statim igitur prima aggressionem occupavit animos imbuitque studio eorum, qui in periculis versantur; nihil obscuri, nil ambigui, nil reconditi reliquit, nil per ambages significavit, sed plane disertaeque de omnibus rebus explicavit. Abiicienda est igitur opinio illa satis pervulgata, varietati formularum ac dispositionis Euripidem studuisse, ut novitate quasi suppellectilis spectatores alliceret, quos rerum verborumque virtute tenere minus posset, neque certum compositionis institutum servasse, sed per libidinem alia atque alia tentasse, quibus vetus tragoediae institutum dignitasque a prioribus tradita everteretur; repudianda est accusatio importunitatis imperitiaeque, qua iniquissime premitur poeta is, cuius summa ingenii sollertia in struendis dramatum argumentis apparet.

*) A. Um Gottes willen! hat man schon eine solche Exposition gesehen! Man sehe doch, wie tief die dramatische Kunst gesunken ist!

B. Aber ich habe doch Alles recht gut verstanden.

A. Das ist ja eben der Fehler! Man muß es dem Zuschauer so verstohlener Weise unter den Fuß geben, ihm aber nicht geradezu in den Bart werfen!

B. Aber man weiß doch nun, woran man ist!

A. Das muß man ja durchaus nicht so geschwind wissen: daß man so nach und nach hineinkömmt, das ist ja eben der beste Spafs.

B. Die Illusion leidet darunter, das ist ausgemacht!

Tiecks gestiefelter Kater.

Prodeunt igitur primo mane in scenam caute circumspicientes, ne quis obviam veniat barbarorum, Orestes atque Pylades, qui Apollinis iussu iter longum ac periculosum emensi ex Graecia in Chersonesum Tauricam navi profecti sunt, simulacrum deae de coelo delapsum petitori, quo Athenas perlato Orestem furore atque erroribus, quibus per totam actus est Graeciam, liberatum iri deus praedixit. Pericula adierunt Argonautis non minora, laborem susceperunt Iasone non leviolem; accedit, quod Orestes malo omnium, quae mortalibus accidere possunt, gravissimo cruciatur. Hac virorum nil non sustinentium audentiumque conditione vehementissime Graecos homines motos esse facile intelligitur. Nam quanto studio nos homines umbratici vitaeque amantes otiosae abstruse cogitata amplectimur, ut ne fabulas quidem probemus nisi eas, quibus sententiae aliquae haud vulgares vel praecepta sapientiae demonstrantur, tanto studio illi, ut erant strenui et laboribus animi corporisque ferendis adsueti, viros certamina fortiter subeuntes et pericula callide vitantes in scena spectabant, quippe non sensorum cogitatorumque subtilitate, sed robore animi corporisque et factorum magnitudine communem mortalium conditionem vincendam esse censentes. Hoc sentientes illorum poetae Hercules, Theaeos, Iasones, Ulysses effinxerunt, qui cum belluarum hominumque monstris certarent, qui terrarum marisque terrores contemnerent, qui Orci formidines tollere et coelum humeris suis imponere conarentur; nos contra Faustiis delectamur, pertractantibus quidquid artium humani ingenii sollertia inventum cultumque est, et veri investigandi causa pericula subeuntibus. Exemplo igitur Iasonis Orestes cum Pylade, fidelissimo amico, donarium sanctissimum barbaris erepturus et in patriam relaturus extremam orbis terram adiit; iamque ante ipsum templum, in quo illud servatur, constituti, conspiciunt aram sanguine hospitum sparsam exuviasque interfectorum de pinnis suspensas; mortem certissimam sibi, si conspiciantur, imminere intelligunt. Clausum est templum, muri vero altissimi sunt; sive in muros per scalas evadere sive claustra solvere conentur, latendi potestatem nullam esse vident. Privati

igitur facultate imaginis interdium auferendae, postquam speculati sunt foramina templi atque opportunitatem irrependi, noctu redire ad conata exsequenda, interdium autem in antro littori propinquo procul a navi corpora occultare, ceterum forti esse animo deque auxilio confidere constituunt *). Animorum generositas conspicitur in eo, quod Orestes, cuius salus in auferenda imagine tota nititur, ipse rei difficultatem ostendit fugaeque facit mentionem, Pylades contra, quem ad subeunda pericula nulla propria necessitas cogit, aut non suscipiendam navigationem fuisse, aut extrema iam, cum ad finem cursus pervenerint, audenda esse affirmat. Amici caussa pericula horret Orestes, amici caussa eadem contemnit Pylades: haec tacita amoris significatio facundissima oratione praestantior est. Etiam sententiis hoc colloquium egregiis ornatum est, velut hac: „Difficultas nulla iuvenibus excusationi est.”

Veniunt deinde feminae, quae chori munere funguntur, captivae, quarum patria Graecia est, sacrorum cultui destinatae eademque sacerdotis famulae. Hae, quum sint ab Iphigenia arcessitae, dum ad fanum deae sancte verecundeque accedunt, cuius rei caussa arcessantur, quaerunt curiosae. His illa luctu se et moerore acerbissimo affectam esse ostendit, fratris morte, qui superstes fuerit unicum domus paternae columnen, ex somniorum visis cognita: hoc enim extincto, extinctam esse universam familiam. Quare se nunc ei praesentibus illis unaque lugentibus inferias daturam sollemnes. His dictis lac, vinum et mel, quibus manes placantur, quoniam crines lacrimasque in tumulo libare non licet, in humum effundens, manes, ut placidi accipiant, precatur. Tum chorus naenias defuncto rite cantat, ipsum simul et Atridarum do-

*) Fugam Orestem suadentem faciunt scribarum et criticorum corruptelae. Scribendum est sic:

— — πῶς ἂν οὖν λάθοιμεν ἄν;
 ἢ χαλκότευκτα κληῖθρα λύσαντες μοχλοῖς,
 ἂν οὐδὲν ἴσμεν; ἢ δ' ἀνοίγοντες πύλας
 ληφθῶμεν εἰσβάσεις τε μηχανώμενοι,
 θανούμεθ'· ἀλλ' ἢ, πρὶν θανεῖν, νεῶς ἔπι
 φεύγωμεν, ἢ περὶ δεῦρ' ἐναυστολήσασμεν;

num continuis calamitatibus ex nefastis maiorum scele-
ribus deletum tantumque regni pristinum splendorem ex-
stinctam flebilibus modis deplorans*). Excipit cantum Iphi-
genia, sua ipsius mala deplorans, quod statim nascens morti
destinata fuerit, quod pro victima a matre nutrita sit ad
hunc finem, ut per dolum e domo abducta, quasi Achilli
nuptura, pro festorum laetitia perniciem inveniret. Nunc
autem se cognatis, amicis, liberis privari, in terra barbara
atque inhospitali aetatem agere, non deos patrios in templis
Graecorum laetissimis colentem, sed nefasto cultu hospiti-
um sanguine aras maculantem misere lamentantium, mi-
sere lacrimantium, et super haec omnia fratrem, quem vide-
rit in matris manibus et pectore etiamtum infantem, unicum
regni heredem, morte extinctum sibi lugendum esse.

Haec quum omnia apte, graviter, eleganter compo-
sita sint, tum praestantissimum est illud, quod pro ab-
sente et mortuo lugetur is, qui modo praesens vivusque
conspectus est**). Tum simplicissima ratione effectum
est, ne vacua dolore et quodammodo otiosa fratrem Iphi-
genia reciperet, neve, nulla facta doloris accessione, vetera
mala tanquam recentia doleret, quod contra naturam est.

Finitis his cantibus, non est dubium, quin somnium
quale sit quaesiturus fuerit chorus et cognito eo virginem
consolaturus. Sed praeciditur colloquium interventu bu-
bulci***), qui duos iuvenes peregrinos in littore comprehen-
sos esse nuntiat simulque aquam lustralem et molam pa-
rari iubet, quo citius illi adducti immolentur. Graecos
esse atque alterum Pyladem appellari compertum est, al-
terius autem nomen ignoratur. Cognoscere cupienti Iphi-
geniae, quonam modo in potestatem barbarorum Graeci
venerint, qui primi in hanc terram appulerint, haec nun-
tius exponit: Bubulcorum, qui boves maris undis lavabant,

*) Pro naenia dubitationes de somniorum fide proferendas fuisse censet Hermannus, oblitus, opinor, in Graecia feminas illas nutritas educatasque fuisse.

***) Haec Sophocles imitatus est in Electrae dramate aliquot annis post hanc fabulam docto; cf. Schoell. de Soph. vita p. 254.

****) V. 230: τί δ' ἔστι τοῦ παρόντος ἐκπλήσσον λόγον;

unus detexit iuvenes duos in spelunca delitescens, quos primo barbari deos esse putarunt, mox, quum naufragos esse intellexissent, venari et pro victimis deae adducere constituerunt. Interim Orestes mugitibus, ut videtur, boum percitus, quum Furiarum vocem sibi audire videretur, relicta spelunca caput concussit tremuitque manibus, et clamans more venatoris in armenta stricto gladio impetum fecit, Furias esse putans, et aliam vyperas sibi infestas immittere, aliam ignem necemque ex ore spirare, aliam matris imaginem instar saxi in se conicere. Tum vero pastores, cum antea obstupefacti timidique sedissent, nimirum aegre ferentes caedem armentorum, conchas inflant, quarum audito sono turba incolarum magna congregatur. Interim remisso furoris impetu Orestes spumante ore corruit; Pylades et hunc protegit curatque, et barbarorum impetum solus sustinet. Inter telorum saxorumque iactus Orestes, recepta mente, solo exsilit, cognitoque periculo ingemiscens: moriendum est, inquit, Pylades: at videamus, ut quam honestissime moriamur! Inde coniunctis viribus gemini iuvenes partem barbarorum in fugam coniiciunt. Sed fugientibus aliis alii usque a tergo instabant. Nec tamen vicissent, nisi saxorum iactu gladios iuvenibus undique circumclusis de manibus excussissent: sic demum lassitudine victi domitique et ad regem perducti sunt. His expositis gratulatur nuntius Iphigeniae, quod in manus devenerint Graeci, quibus immolandis iniuriam ipsi ab universa Graecia illatam ulcisci possit. Non est Iphigenia tam duro animo, ut propter singulorum iniuriam universam gentem odio persequatur, neque vacat sensu humanitatis pietatisque ad barbaros perinde atque Graecos pertinente. Hoc autem tempore suae conditionis iniquitate efferata est, et necessario quidem. Pietatem enim nemo sentit, nisi qui expertus est. Atqui Iphigenia ab omnibus destituta ad hunc diem vitam solis iniuriis insignem traxit. Postremo Oreste cum domo paterna amisso etiam patriam plane amisit: itaque suae gentis amore deposito ne peregrinorum quidem amplius eam miseret. Hos igitur primos hospitem sine ulla misericordia immolatura est. Atque utinam, inquit, Helenam aut Menelaum venti in manus meas detulissent,

ut eadem crudelitate, qua ipsa Aulide morti oblata sum, illos invicem ulciscerer! Nulla enim mihi misericordia contigit, cum instar vituli ad aram trahebar, suppliciter manus ad mentum patris tendens, suppliciter genua amplectens oransque, ne, dum mater cum feminis Argivis hymenaeum cantaret festisque clamoribus tectum personaret, ipsa pro nuptiis supplicium acciperem, ne me per dolum domo abductam, quum, tanquam in thalamum Achillis itura, amplecti fratrem sororemque pudibunda omissem, crudelissime interficeret. Ultimum igitur tum videram Orestem, qui iam opibus et aemulatione paternae virtutis privatus extinctusque est. Ceterum non potest Diana, Iovis filia, neque tam vafra neque tam inconstans esse, ut, cum eos, qui aut cruorem aut puerperas aut cadavera contrectaverint, ab aris arceat*), humanis victimis ipsa delectetur; sed barbari, cum sint ingenio crudeli, suum probrum in numen divinum transferunt. Nemo enim deus improbus est. Odium barbarorum et imprimis regis haec ultima declarant, quo minus mirandum est, quod illos decipere non dubitat. Nisi enim et crudelitatis et superstitionis opprobrio barbari tenerentur, nonquam fraudem Iphigeniae vel Oresti, quamvis ingenuis, ignosceremus.

His nihil inest, quod reprehendi possit, nihil, quod non egregie inventum apteque dictum esse fatendum sit. Furoris ratio ad naturae veritatem expressa; pugnae descriptio talis, qualis vel Homerum deceat; tota narratio tum admiratione commovet, tum expectatione suspendit spectatores. Accedit, ut, quae Iphigenia dicit, omnia verissima sint et naturae humanae accommodata. Et quidem dignissimum, ad quod animum advertamus, illud est, quod mansuetudinem suam et clementiam a pietate atque amore nationis suae et propinquorum originem duxisse fatetur. Qua in re quantum dispar est Goethii Iphigeniae, cuius ad universum genus humanum pietas pertinet, ut barbarorum salutis perinde, ac si essent populares sui, curam gerat,

*) Verba βωμὸν ἀπειργεῖ absurde interpretando Gruppe egregiam nactus est reprehensionis ansam, qui fere quicquid arguit vitiorum, ipse finxit.

ut regis imprimis animum ferocem sensu humanitatis imbuerit, ut populum universum beneficio mitioris imperii cultusque deorum sanctioris ornaverit. Contra illa, eversa domo paterna abscissaque spe reditus, e patria radicitus exstirpata, non habet quae praeterea diligit, quae studio atque amore amplectatur, quamque antea pietatem a suis ad alienos transferebat, ea exuta est, amissis iis, in quorum caritate vigeat. Quamvis aliena sit a crudelitate, non est aliena ab ulciscendi cupidine, quum recordatione eorum, quae ipsa passa est, misericordia erga eos, quibus idem patiendum est, minuat. Haec dicens quum terminis intelligentiae Graecorum angustis includatur, tum rursus, vitia hominum diis imputari conquerens, eandem superat. Malis igitur exacerbata omnique pietate vacua est Iphigenia eo ipso tempore, quo immolandi adducuntur ii, quibus cum necessitudinis vinculis arctissimis coniuncta est; hostes sibi ulciscendos in manus dari putat, cum tradantur frater atque affinis, suae gentis, quam penitus interisse putat, unicae reliquiae; dolore efferata, quod deletam domum paternam putat, columina eius inscia ipsa eversura est. Quae rerum conditio vere tragica nullo artificio quaesita, sed ex causa necessario nata est.

Interponitur chori carmen rebus, quae aguntur, accommodatissimum. Et primum quidem scire cupiunt feminae, quinam Graecorum et ex quam civitate profecti fretum traiecerint horribile, quod ante Ionem furore periclitam nemo tangere ausus sit, quinam vecti sint in terram inhospitalem, ubi humano sanguine arae Dianae spargantur: an mercatores, auri caeca cupidine ducti, temerario conatu per saeva maria in terras remotissimas navi adacta delati sint eo, ubi frustrata spe pro divitiis mortem sint adepturi. Deinde miratur, quod potuerint tam multa tamque atrocia littoris importuosi pericula, ventis cursum adiuvantibus et secundantibus iter Nereidibus*), feliciter vitare. Denique optat, ut aut Helena in manus dominae

*) Hermannus inutilem verborum strepitum ait continere ea, quae de Nereidibus inserantur, semper reprehendens quae non intelligit.

ultrices delata sit*), aut venerint qui servitutis iugo ipsas liberent. Nam vel in somniis se cupiunt patriae solo insistere et participes esse festorum laetitiae, et communi cum beatis gaudio perfrui.

Adducuntur deinde colligatis manibus duo illi iuvenes immolationi destinati, simulque Iphigenia, expeditis iis, quibus opus est, e domo in scenam redit, quae statim, postquam in conspectu suo victimae constiterunt, ut rite fiant sacra, vincula solvi, apparitores autem intro in templum abire iubet et parare ea, quae ad rem praesentem opus sint. Tum vero intuens iuvenes, quasi praesagiente animo propinquos esse, quos intueatur, miro modo afficitur seque deplorat victimarum vicem deplorans. Ita repente omnis duritia ex animo abiit, ut se loco sororis peregrinorum esse fingat et misereat eam patris, matris, sororis ignotorum, quippe qui praestantissimis iuvenibus ignari priventur, denique de obscuris deorum consiliis conqueratur. Scire igitur cupit, unde profecti sint hospites, qui longissimum iter emensi longissimum tempus a suis diiuncti sint apud inferos futuri. Haec animi commutatio quivis intelligit quam sit naturae et conditioni Iphigeniae conveniens, quamque ad afficiendos animos spectatorum apta, praesertim quum quam ignorantiam mortalium circa ea, quae iis accidunt, deplorat virgo, ea vel maxime ipsa teneatur. Huius autem generis totum hoc colloquium est, ad suspendendos animos commovendosque mirifice comparatum. Nam quum expectationem moveant quaestiones, tum responsa fere omnia partim tecte significando quae aperire personae vel nolunt vel nequeunt, partim insciis invitisque iis ipsis, qui loquuntur, tangendo veram conditionem studium, miserationem, sollicitudinem excitant. Nam quae verborum ambiguitas in levibus ridiculisque rebus

*) Scribendum est:

ἴν' ἀμφὶ χαιταν
δρόσον αίματηγὰν
ἐλιχθεῖσα λαιμότομος
δεσποσύνα θανεν
ποιναὶς δοῦσ' ἀντιπάλους,
 ut coniungantur *δεσποσύνα ποιναὶς δοῦσα.*

hilaritatem gignit, in gravibus moestisque eadem, quum breviter conciseque dictis plus significatur, quam significari videtur, multorumque admonentur spectatores, quae eos ipsos, qui colloquuntur, fugiant, mirum quantum valet ad afficiendos miseratione animos peritorum, causam eorum, qui colloquuntur, cum iis, quae illi imprudentes dicunt, comparantium. Huic autem miserationi admiratio admiscetur magnanimitatis et constantiae Orestis, acerbae necessitati, in quam se putat deorum iniquitate deductum esse, sine querelis parentis. Postquam enim eo deventum sit, ut indigna morte pecoris instar pereundum sit, ne cum corporis supplicio nominis ignominia coniungatur, tacitus ignotusque omnibus intereundum sibi esse constituit. Ergo miserationem sacerdotis, ut inutilem, respuit, nolens, cum spem salutis nullam esse videat, duplex malum pro simplici suscipere aut imminentis periculum mortis obruere lamentis. Eadem ratione aperire virgini quae sciscitatur recusat. Itaque, quis sit, quaerenti infelicem se dicit esse, cetera iam curanda esse negans*). Sic remoto, quod Iphigeniae dolor antea obstruxerat, impedimento, alterum infertur obstinatus fratris animus. Postremo comiter benigneque roganti, ut id sibi tanquam beneficium tribuat, Argivum se esse declarat, ex Mycenis quondam felicibus oriundum, sed ex patria exsulare. Tum vero Iphigenia, cognito quod iucundissimum erat auditu, blande iterum rogat, ut quae scire cupit aperire velit; neque Orestes leve dolorum additamentum detrectat. Cognoscit igitur illa primum, qualis, eversa Troia, sors fuerit eorum, qui ipsius immolandi auctores fuerunt, redisse Helenam et Spartae rursus cum Menelao habitare, interisse Calcham, errare etiamnunc procul a patria, multis malis afflictum, Ulyssem, occidisse Achillem. Deinde de propinquorum suorum fortuna molestius quaerens et de patris matrisque caede et de sororis fratrisque sorte docetur. Haec omnia singulis versibus et quaeruntur et respondentur ita, ut multa breviter dictis insit ambiguitas

*) Meritis laudibus hanc morum Orestis adumbrationem extulit Guil. E. Weberus p. 76. 77.

atque obscuritas. Utroque nomen genusque suum celare studente, et tamen passim, superante vel metu vel cupidine, invito, quam sit rebus hominibusque, de quibus quaeritur, affinis, prodente, expectatione inter spem metumque suspensi tenentur spectatores. Hoc dissimulandi studio ducta prius de alienis, quam de suis quaerit Iphigenia, sperans hospitem ultro, dum de summa belli deque ducibus quaeratur, imperatoris, qui summae praeerat, mentionem facturum. Hoc autem ipsum, quod illa cupidissime petit, Orestes studiosissime declinat. Tandem illa a reluctantante impetrat, ut aperiat pronuntietque ea, quorum a recordatione animus refugit. Matrem ab Oreste occisam esse audiens, recte quidem iusteque, sed infeliciter factum esse censet. Horum nihil non egregium est, sed praestantissimus finis. Cognito enim vivere Orestem, sed vagum errare, ubi se somniorum fraude virgo inanium deceptam esse significavit, Orestes reputans se et ipsum insigni dei fraude, cuius oraculis paruerit, tum ad nefarium scelus compulsus tum in miserrimum letum deductum esse, „Fallaces sunt,” inquit, „non minus dii, qui sapientes esse putantur, quam levia somnia; confusio inest divinis perinde atque humanis rebus, neque quidquam certum constansque est praeter infortunia.” Et nobis quoque confusio pro solutione nodi effecta esse videtur; sed alio rem dirigunt dii. Statim enim Iphigenia unum ex captivis domum ad amicos suos cum epistola dimittere constituit, alterius autem sacrificio deae satisfacere. Generosum enim eum, cum quo colloquatur, esse, ut confidere ei recte possit, cognovit. Scriptam autem epistolam, quam traditura est, fingit a priore aliquo esse captivo, qui intelligens, non ipsam, sed legem civitatis, causam esse immolationis, hoc sibi roganti gratificatus sit, hoc scilicet humanitatis exemplo animum Orestis movere studens, ut excusata muneris sui crudelitate socium infortunii imitari ne dedignetur. Probat Orestes consilium utrisque utile, sed pro se ut amicus suus dimittatur, suadet. Hunc enim, quum nulla propria necessitate coactus propter solam amicitiam societatem inierit laborum et navigationis sibi suscipiendae, digniorem esse, qui superstes sit, idque

sibi ipsi et salutare fore et iucundum. Turpe enim esse, amicis in calamitatem coniectis, ipsum servari. Hanc animi magnitudinem admirans virgo optat, ut eodem sit animo frater suus, quem superstitem esse gaudet, disiunctum a se esse dolet. Probato consilio, cum Orestem immolari certum esse videatur, hic, cuiusnam sacerdotis manibus et quam ratione imoletur, quaerit. Quo loco egregia ambiguitate virgo se a dea accepisse dicit *τῆνδε προστροπήν*. Reliquum colloquium eiusmodi est, ut ritus immolandi depingatur vividissimis coloribus. Ratio autem immolandi describitur ea, qua utebantur Poeni. Forti animo haec audit Orestes; unum dolet, quod ne mortuus quidem a sorore, quam unam ex cognatis superstitem habet, componatur. Tum Iphigenia pollicetur se loco sororis quocunque possit honore popularem suum affecturam esse, infusuram mel et oleum corpori defuncti, et tumulum decoraturam: proinde ne quid odii in se immolantem concipiat. His dictis iubet apparitores, qui interim ex templo redierunt, custodire peregrinos; ipsa intro abit petitura litteras, quas sperat magnae suis laetitiae fore, vivere nuntiantes eam, quam illi pridem mortuam esse falso sibi persuaserint.

Commiserante choro Orestem, gratulante autem Pyladi, ille mortem sibi beatam videri, hic reditum sibi amisso amico tristem esse dicit: unde aequae utrumque miserum esse apparet. Reputans autem Orestes, quam accurate virgo de bello Troiano, de Agamemnone, de uxore deque liberis eius nominatim omnibus quaesierit, Argis eam oriundam esse suspicatur. Ab his tamen vestigiis persequendis Pylades rursus abstrahit, regum casus fere omnibus, qui animum advertant, notos esse monens. Avocatur etiam in alienam deliberationem. Decere enim censet Pylades se, cum socius fuerit navigationis, socium esse mortis. Nam infame sibi fore interfecto amico solum redisse, et credituros plerosque hunc a se, ut ipse cum sorore regnum eius adipisceretur, vel proditum vel etiam ex insidiis interfectum esse. Cuius turpitudinis vitandae causa necesse esse dicit se cum amico una et exspirare et concremari. Haec ab Oreste sic refutantur, ut vitam Pyladis, quam

mortem, amico utiliore esse appareat. Ac primum quidem probrosum non minus sibi, quam Pyladi, fore perdito amico redisse, ostendit. Tum sibi, qua sit fortuna, mortem detrectandam esse negat; Pyladem contra, cum nullis sit pollutus piaculis, liberis ex Electra sublatis, effecturum, ne memoria sua neve domus paterna deleatur. Proinde, inquit, proficiscere et vive et domum habita patris; reversus autem Argos tumulum mihi exstrues et monumentum impones, soror vero crines sepulcro lacrimasque dabit. Obtestatur amicum, ne unquam sororem prodita domo paterna deserat, et valere iubet socium, sodalem, amicum fidelissimum, qui amici causa omnia toleraverit. His editis mandatis, se ab Apolline, cui unice confiderit suaque omnia permiserit, proditum esse queritur. Pylades, si quidem non vivus, sed mortuus colendus sit amicus, effecturum se mandata fideliter pollicetur; ceterum, quamvis prope caedem constiterint, desperandum esse negat: nam atrocissima saepe discrimina felicissimas accipere rerum mutationes. Nulla huic colloquio inest putida generositatis pietatisque affectatio, qua in eiusmodi contentionibus fere nunquam abstinere recentiores poetae, nulla voluntatis dissimulatio, nulla mutua laudis praedicatio, nulla animorum mollities, nulla lacrimarum excitatio. Huc accedant, haec intueantur adolescentes, qui, qualis sit vera virtus et quantum distet a Selmaris Selmaeque miseria, cognoscere volent. Orestis Pyladisque simplicitatem, ingenuitatem, tranquillitatem, constantiam animo proponant, quicumque vera a fictis, quorum admiratione decepti plerique somno se socordiaeque tradunt, discernere volent; haec admirentur, qui veteris disciplinae lacte saluberrimo se corroborari et virtutis exemplaribus, quae veteres poetae artificesque proposuerunt, ad paris praestantiae aemulationem animos excitari atque inflammari cupient.

Redit ex aedibus Iphigenia nullo carmine chori, quo actus disiungantur, interposito; tum satellitibus rursus in templum ad expedienda necessaria ablegatis, priusquam litteras Pyladi tradat, cavendum esse censet, ne hic liberatus periculo mandata negligat. Quamobrem, quo certius

epistolam Argos perferat reddatque cognatis suis, iureiurando eum obstringendum esse censet, invicemque ipsa, postulante Oreste, iureiurando affirmat se Pyladem non solum incolumem dimissuram esse, sed etiam, ubi persuaserit tyranno, ipsam navi imposituram. Iuramentis rite utrimque datis, Pylades, ut decet virum prudentem, naufragium excipit, ne etiamtum, si epistola in mari cum ceteris rebus suis interierit, soloque corpore evaserit, iureiurando teneatur. Etenim iuratis non sensus tantum, sed formulas quoque verborum, in quae iurassent, servandas esse veteres credebant. Quibus auditis Iphigenia curandum esse statuit, ne cum rebus mandata intereant. Ergo quae scripta sunt in epistola, ut, si quo casu amissa sit, ore Pylades referre possit, verbis exponit: „Nuntia,” inquit, „Oresti, Agamemnonis filio, haecce: Iphigenia, quae Aulide immolata est, viva vivis has mittit litteras. Deduc me Argos, o frater, priusquam moriar, ex terra barbara, eripe e munere, quo hospites deae immolare cogor; sin minus, diras familiae tuae imprecabor, Orestes (ut bis auditum nomen firmiter teneas). Dic,” inquit, „cerva supposita, quam pater immolans me immolare putarit, servatam me a dea et in hanc terram translata esse. Haec in epistola perscripta sunt.” Haec recitans Iphigenia bis ab Oreste, ut par est, interpellatur, cuius tamen voces prae cupidine negligit. Auditis autem omnibus, Pylades facillimo se iuramento et cui satisfieri sine mora possit, obstrictum esse gaudens, Oresti praesenti litteras a sorore missas continuo tradit: quibus hic acceptis statimque abiectis corpus ipsum sororis amplecti, neque auribus tantum, sed etiam manuum contrectatione gaudium insperatum percipere cupit. Temeritatem peregrini mirantur famulae, stupet Iphigenia atque avertitur; mox, affirmante eo se Agamemnonis filium esse, signa documentaque incredula requirit. Proferente Oreste primum, quod Iphigenia Atrai Thyestisque litem atque inversum solis cursum texendo in veste expresserit, alterum, quod Aulidem proficiscens lavacro nuptiali a matre affecta sit, tertium, quod crines inde monumentum matri pro corpore remiserit, quartum, quod hasta, qua Pelops Oenomaum

occiderit, in Iphigeniae conclavi servetur, simul scrupulis liberatur virgo et praeteritorum recordatione movetur. Inde lacrimas prae gaudio ambo quidem profundunt, gestienti vero laetitia Iphigenia effertur; mox recordatione priorum malorum et cogitatione imminentium periculorum dolor laetitiae vehementissimus succedit. Vix enim voluptate et laetitia exsultavit, dulcissimum fratrem, quem parvulum Argis reliquit, iuventutis vigore florentem amplectens; vix sibi persuasit se verum corpus, non volucrum imaginem, tenere eius, qui solum desertae, orbatae, crudelissimo supplicio affectae solatium sit, quum statim horrore animus perfunditur cogitantis, quantum abfuerit, quin sua manu iugularetur, reputantis gladium etiamnum cervici eiusdem imminere, fugam autem, sive terra per loca invia gentesque feras sive mari per Symplegadam fretum ingrediantur, periculosissimam esse.

Sic soluto nodo altero alter continuo annectitur, et ab anxietate per laetitiam ad metum traducimur. Prioris autem nodi solutio, cum scite iis ipsis, quibus prohiberi videbatur, praeparata esset, non solum sponte et necessario, sed etiam semel ac repente evenit, unde factum est, ut fructum laetitiae integrum plenumque perciperemus. Nam recitatione eorum, quae epistola continere fingitur, omnis ignorantia atque obscuritas subito remota, discissisque nebulis, sol repente ex tenebris conspectus est.

Monente Pylade, ne vel gaudio vel moerori dediti salutis parandae opportunitatem omittant, iamque fidentiore animo Oreste ad eam rem agendam parato, Iphigenia prius de Electra, de Pylade deque matris morte quaedam accuratius cognoscere cupit, cuius quaestionibus Orestes ad exponendos ordine accuratius casus suos commovetur. Patrato igitur matricidio se narrat incursibus Furiarum e patria pulsum iussu Apollinis Athenas se contulisse, ubi accusantibus apud Areopagum Furiis causam diceret. Ibi se a communione sermonis, penatium, cibi potusque hospitem prohiberi aegre tulisse. Certantem autem iudicio cum Furiarum una, quae esset natu maxima, quum testimonium dicente Apolline atque aequante suffragia Pallade vicisset, parte quidem Furiarum liberatum esse, partem autem alteram illo iudicio neuti-

quam acquievisse neque ab incursibus destitisse. Tum se delubrum Apollinis iterum adisse atque iacentem humi ante adyta, abinentem cibo, iurasse se vitam morte abrupturum esse, nisi idem, qui perdidisset, servaret. Inde voce e tripode missa iussum se esse Tauros proficisci ad auferendum simulacrum coelo delapsum, quo Athenas perlato fore, ut furore liberaretur. Hunc igitur conatum adiuvando soror ut et fratrem et domum paternam servet, precibus rogat blandissimis.

Huius narrationis bona pars institutis Atheniensium, quae ex Orestis infortunio originem ducere putabantur, celebrandis tributa est; reliqua tum caussa itineris exponitur tum difficultates, quae expedientibus salutem vincendae sunt.

Iphigenia se paratam esse ostendit ad servandum quovis pretio fratrem: quamobrem, quum celandae deae effugiendique tyranni facultatem nullam esse videat, sua morte illius salutem redimere constituit. Orestes contra se aut una cum sorore occumbere aut una servari velle affirmat; ceterum Dianae auxilio confidit, quam Athenas referri Apollo iusserit idem, qui ipsi iam sororem reddiderit. Aut igitur per vim regem interficiendo aut clam in templo, donec nox redierit, delitescendo conata perfecturus est. Quorum neutrum fieri posse docet Iphigenia, interim callidiorum rationem ipsa commenta. Persuasura est regi nefas esse immolari hospites parricidio contaminatos, priusquam maris undis sacrisque arcanis purgentur; item simulacrum deae, utpote istorum contagione pollutum, abluendum esse. Hoc probato consilio Orestes, ut perlato ad navem simulacro quam citissime aufugiant se dicit curaturum esse. Reliquum est, ut famulae silentio rem tegendo consilia adiuvent: id quod Iphigenia mulier a mulieribus tum suppliciter precando, tum reditum se ipsis quoque paraturam esse promittendo, denique per quidquid cari habent obtinendo facile impetrat. Accepta feminarum fide, iuvenes quidem in aedes intrare iubet, ipsa autem deam rogat, ut et se cum fratre atque affine ex discrimine servatos in patriam incolumes restituat et ipsa e terra barbara propitia egrediatur. His dictis adventum regis opperitur.

A misericordia ad spem traducti spectatores felicem rerum exitum tanto cupidius exoptant, quanto magis prioribus miseriis doluerunt. Sic altera pars tragoediae altera adiuuatur atque augetur.

Interponitur carmen chori tertium. Quanto luctu halcyon avis in maris scopulis sedens maritum trans mare profectum amissumque prosequatur, tanto se dolore aiunt mulieres Graecorum coetus terraeque patriae amoenitatem desiderare, iis potissimum locis, in quibus Diana nata esse ferebatur, cogitatione immorantes. Redit tristis memoria illius diei, quo expugnatis suae urbis moenibus pretio venditae et in barbaram terram navibus abductae sunt, ubi sacerdoti Dianae servientes perpetua aegritudine laborant. Nam qui ex florentibus quondam rebus ad miseras decidit, memor pristinae fortunae, dolere nunquam desinit. Felicem igitur praedicant dominam, quam sit in patriam navis vectura, fistulae sono remiges incitante, Apolline vate inter strepitum lyrae cursum secundante: in qua cogitatione dum magno cum desiderio defiguntur, navigationem sic verbis depingunt, ut quasi stantes in littore conspicere navem videantur expansis velis, porrectis per proaram rudentibus, in altum proficiscentem*). Deinde optant, ut alis praeditae cursum equorum solis imitentur, ut repente in thalamo locisque iis constituentur, in quibus quondam virgines praesentibus matribus choreas duxerint, venustate, splendore vestium, mundo cum aequalibus certantes. Non potest desiderium patriae, quo qui ea carent affici solent, quotiescunque in littore stantes naves in altum proficiscentes conspiciunt, ullo modo verius exprimi, quam factum est hoc praestantissimo carmine; neque cani hoc loco aptiora potuerunt.

Veniens, sicut Iphigenia praedixit, rex exploraturus, an sacra rite perfecta sint, in limine templi obviam habet virginem ex aede Dianae simulacrum manibus efferentem. Nova re stupefactum illa vitandae contagionis causa ab introitu recedere iubet. Deinceps rege cupide quaerente

*) Rursus his ubertatem inutilium verborum inesse queritur G. Hermannus.

ac singula, quae audit, admirante, virgine autem cum simulata gravitate alternis dictis ad quaesita respondente, colloquium efficitur elegantissimum; neque possumus non et attento animo commenta virginis cognoscere et stupore regis delectari et successu fraudis gaudere. Impuras igitur victimas deae adductas esse affirmat Iphigenia, idque prodigio cognitum esse: nam et aversam ultro esse a sede sua statuum deae et clausos oculos eius. Matrem communi opera ab hospitibus istis interfectam, ipsos ab omni Graecia exactos esse. Conatos esse illos etiam suavi quadam illecebra suum animum, ut liberarentur supplicio, delenire, nuntiantes vivere Orestem cum Agamemnone et bene valere. Se vero infestam esse nomini Graeco*). Immolandos nihilominus esse hospites, sed antea sub dio maris undis purissimis lavandos et in loco solitario arcanis quibusdam sacris expiandos esse; simul signum deae contagione maculatum lustrari debere. Deinde hospites quidem iubet vinctos, velatis capitibus, ne solis lumen aspiciant, addito praesidio, ad mare deduci, civibus autem edici, ut se domi teneant, regem denique, oculis veste tectis, ne obvisus egredientibus sit, cavere. Praeterea, dum redeat ipsa, totum templum docet a rege lustrari debere. Haec omnia homo ridiculus religiose exsequitur, admirans sapientiam virginis, quam de civitate putat optime mereri et iure omnibus admirationi esse. Egrediuntur deinde sic, ut ante dictum est; simul ornatus deae, victimae facesque portantur; Iphigenia autem edicit, ut decedant proculque fugiant, quibuscunque piaculum vitandum sit; postremo sic ambigue precatur: „Ubi purgavero horum caedem atque immolabimus eo loco, quo decet, et tu, regina, puram domum habitabis et nos erimus felices.”

*) Minus necessariam hanc vafritiam esse et persona Iphigeniae indignam iudicat Guil. E. Weberus, quo in utroque fallitur. Neque enim in struendis fraudibus quicquam superfluum est, quo eorum, qui decipiuntur, securitas augeatur, neque dolo improbos turpesque circumvenire Graeci vel sacerdotum vel heroum personis indignum esse censebant.

Haec et callide excogitata et acute dicta quin probata sint Graecis, noli dubitare: quae gens quanti fecerit calliditatem, ex iis, quae de Mercurio deo narrabantur, intelligitur. Iidem quantopere delectati sint viris strenuis astutia, ubi non liceret fortitudine uti, ex periculis evadentibus, Ulyssis gloria et Odysseae admiratio testatur. Ceterum de industria noster a moestitia spectatores ad risum traducit. Neque enim hilaritatem tantum, sed etiam risum movet Thoas velari iubens peregrinos, qui per fraudem abducuntur, insuperque ipse vestem oculis suis opponens.

Huius felicitatis quoniam auctor Apollo est, apte chori carmine huius dei laudes oraculique eius auctoritas praedicantur. Phoebum partu in Deli convallibus editum statim Latona ad Parnassum e scopulo marino atque Inopo fluvio pertulit. Ibi infantulus interfecto dracone, qui specum custodiebat, sedem oraculi cum tripode in terrae umbilico ipse occupavit. Quo facto Tellus, ut Themis filiam suam, oraculo exutam, ulcisceretur, somniorum visa parere coepit, qui mortalibus in humo cubantibus et praeterita et futura per quietem significarent. Privatus igitur honore Phoebus recta ad Olympum contendit manumque throno Iovis circumdata puerili questus est iniuriam. Risit pater, quod infantulus statim venisset cupiens cultum ditissimum obtinere, et annuens capite vana reddidit visa nocturna, solisque Apollinis oraculis fidem confirmavit. Nunquam noster carmina minus proposito conducentia interponit, nisi ubi tegendorum commissorum causa chorus a praesentium rerum consideratione de industria recedit: id quod hic usu venire manifestum est.

Redit ex littore nuntius regem quaerens fugam hospitem sacerdotisque cum imagine deae expositurus. Hunc feminae chori ad aedes regias ablegare student, redisse iam ex templo in urbem regem falso affirmantes. Sed ille id, quod erat, suspicatus vociferando foresque pulsando regem excitat, deinde fraudem aperit, nuntians Orestem, Clytaemnestrae filium, a sorore servatum, cum hac aufugisse. Cum ad littus ventum esset, ubi navis occulta in statione fuisset, Iphigeniam famulos quidem iussisse pro-

cul recedere, ipsam autem vincula hospitem manu tenentem, tanquam arcana sacra facturam, e conspectu abiisse. Audisse se identidem ululatus edentem et carmina cantantem peregrina. Post longum intervallum, quum, abiecta formidine atque religione, famuli propius accedere ausi essent, navem nautis repletam iamque ad cursum paratam vidisse, iuvenes autem duos vinculis solutos a puppi stantes atque ascendere conantes. Tum se, cognita fraude, et virginem et rudentes manibus retinuisse et revellisse gubernacula, navem per vim retinere conantes. Sed pugnis iuvenum in latera, in capita, in oculos impactis adeo esse contusos, ut in propinquum collem se recipere cogerentur; inde, cum lapidum iactu hostes peterent, sagittariorum telis e puppi missis repulsos esse. Interea, cum vehemens unda navem ad terram appulisset, Orestem sublata in humerum sorore cum simulacro, progressumque in mare, saltu per scalas evasisse et praedam in navi collocasse. Tum vero, quum se potitos esse viderent iis, quorum gratia iter susceperant, omnes, cum laeto fremitu remis incumbentes, mare pulsasse. At, navi vix e portu egressa, vehementem subito coortum esse ventum, cuius impetu navem rursus ad terram reiectam esse. Implorasse Iphigeniam opem Dianae, nautas autem simul fausta acclamatione et pacane preces virginis excepisse, simul nudis lacertis se ad remos applicasse; sed magis magisque navem ad scopulos reiectam esse, ut nonnulli in mare desilirent, alii ancoras religarent. Se autem sine mora redisse, ut regi discrimen nuntiaret peregrinorum, quibus propter iram Neptuni spes salutis nulla reliqua esse videretur.

Difficultates aliam super aliam invenit poeta, quo spectarentur iuvenum ingenia atque virtus. Extremo tamen impedimento carere potuit, si hoc tantum curasset, ut argumenti explicaretur exitus. Abstiniens enim illo impedimento dei interventu carere potuit: nam navi secundo vento in altum evecta vix timendum erat, ne barbari, praesertim si naves nullas paratas haberent, consequerentur. Planum est igitur non ad res expediendas, difficultatibus iam sponte solutis, deum arcessiri, sed ad aperienda ea,

quae non possint ostendi praesentia. Simulacrum Athenas reportari primum est: huius rei causa suscepta est navigatio; huius laboris pretio et morbo liberatur et sororem recipit Orestes; hoc volens Diana ad Tauros Iphigeniam transtulerat; in hac re necessario epilogus immoratur.

Rebus igitur cognitis Thoas et equites et navem ad persequendos simul terra marique hospites propere emitit, famulis autem sacerdotis, ut consciis, poenas minatur. Cuius iram impetumque Minerva interveniens reprimat, simulque cursum Oresti suo rogatu a Neptuno concessum esse nuntiat. Tum Oresti, quorum institutorum Atheniensibus auctor esse debeat, quamvis iam procul naviganti, praecipit. Partim enim cultum deae Brauroniae sive *Ταυροπόλου* instituendum esse, partim legem Areopagi, qua absolvantur quicumque paria nacti sint suffragia, sancendam. Denique feminas Graecas a Thoante dimittendas esse docet, et iubet eas idem ministerium, quo adhuc inter barbaros functae sint, inter Atticos facere reversas*). His auditis postquam Thoas se deorum voluntati parituum esse dixit facturumque quaecumque Minerva iussisset, haec se comitem itineris Oresti fore ipsamque sororis suae simulacrum in urbem suam deducturam esse pollicetur; chorus autem fausta proficiscentibus precatur: quibus dictis omnes discedunt.

Primus Euripides hanc materiam concinnasse videtur: Aulide enim, non Tauris gestas res Aeschylus atque Sophocles composuerant. Contra Sophocli, cum Electrae personam effingeret, Iphigenia Euripidis ob oculos versata esse videtur, siquidem recte Schoell. (in Soph. vita p. 254.) post Ol. 90, 2. illam fabulam scriptam esse suspicatus est. Secutus est Euripidem Polyidus, de quo retulit Aristoteles Poet. c. 16, 6. et 17, 4 — 5. Huius de dramate ex-

*) Hoc mulieribus ipsis a Minerva mandari et ex reliquorum mandatorum similitudine et ex iis, quae feminae respondent, intelligitur:

ἄσσομεν οὕτως, ὡς σὺ κελύεις.

Minervae enim verba interciderunt.

pressa esse potuit pars ea Dulorestis Pacuvii, quae res in Taurica Chersoneso gestas continebat: diversam enim ab Euripide viam hunc ingressum fuisse testantur ea, quae de eius carmine Cicero, Nonius et Priscianus decerpserunt. Nostrum Goethius imitatus est sic, ut, qui utrumque opus comparare volet, huic saeculorum prius, quam poetarum, natura consideranda sit. Ab externarum enim rerum discrimine corporisque laboribus ad voluntates et sententias et animorum aerumnas momenta Goethius omnia translulit. Itaque quibuscunque rebus Euripides argumentum fabulae intricavit, eas ille omnes abiecit et causam universam plane immutavit. Custodia tenentur hospites tam laxa, ut ire iis quocunque lubet, quin etiam ad navem sine ulla difficultate redire liceat. Mortis periculum nemini impendit, antequam regis coniugium Iphigenia recuset. Tum quod iniunctum Oresti videbatur simulacri auferendi officium, hoc agnita sorore sponte sublatum esse intelligit. Agnitio autem ipsa nulla vel fratris vel sororis dissimulatione impeditur; et quod Pyladis commento opponitur obstaculum, Orestis sinceritate continuo removetur. Corporis morbo Orestes a Furiis nullo cruciatur; Furiae ipsae nullae sunt, sed pro iis mentis ex conscientia facti nata perturbatio. Barbarorum nulla feritas neque saevitia periculum intentat; potius iustitia atque humanitas admirationem movet. Pugnae, quibus corporis fortitudinem Orestes Pyladesque ostendant, nullae subeundae sunt: nam et initio in hostium manus non repugnantes devenerunt et sub finem, militibus impetum hostium sustinentibus, ipsi interim cum rege colloquuntur. Ergo expedita essent omnia, si fraudem Iphigenia committere sustineret. In huius animi sinceritate morumque sanctitate cardo rerum totus vertitur; ex pravorum declinatione difficultates omnes nascuntur: quo fonte nunquam cessante sic pericula augentur, ut in extremum discrimen salus postremo omnium adducatur; et succumbendum certissime fuisset, nisi idem medicamentum, quod perturbavit, etiam sanare potuisset. Eadem autem virginis castitate et regis ira mitigatur et animi morbus Orestis sanatur. Quippe christianam rationem Goethius secutus est, qua peccata nullis corporum

purgationibus, sed sola animorum integritate expiantur, quum ex copia sanctitatis, qua pollent ii, qui a vitiis peccatisque vacant, ad liberandos poenis improbos, qui illorum auxilium implorant vel favorem impetrarunt, merita redundant. Sanctorum igitur vi naturaque praeditam esse Iphigeniam volens poeta, more coelestium a vitiis vacantem effinxit, ut possent ii, qui vel propinquitate vel amicitia vel consuetudine cum ea coniungerentur, redundante in eos illius virtute, vitiis peccatisque et poena scelerum commissorum illius consortio ipsi liberari. Sic universum populum, inter quem aetatem degit, et imprimis regem ab immanitate retraxit, mansuetudine, clementia, pietate imbuit, favorem numinis divini conciliavit, faustaque ut evenirent quaecumque publice privatimque susciperentur, effecit. Sic fratrem morbo animi liberat, nefanda maiorum scelera expiat, felicitatem domo paternae restituit. Item Dianae ingenium Goethius in formam morum divae Mariae permutavit, atque omnino Raphaelem cum reliquis eius generis pictoribus imitatus est emendando deorum Graecorum personas et christianorum sententiis sententias veterum accommodando, ut utriusque saeculi coniunctis bonis disciplinarum discrepantia tolleretur: usque adeo et qui vere antiquum esse ac penitus ad mentem Graecorum expressum Goethii opus iudicarunt et qui in recentium populorum sententiis idem totum habitare affirmarunt perinde et errasse et verum vidisse videntur.

Quodsi quanto probiores sanctioresque quisque mores personarum effingit, tanto sit praestantior habendus poeta, Iphigenia Goethii non solum huius ipsius operum, sed etiam omnium, quae a reliquis poetis composita sunt, carminum erit praestantissimum; contra quanto quis vitiosiores effinxerit mores personarum, tanto deterior videbitur esse poeta. At hoc ineptum est. Omissis igitur iis bonis, quae sunt disciplinae christianae et humanitatis, qua hoc saeculum floret, considerandae erunt eae virtutes, quae propriae sunt poetarum. Ab hac autem parte, cum non eandem materiam retinuerit Goethius, sed substituerit eam, in qua praeter nomina personarum et quosdam prioris vitae casus plane nihil servaretur, et caussa universa hominum, quorum res agi-

tur, cum argumento fabulae immutaretur, non posse nostri poetae opus cum Euripidis opere comparari facile est intellectu. Accedit apparatus institutorumque scenarum diversitas, qua plus tres actores una in scenam producere licuit Goethio, non licuit Euripidi. Neque illud neglegendum est, quod de persona, quae dicitur primaria, aliter Goethius sensit, quam veteres poetae, ut in una oportere summum rei momentum niti censeret, quum Euripides pari fere dignitate duos instruxerit. Eiusdem generis est, quod ille nullam debere tragoediae partem laetam esse et priores actus utique posterioribus malorum incremento inferiores esse censuit. In quibus efficiendis quod nostrorum hominum iudicia secutus est, alia quidem effinxit, quam Euripides, sed ea, quae per se neque meliora neque deteriora essent. Demtis his, paucissima intelliges relinqui, in quibus componendis Goethius Euripidem imitari potuerit, quaeque inter se possint comparari. Comparavit tamen utrumque opus G. Hermannus, sed neutiquam ea, qua decuit, ratione. Comparavit item Greverus, paullo quidem melius, sed tamen sic, ut neque quae distinguenda sunt distinxerit neque in mentem Euripidis satis intraverit neque verborum sensum omnium recte perceperit*). Comparavit denique Guil. E. Weberus, de Euripide quidem rectius quam uterque iudicans, ceterum eo occupatus errore, quo hodie multi tenentur, ut opificum opera atque Sophoclem imitari idem esse putaret, unde factum est, ut vere Sophocleum opus ei Goe-

*) Saepe Euripidem immemorem eorum esse, quae antea dixerit, neque sibi constare affirmat. Cuius rei documentum affert hoc, quod v. 1159. gladius Iphigeniae manibus tribueretur, cum tamen antea hospites non ipsius manibus immolari dictum esset. Quasi vero nudis digitis capilli resecari possint! Quod Thoas suam ipse gentem barbaram appellet, morositatis est reprehendere. Neque Orestes erravit, morem Athenis etiam nunc servari dicens: totam enim Graeciam a se, antequam oraculum denuo adiret, agitato Furiis peragrata esse (περιπολῶν καθ' Ἑλλάδα) aliis locis aperte dixit.

thii fabula esse videretur. Et dulcissimum et utilissimum lectu est Goethii opus propter sententiarum gravitatem, propter venustatem verborum suavitatemque numerorum, propter pietatem castitatemque Iphigeniae et reliquarum personarum virtutes, propter rerum metum, admirationem miserationemque moventium compositionem; sed idem minus aptum theatri propter mediocritatem affectuum, propter summam hominum, tanquam imaginum, tranquillitatem, propter sententiarum subtilitatem et propter opinionum inter se certantium absentiam. Talia effingere opificis erat, non poetae, praesertim scenici; et tabulis signisque contemplandis eo tempore, quo hanc tragoediam componebat, maxime operam dabat Goethius; eadem se in scribendo imitari ipse professus est*). Refer te ad Euripidem, vide poetae in theatri, tanquam in sua provincia, regnantis virtutem! Singula verba feriunt, singulae res movent, suspendunt, efferunt, contrahunt, perturbant, sedant, delectant, concutiunt animos. Occupat spectatores, tenet, rapit trahitque, summa vi ac virtute in theatri consessu frequentissimo dominatur, de Aristophanum insidiis securus.

Carpere tantos viros, cavillari circa singulas operis partes, notare, si qua minus probabiliter inventa esse videantur, non iudicium est, sed vel mercatorum vel suorum, qui supra crepidam iudicare vetantur.

Universum Euripidis drama Aristoteles in Poet. c. 11, 5. 16, 4. et 17, 3. et 4. laudavit, locum quendam eiusdem (v. 710.) in Rhet. III, 6. citavit. Respexit ad prologum Aristophanes in Ran. v. 1232. et ad carminis tertii initium ibidem v. 1309. Argumentum fabulae eleganter retulit

*) Imaginum compositionem videtur cum in aliis rebus tum in hoc imitatus esse, quod sine vinculis libere vagantes fecit eos, qui pro vincis habendi essent, tum quod quae extra scenam agi finxit adeo neglexit, ut vix, quomodo fieri omnia recte potuerint, cogitatione assequamur. At nunquam non peccant qui leges generum imitationis ab alio ad aliud genus transferunt, id quod Goethius pluribus locis ipse effatus est. Contra Euripidis laudanda diligentia est, qua perinde quae in littore atque quae ante templum coram spectatoribus agerentur, accurate persecutus est.

Ovidius Pont. III, 2, 45—95. Idem expositum vides apud Hyginum fab. CXX. et CVIII. Orestis Pyladisque amicitiam ab Euripide adumbratam laudavit Lucianus Amor. §. 47. Sententiis quibusdam huius dramatis usi sunt Plutarchus (v. 253. in Exil. p. 602. A., v. 279. ad Colot. p. 1123. A. B., v. 555. in profect. in virt. p. 75., v. 770. in apophth. p. 182. E.), Lucianus (v. 302. in Amor. T. II. p. 450., v. 584. ibid. T. V. p. 311.), Diodorus Sic. (v. 612. lib. XX, 14., v. 670. lib. I, 3.), Diphilus apud Athenaeum (v. 521. lib. VI. p. 247.), Clemens Alex. (v. 555.). Imitatus denique Horatius esse videtur sententiam versus 486. in Ep. I, 7, 92.

Signorum caelatorum, quibus argumentum fabulae Euripideae expressum est, ad hanc aetatem plura durarunt, quorum duo Wimarae in atrio, quod Goethii nominatum est, servantur. Tres in altero partes quasi actus distinguuntur: quarum prima iuvenes vincti cum Iphigenia colloquentes ostenduntur, sic se intuentibus fratre ac sorore, ut hunc ab illa ex iis, quae narret, agnosci appareat. Stant autem ante templum et simulacrum deae, quorum huic caput humanum affixum est, quo ritus hominum immolandorum et periculum omnibus impendens significaretur. Altera parte Iphigenia quidem epistolam tradens, Orestes autem et Pylades iusiurandum dantes accipientesque exhibentur. Tertia conspicitur Pylades impetum barbarorum apud navem sustinens, uno Scytharum prostrato, Orestes autem Iphigeniam cum simulacro in navem tollens. Alterius operis partes sunt totidem, sed non eadem. In prima Orestes conspicitur sedens et veste contactus, Pylades autem stans ante eum et quasi ad adiuvandum moerentem paratus. Altera frater et soror se invicem agnoscunt. Tertia virgo simulacrum tenens iuvenes ad mare deducit, rege cum duobus famulis procul sedente. Tertium opus, quod Berolinis servatur, fere cum hoc congruit, sed pluribus famularum Scytharumque personis auctum est. Quartum opus Winckelmann. in monum. ant. ineditis n. 149. imitandum curavit: cuius prima parte Orestes cum Furiis pugnans ostenditur; ipse gladium tenens e vagina eductum corruit, Pylade eum sublevare conante. Altera

Iphigenia exhibetur fratrem eo ipso momento, quo immolare conatur, agnoscens; templum et cetera ut in primo opere significata sunt. Tertia parte pugna apud navem repraesentatur, quarta denique ascensio in navem et perfectio.

C. E p o p e u s.

Quod in monumento Albano scriptum est nomen tragoediae ἘΠΕΟΣ, pro eo ἘΠΕΙΟΣ reponendum esse mihi persuaderetur, si quicquam inveniri posset de huius persona memoriae proditum, quod praebere aptam ad componendam tragoediam materiam potuisse videretur. Nam equum Troianum, quod nomen Livii cuidam fabulae inscriptum fuit, non eundem esse atque Epeum, neque Epei nomen fabulae tribui potuisse, nisi ipsius fabricatoris, non fabricae, sors in aliquo discrimine versaretur vel certe magnum ad fallendos hostes persona illius momentum faceret, facile est intellectu. Errasse igitur operarium in illo nomine exarando, sicut in reliquorum pluribus, et nomen Epopei pro Epei reponendum esse mihi persuadeo. De Epopeo autem haec memoriae tradita sunt ab Hygino fab. 204: „Nyctimene, Epopei, regis Lesbiorum, filia, virgo formosissima dicitur fuisse. Hanc Epopeus pater, amore incensus, compressit: quae, pudore tacta, silvis occultabatur. Quam Minerva miserata in noctuam transformavit, quae pudoris causa in lucem non prodit, sed noctu apparet.” Adde fab. 253. et Servium ad Georg. I, 403. Eandem rem his verbis illustravit Ovid. Met. II, 591:

„An, quae per totam res est notissima Lesbon,
Non audita tibi est: patrium temerasse cubile
Nyctimenen? avis illa quidem; sed conscia culpae
Conspectum lucemque fugit, tenebrisque pudorem
Celat et a cunctis expellitur aethere toto.”

Similis est fabula Myrrhae, quae, cum insano amore patrem deperiret, fraude nutricis effecit, ut in patris cubili occulta amplexu eius imprudentis potiretur; cf. Ovid. Met. X, 298. Serv. ad Virg. Ecl. 10, 18. Aen. V, 72. Hy-

gin. fab. 58. et 169. Pseudoplutarch. Parall. c. 22. Sed in Epopei fabula pater ipse incesti crimen suscipit, per vim stuprans filiam invitam, quam merito miserata est dea, cui virginitas perpetua cara erat, ut in noctuam, avem sibi carissimam, mutatam ab aegritudinis perpetuae cruciatibus liberaret.

Non est dubium, quin subtiliore argumentatione Epopeus cupidini suae opitulatus sit et recte a se incestum committi defenderit. Quod si suspicionibus proponendis locus sit, huic tribuerim verba, quae Euripidis esse in Cramerii Anecd. V, 316. traduntur:

— — ἡδονὴ γὰρ πανταχοῦ
ἔστιν, δι' ἡδονῆς δὲ πάντα γίνεται*).

D. A l o p e.

Hyginus fab. 187: „Alope, Cercyonis filia, formosissima cum esset, Neptunus eam compressit: qua ex compressione peperit infantem, quem inscio patre nutrici dedit exponendum.” Prologi materiam haec verba continent, ex quibus intelligitur prooemium ab Alopa ipsa actum esse, annexo colloquio eiusdem atque nutricis, cui infans traderetur exponendus. Initium autem prologi hoc fuisse puto:

ὦ Κύπρις, ὡς ἠδεῖα καὶ μοχθηρὸς εἶ**).

Nutricis autem operam suam offerentis haec exstant verba:

γυνὴ γυναικὶ σύμμαχος πέφυκέ πως.

Forte eodem tempore, quo virgo infantem exposuerit, nuptias filiae a patre, stupri ignaro, paratas esse Welckerus ex anaglyphis, quae in Winckelmanni monum. ined. tab. 92. expressa sunt, coniecit***), quae coniectura cum aliis a partibus valde probabilis sit, tum confirmatur fragmento sexto, quo virorum quaedam caterva ex gymnasio,

*) Vulgo ἡδονὴ πανταχοῦ ἐστὶ καὶ πάντα δι' ἡδονῆς γίνεται.

***) Boissonad. An. Gr. III. p. 239.; cf. Schneidew. Conii. critt. p. 104 seq.

****) Cf. Welck. p. 711 seqq.

finita corporum exercitatione, redeuntium ad festorum celebrationem venire perhibetur:

ὄρω μὲν ἀνδρῶν τόνδε γυμνάδα στόλον
στείχοντα θεωρόν, ἐκ τρόχων πεπαυμένον.

Quibus verbis chorum significari manifestum est. In medias igitur nuptias inciderunt illa, quae his verbis exponit Hyginus: „Qui cum expositus esset, equa venit et ei lac praestabat*). Quidam pastor equam persecutus vidit infantem, atque eum sustulit. Qui veste regia indutum cum in casam tulisset, alter compastor rogavit, ut sibi eum infantem donaret. Ille ei donavit sine veste. Cum autem inter eos iurgium esset, quod qui puerum acceperat insignia ingenuitatis reposeret, ille autem non daret, contendentes ad regem Cercyonem venerunt et contendere coeperunt.” Tertius igitur dramatis actus lite pastorum confectus est, in qua contentione, causam invicem et accusatore et reo dicente, plane fuseque narratum est, quomodo infans inventus, quomodo nutritus, quomodo sublatus esset. Huius actionis fragmenta nulla relicta sunt, nisi forte inc. trag. CXCVI. inde depromptum sit:

τηλοῦ γὰρ οἰκῶν βίοντιν ἐξιδρουσάμην.

Potest eodem referri glossa Hesychii ὀδηθείης, ληφθείης, πραθείης, et Photii ὀδησαι τὸ ἀνήσασθαι. Ἐυριπίδης Ἀλόπη καὶ Κύκλωπι**). Pergit deinde Hyginus hisce verbis: „Ille autem, qui infantem donatum acceperat, repetere insignia coepit. Quae cum allata essent, et agnosceret Cercyon ea esse ex veste scissa filiae suae Alopes, nutrix timens regi indicium fecit infantem eum Alopes esse.” Ne huius quidem actus quicquam relictum est. Extremo denique actu Alope in iudicium vocata, convicta, damnata atque supplicio affecta est. Hyginus: „Qui filiam iussit ad necem includi, infantem autem proiici.” Orationis, qua pater filiam increpavit incusavitque, haec exstant fragmenta:

*) Etym. M.: Ἰππιόθων, κερηνῶνος πῶς (Ἰπποθῶν, Κερυνόνοσ παῖς), ὅτι λάθρα αὐτὸν ἐκ Ποσειδῶνοσ κνήσασα ἐξέθηκεν, Ἰπποσ δὲ αὐτὸν ἐξέθρεψεν.

**) Cycl. v. 12.

ἐγὼ δ', ὃ μὲν μέγιστον, ἄρξομαι λέγειν
ἐκ τοῦδε πρώτον· πατρὶ πείθεσθαι χρεῖον
παῖδας νομίζειν τ' αὐτὸ τοῦτ' εἶναι δίκην·

οὐ μὴν σύ γ' ἡμᾶς τοὺς τεκόντας ἠδέσω

τί δῆτα μοχθεῖν δεῖ, γυναικεῖον γένος*)
φρουροῦντας; αἱ γὰρ εὖ τεθραμμέναι πλέον
σφάλλουσιν οἴκους τῶν παρημελημένων.

Non defuisse patronum, qui vitiatæ virginis caussam defenderet, ex hisce verbis colligo, quæ non addito dramaticis nomine Orion apud Schneidew. p. 56. servavit:

ἂν οἱ τεκόντες τοῦτο γιννώσκωσ', ὅτι
νέοι ποτ' ἦσαν, ἠπίως τὴν τῶν τέκνων
οἴσουσι Κύπριν, ὄντες οὐ σκαιοὶ φύσιν.

Respexit ad hoc drama Demosthenes orat. funebr. p. 1398: ἐμείνηντο Ἰπποδοωντίδαι τῶν Ἀλόπης γάμων, ἐξ ὧν Ἰπποδόων ἔφθ, καὶ τὸν ἀρχηγὸν ἠδέσαν· ὧν, τὸ πρῆπον φυλάττων, ἐγὼ τῷ δε τῷ καιρῷ τὸ σαφὲς εἰπεῖν ὑπερβαίνω. Satyrici locum dramatis propter rerum levitatem, cum esset Danaes fabulae simillimum, obtinere potuit.

XV. De actione et saltatione scenica.

Graecæ tragoediae naturam intelligere ac vim virtutemque aestimare volentibus necesse est actionem scenicam respicere, quam patet diversam fuisse ab ea, qua nostri histriones utuntur. Nam suggestus illos comæ (ὄγκοι) et cothurnos, quibus altitudo corporum augebatur, et pectoris laterumque amplificationem (κόλπωμα) et pallam ad talos demissam, laxam rugisque abundantem, et super omnia personas oribus patulis hiantes et cetera horum similia reputantes, vim et efficacitatem magis quam venustatem a Graecis

*) Vulgo γυναικεῖον γάμον.

quaeri solitam esse intelligimus, multumque imitationem scenicorum discrepasse a ratione imaginum, quas pingendo scalpendoque artifices exprimerent. Signorum enim vultus doloris sensu distortos, ora risu diducta, corporis habitum vehementiore motu depravatam cum intuemur, non delectamur, sed violentius percussi cito fatigamur atque fastidimus. Recte igitur opifices placidam quandam quietamque constantiam sequebantur, quam qui omnibus imitationis generibus tanquam finem propositam fuisse putant, sine dubio errant. Qui si repente in theatri alicuius Graeci consessu constituti spectarent histrionum antiquorum habitum actionemque, vehementer mirarentur, similes illi saltationis osori, quem in libro de saltatione scripto induxit Lucianus, morositatem eius ridens hisce verbis: „Videris mihi laudans comoediam atque tragoediam oblitus esse in utraque earum proprium quoddam saltationis genus exerceri, ac tragicam quidem esse Emmeliam, comicam autem Cordacem, nonnunquam etiam tertiam accedere Sicinnidem*). Iam tragoediae habitum contemplerur, qualis sit. Quam tetrum perinde atque horribile spectaculum est homo in longitudinem absurdam deformatus, altis calceamentis ingrediens, larva supra caput eminente indutus, ore hians vastissimo, quasi devoraturus spectatores; omitto adscita pectora et ventres factitios, quibus agglutinata arteque facta corporis crassitudo affectatur, ne longitudine discors compositio in tenui corpusculo magis offendant; tum intus ipse clamans, sursum deorsumque membra contorquens, interdum etiam ululanti voce dicens iambos, et, quod est maxime indecorum, cantibus dolores significans nec praeter vociferationem quicquam praestans: reliqua enim sunt poetarum pridem defunctorum. Et quoad quidem Andromachae aut Hecubae aguntur, tolerabilis est cantus; ubi vero ipse Hercules prodiens canticis utitur, oblitus sui, neque leoninam neque clavam, quam gestat, verecundans, ineptiam hanc esse sani iure affirmaverint.” Non me fugit depravatam iam Aristotelis

*) Non omnibus didascaliiis, sed nonnullis, satyrica infuisse dramata his significatur.

aetate artem fuisse histrionum et in deterius detorsam, ut Luciani testimonium in actores eos, quos docuerunt Aeschylus et Euripides, non plane videatur convenire. Testatur enim Aristoteles Rhet. III, 1, 4. plus sua aetate in scenis histriones, quam poetas, valere (*μείζον δύνανται νῦν τῶν ποιητῶν οἱ ὑποκριταί*). Idem simias recentiores esse actores a senioribus propter nimium imitandi studium appellatos in Poet. c. 26, 2. commemorat: quo loco quae de recta imitandi ratione disserit, ea integra in medium proferre non alienum esse videtur. Tragoediam enim, quod in eam cadat molesta (*φορτικῆ*) sive nimia atque importuna imitatio, inferiorem epopoeia multis visam esse memorans, „Utrum,” inquit, „praestet epica an tragica imitatio, dubitari potest. Nam si praestat ea, quae minus molesta est, et minus molesta est quae ad meliores spectatores accommodata est, molestam esse quae omnia imitetur, planum est. Nam quasi non sentiant, nisi augeatis, qui imitetur, multo utuntur motu, velut mali tibicines, qui volutant vocem, si discus imitandus sit, et trahunt coryphaeum Scyllam canentes. Tragoediae igitur aiunt eandem esse rationem, quam actorum recentiorum esse putabant antiquiores, quippe quum Callippidem, quod nimis res imitando extolleret, simiam Myniscus appellare sit solitus, et talis etiam de Pindaro sit opinio: quae autem horum sit inter ipsos comparatio, eandem universae artis esse cum epopoeia. Hanc enim ad ingenuos spectatores instructam esse, qui nil egeant movendi figuris, tragicam autem ad illiberales. Et inferiorem quidem esse quae molesta sit, planum est. Verum primum haec non poeticae artis accusatio est, sed histrionalis, quandoquidem modum excedere in significando etiam rhapsodus potest et cantor, id quod Mnasitheus faciebat Opuntius. Deinde ne motus quidem omnis improbandus est, siquidem nec saltatio, sed illiberalis: id quod etiam Callippidi exprobrabatur et nunc aliis, non ingenuas ab iis feminas repraesentari. Tum tragoedia etiam sine motu munere suo fungitur, quemadmodum epopoeia: legendo enim qualis sit cognosci-

tur. Si igitur in reliquis praestat, hoc ei adesse non est opus: et habet omnia, quae epopoeia etc." Nilominus etiam Ciceronis aetate et erant et probabantur actores, qui simplici, non molesta, imitatione veritatem aemularentur; cf. Cic. Brut. c. 30, 116: „Volo enim, ut in scena, sic in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili utantur, sed eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta." Duplex esse genus motus gestusque ait idem et Quintilianus: altero verba exprimi, altero universam tantum rem et sententiam non demonstratione, sed significatione declarari. Illud histriones, hoc oratores decere; sed histrionum quoque qui sint paullo graviores ad sensum magis quam ad verba gestus accommodare (Cic. de orat. III, 59, 220. Quint. XI, 3, 89.). Hi sunt illi, quos statarios vulgus appellabat; qui autem verba exprimebant, horum artem ut molestam antiquiores damabant. Sed etiamsi histriones aetate Euripidis omnes statarios fuisse nobis persuadeamus, tamen ne hos quidem ab acriore corporis motu abstinuisse intelligendum erit. Nam quum motus omnis in gestus et vultus moderatione cernatur, histriones, officientibus personis, hac, quae plurimum potest, privatis, compensare iacturam plus gestibus tribuendo necesse erat. Idque tragoediarum natura ipsa postulat, quibus Aristoteles non morum ait sententiarumque, sed factorum fuisse et perturbationum imitationem propositam. Iam vero sensorum multiplicior est subtiliorque natura, eorumque quasi imago vultus est indicesque oculi. Qua subtilitate et mollitie, utpote penetralibus magis, quam vicis et concursibus hominum, apta, quum veterum tragoedia, in publico et sub dio agens, abstineret, facile vultus moderatione, illius interprete, caruit actio histrionum. Eadem tragoedia quum ab initio ad finem vehementia perturbationum saeviret atque ampullaretur, nulla vocis contentio, nulla manuum iactatio, nulla corporis commotio, quae modo dignae essent, histrionum actionem dedecebant. Permissa erat vel oratoribus (quorum tamen multo quam histrionum verecundior erat actio) pedis supplotio, femoris plangor, frontis percussio: unde scenica

actio quam gestuosa fuerit, colligere licet. Idque sic se habuisse plurimis scriptorum testimoniis confirmatur: nam ut, omissis reliquis, ea, quae sunt ab Euripidis interpretibus scripta, referam, ad Hipp. v. 214. scholiasta monet debere histrionem, qui Phaedrae agat personam, ut desiderium silvarum atque venatus exprimat, et corpore et voce commoveri, tum in verbis εἶμι πρὸς ὕλαν prosilire a lecto, quasi proficiscentem. De Ionis autem actoribus Demetrius in Rhet. Gr. T. VIII. p. 584. tradit, solere eos, quo loco Ion aves a templo fugare conetur, multo uti motu ad arcum petendum recurrentes, et in sublime os convertentes quasi sermonem cum avibus conferentes, et ictum sagitta minitantes (cf. T. I. p. 492.). Manuum argutiae, et ineptae quidem, exemplum ad Orest. v. 632. profertur: τοῦτου ῥηθέντος αἴρουσιν οἱ ὑποκριταὶ τὴν χεῖρα κτλ. Oreste dicente nihil se repossere eorum, quae quasi mutua Menelaus ab Agamemnone accepisset, actor Menelai nihil pecuniae fidei suae a fratre commissum esse manu significabat, quem gestum a sensu auctoris alienum esse arguit scholiasta*).

Ad vocem quod attinet, quae est tertia pars actionis, rictus illi personarum hiantes, quarum imagines hodie miramur, taedium spectantibus necessario attulissent, nisi vocis contentio et perpetua fere perturbationum imitatio cum illo oris habitu convenisset. Moderationem autem vocis a tibicine adiutam esse arbitror eadem ratione, qua G. Gracchus servum habere ad manum solebat, qui, cum fistula eburnea post ipsum concionantem stans occulte, si quando ira impetuque concitatus ferretur, remissiores mittioremque inflando sonum a clamore revocaret, impetum

*) Idem, ex eodem sine dubio fonte petium, Hermogenes in Rhet. Gr. T. IV. p. 7. notavit: τοῦ γὰρ Ὀρέστου εἰπόντος Ἄ δ' ἔλαβες ἀπόδος πατρὸς ἐμοῦ λαβῶν πάρα, σχηματίσασθαι φασὶ τὸν Μενέλαον ἥτοι τὸν ὑποκριτὴν καὶ ἀνανεῦσαι· ὅθεν καὶ ὁ ἐπιφερόμενος Ἰαμβος ὡς ἀνανευνότος τοῦ Μενελάου, νομίσαντος περὶ τῶν χρημάτων τὸν Ὀρέστην διαλέγεσθαι, ἐπιφέρεται οὕτως· Οὐ χροῖματ' εἰπον κ. τ. λ.

sedaret animumque ipsum demulceret*). Neque enim iis, qui cantabant, neque qui saltabant, solis, verum etiam iis, qui verba faciebant, modos tibicines praecire solebant.

Restat, ut de saltatione exponamus, et quomodo illa ad tragoediam pertinuerit ostendamus. Quod igitur corporis quaedam eloquentia actio esse dicitur, idem de saltatione praedicatur, cui et morum et perturbationum et factorum imitationem propositam esse dixit iam Aristoteles; copiosius autem naturam eiusdem Lucianus his verbis declaravit: „Imitatrix est et motibus ea, quae cantantur, semet expressuram esse pollicetur. Quamobrem perspicuitati eam studere necesse est, ut per se quidque eorum, quae ostendit, intelligatur neque desideret interpretem, cadatque in illam Pythicum illud dictum, etiam mutum intelligi et tacentem audiri. Itaque saltator quidam Neronis temporibus celeberrimus, non imprudens, ut aiunt, sed si quis alius antiquitatis memoria et motus elegantia praestans, petiit a Demetrio rem, puto, minime ineptam, ut se spectaret saltantem ac deinde reprehenderet, et pollicitus est se sine tibia et cantilenis argumentum repraesentaturum, id quod fecit. Nam iussis iis, qui numerum percutiebant et qui tibias inflabant, cum choro ipso silere, solus per se Martis Venerisque concubitum saltavit, Solem indicantem, Vulcanum insidiantem ac vinculis ambo, Martem Veneremque, illaqueantem, deos utrique adstantes, erubescantem Venerem, paullulum consternatum et veniam precantem Martem et quae sunt reliqua, ita ut laetatus spectaculo Demetrius hanc laudem saltatori tribueret summam, ut exclamaret et magna voce increparet: „Audio, o homo, quae agis, non video tantum, sed videris mihi ipsis manibus loqui.“ Eundem saltatorem quum barbarus quidam rex ex Ponto spectasset, adeo perspicue saltantem, ut, quamvis nihil eorum, quae canebantur, perciperet (erat enim semigraecus), tamen intelligeret omnia, petiit a Nerone pro gratissimo munere illum saltatorem. Interrogatus, cuinam rei ille utilis ei futurus esset, Sunt mihi, inquit, vicini barbari lingua dispares neque facultas est interpretum. Si quid igitur opus

*) Plutarch. de coh. ira p. 430. Hutt. Cic. de orat. III, 60, 225.

erit, innuens ille singula mihi interpretabitur." De summa perfectione, quam Augusti aetate Pylade et Bathyllo auctoribus ars saltandi adepta est, haec narrantur. Sed perfecta ab inchoatis magnitudine et quasi gradibus, non genere, solent differre. Itaque iam Aeschyli saltator Telestes dicitur plurimis inventis figuris admodum argute manibus res demonstrasse et, cum saltaret septem duces, qui Thebas obsiderent, singula, quae gererentur, saltationis gestibus manifesta reddidisse*). Triplex perinde pantomimorum sive saltatorum atque actorum genus erat, tragicum, satyricum et comicum, et excoluerat Pylades quidem tragicum, Bathyllus autem comicum saltandi genus**). Quemadmodum autem scenicae, item lyricae saltationis tria erant genera, quorum Pyrrhiche Sicinnio velocitate similis erat, Gymnopaedice gravitate et verecundia Emmeliam, Hyporchematice autem Cordacem ioco et facetiis aequabat***). Tragica saltatio sive Emmelia ad choros solos pertinuerat, quoad tragoediam canticis auxit Euripides. Hoc enim inter saltatorem atque actorem interest, quod ille ad numerum, modulos praecedente tibicine, gesticulatur, hic extra numerum movetur, quodque saltatio a cantu nunquam separatur†). Saltari igitur sive gestibus demonstrari poterant etiam quae ab epicis narrata erant, velut Virgilii Turnum se saltaturum esse pollicitus est Nero (Suet. c. 54.). Separatae enim erant vocis et gesticulationis partes in saltatione, quae eadem in actione coniunctae erant, ita ut, dum saltator corporis motibus et manuum praecipue gesticulatione res ostenderet, verba poetarum vel argumenta fabularum chorus cum tiliarum, cithararum aliorumque organorum concentu et scabellorum crepitu recitaret††). Et in scenicis quoque

*) Aristocles ap. Athen. I. p. 21. et 22.

***) Cf. Sommerbrodt. disputt. scen. in programm. gymnasii Liegnit. 1843.

****) Athen. XIV. p. 630. D.

†) Tacit. Dial. de orat.: „iactant cantari saltarique commentarios suos."

††) Cf. Sommerbrodt. l. l. Suet. Cal. c. 54.

fabulis exhibendis apud Romanos quidem cantica agi sic solebant, ut gestus tantum histrio praestaret, verba alius ad latus illius stans cantaret, tertius accederet tibicen, qui modulos praeciret. Contra apud Graecos iidem et cantabant et saltabant neque munus alterum ab altero aut scenicis artificibus aut thymelicis sive choreutis separatim erat.

Fuerunt qui certum fabularum genus, in saltatorum usum conformatum, ab his exhiberi solitum esse putarent: cuius generis numerum infinitum fuisse necesse esset, siquidem quae Lucianus recenset saltationis argumenta, non solum tragoediarum, sed epopoeiarum quoque et omnia omnis generis carmina complectuntur, ex qua copia ne unum quidem exemplar, ac ne nomen quidem generis, servatum esse sane mirandum esset. At ipsa immutata veterum poetarum carmina plerumque a saltatoribus agi solita esse ex multis scriptorum testimoniis intelligitur. Quamobrem ubi Sophoclis aliquas aut Euripidis fabulas saltatas esse tradunt auctores, non est quod de propriis et ad usum pantomimorum compositis cogitemus, sed simpliciter id, quod verba dicunt, intelligendum est. Accedit, ut saltatorum nomen saepissime idem quod histrionum, et saltare idem quod agere significare videatur, et quod etiam oratorum ii, qui nimis gestuosa uterentur actione, velut Hortensius, saltatores interdum probrose appellati sunt. Macrobius porro histriones a saltatoribus minime distinguit, quo loco (III, 10.) de saltando disserens Roscii Aesopique histrionum laudes commemorat, cuius operae est verba transscribere: „Ceterum histriones non inter turpes habitos Cicero testimonio est, quem nullus ignorat Roscio et Aesopo histrionibus tam familiariter usum, ut res rationesque eorum sollertia tueretur. Quod cum aliis multis tum ex epistolis quoque eius declaratur. Nam illam orationem quis est qui non legerit, in qua populum Romanum obiurgat, quod Roscio gestum agente tumultuaverit. Et certe satis constat contendere eum cum ipso histrione solitum, utrum ille saepius eandem sententiam gestibus efficeret, an ipse per eloquentiae copiam sermone diverso pronuntiaret: quae res ad hanc artis suae fiduciam Roscium abstraxit,

ut librum conscriberet, quo eloquentiam cum histrionia compararet." Aperte Trachinias Sophoclis fabulam saltatam esse Arnobius adv. gent. IV. ed. Lugd. p. 151. testatur*). Alius cuiusdam tragoediae, quae Cinyras appellabatur, mentionem Suetonius Calig. 57. fecit hisce verbis: „Pantomimus Mnestes tragoediam saltavit, quam olim Neoptolemus tragoedus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occisus est, egerat." Saltare autem unus tragoediam dicebatur is, cuius plurimae erant personae partesque primariae: ternis enim actoribus personas esse omnes fabularum attribui solitas notum est. Hunc morem significare videntur verba Luciani haecce: „Summum saltationi et finis est actio (*ὑπόκρισις*), cui operam dant tum rhetores tum ii, qui ex hoc studio nomen acceperunt. Neque illa ignorat etiam in actoribus maiorem se laudem adipisci, si sit similis et conveniens personis, quas induat, neque ab oratione eorum, qui in scenam introducuntur, sive optimates sive tyrannicidae sive pauperes sive rustici, discrepet, sed in horum unoquoque id, quod cuique proprium sit et in quo excellat, repraesentet. Itaque barbarus quidam cum conspexisset quinque personas saltatori paratas (tot enim partium erat drama seu in tot partes unius histrionis officium divisum erat), saltatorem videns unum, quaesivit ex hoc, quinam essent futuri, qui reliquas personas saltarent agerentque. Quum ille respondisset se unum et saltaturum omnia et acturum, Fugerat me, inquit, o bone, unum quidem corpus tibi, sed plures esse animas. Non iniuria igitur Itali saltatorem pantomimum appellant, paene rei convenienter." Euripidis quibusdam tragoediis, Troadibus imprimis et Ione, saltandis laudem adeptus est Pylades quidam, sive auctor ille artis sive alius, cui ob merita memoriae ille titulus positus est, qui habetur ap. Orell. Inscript. Lat. T. I. n. 2629. Aeolum eiusdem poetae fabulam saltatam esse epigrammate, quod T. I. p. 264. posuimus, declaratur.

Quum nostri poetae scenici soleant quae agi ab histrionibus volunt parepigraphis significare, veteres tragici his notulis abstinentes sermonibus reliquarum personarum

*) Citavit Sommerbrodt. l. l.

ipsis talia declarare maluerunt, quem morem notavit scholiasta ad Orest. v. 163: ἂ γὰρ μὴ δύναται γράφεσθαι, ταῦτα δι' ἑτέρων προσώπων δηλοῦται· οἷόν τι καὶ παρὰ τῷ Κωμικῷ, οἰκέτου στενάξαντος, ἕτερός φησιν· ἀκούεις ὡς στένει; Praeterea quum sua quisque dramata ipse primus doceret, voce tradendi quae idonea viderentur potestas erat. Qua autem erant histriones, qui primi fabulam egerant, usi gesticulatione, eam servatam et ad posteriores traditam nec nisi sensim leviter immutatam esse consentaneum est: quis enim prudens sperneret quae apte venusteque inventa esse intelligeret? Quae autem et qualia poetae histriones docuerint, ex iis, quae de Aeschylō scripta sunt ap. Athen. I. p. 21. E., cognoscitur: „Aeschylus non pallae tantum decorem et gravitatem excogitavit, quam aemulati sacerdotes in mysteriis induunt, sed saltandi quoque figuras plurimas a se inventas chori personis tradidit. Chamaeleon quidem ab eo scribit primo choros informatos esse, nullis adhibitis saltandi magistris: ipsum enim choris saltationis figuras praecepisse et omnino omnem tragoediae dispositionem in se recepisse.” Idem Athenaeus XV. p. 628. D. a principio ait poetas saltationum ingenuis hominibus auctores fuisse, quum gestibus ad demonstranda ea, quae cantarentur, utentes honesta ac virilia tuerentur.” Idem igitur poetae ipsi personas actoribus distribuebant et quidem in componendis statim fabulis eius distributionis rationem habebant: cuius instituti gravissimum est testimonium scholiastae ad Phoen. v. 93. scriptum. Nam qui personam ageret locastae actor primus, eidem Antigoniae partes ab Euripide assignatas fuisse declarat, eamque ob rem, ne una matri et filiae in scenam prodeundum neve mutandarum personarum histrioni tempus ac facultas deesset, caute ab ipso prospectum esse*). Errant igitur qui talia histrionum arbitrio commissa esse opinantur**).

*) Ταῦτα καταμηχανᾶσθαι φασὶ τὸν Εὐριπίδην, ἵνα τὸν πρωταγωνιστὴν ἀπὸ τοῦ Ἰοκάστης προσώπου μετασκευάσῃ· διὸ οὐ συνεκφαίνεται αὐτῇ Ἀντιγόνη, ἀλλ' ἕτερον.

**) Pluribus de hac re nuper exposuit C. Fr. Hermannus in *annal. Berolin.* 1843.

Invicem poetae actorum usu ac sollertia adiuvabantur, velut Aeschylus Cleandri atque Mynisci Chalcidensis. Et testatur Aristoteles Poet. IX, 10. multum semper a poetis, et iis quidem bonis, tributum actoribus atque etiam in struendis tragoediis habitam eorum rationem esse. Amplificabant enim argumenta contentionibus, ut haberent histriones, in quibus agendis virtutem ostenderent. Neque hoc reprehendum est, siquidem quod actoribus communiter, non certis proprie, datur, id tragoediae ipsi, quae quidem posci velit et spectata reponi, dari intelligitur. Huius igitur rei caussa societas scriptorum actorumque utiliter initur, neque fere quisquam poetarum, qui neque quid theatrum requireret neque quid acturis gratum aptumque foret, respiceret, stare potuit aut in theatris regnare. Quod igitur de Sophocle memoriae est proditum, eum ad certorum actorum naturas in scribendis fabulis respectum habuisse, quodque idem de recentiorum tragicorum plurimis, Schaxperio imprimis, constat, idem ab Euripide factum esse multa declarant. Intima enim familiaritate cum Cephisophonte histrione iunctus fuit, adeo ut etiam in domo sua illum habitare voluerit, ex quo virorum consortio quanta uxoribus Euripidis infamia nata sit, alio loco exposuimus. Quod etiam natum in domo Euripidis illum fuisse tradunt, id ex eorundem comicorum calumnia puto originem duxisse: in vernae enim locum (*οἰκογενὲς μειράκιον*, vit. cod. Vindob.) amicum poetae detrahere conabantur. Hunc igitur frequenter ab Euripide consultum esse Aristophanes et qui eum secuti sunt grammatici testantur, Cephisophontem ad componendas fabulas operam suam contulisse dicentes: Aristoph. Ran. 1452: *ταντὶ πότερ' αὐτὸς εὖρες ἢ Κηφισοφῶν;* „*Ἐγὼ μόνος· τὰς δ' ὀξίδας Κηφισοφῶν.*” Vit. cod. Vindob.: *διαβάλλεται δὲ ὑπὸ φθόνου, ὡς τὸν Κηφισοφῶντα εἶχε συμποιοῦντα αὐτῷ τὰς τραγωδίας.* Et cantica imprimis, in quibus scilicet agendis Cephisophon maxime excelleret, huius sociato studio effecta esse arguunt: Aristoph. Ran. 944: *εἴτ' ἀνέτρεφον μονωδίας, Κηφισοφῶντα μιγνύς.* Itaque omnes, quae ubique invenirentur, infimorum hominum cantilenas collectas et in tragoediam ingestas esse criminantur, *ibid.* v. 1301:

οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μὲν φέρει πορνιδίων,
 σχολίων Μελήτων, Καρικῶν ἀὐλημάτων,
 θρήνων, χορείων,

contrarium iudicium faciente populo, qui chori persona
 repraesentatur, v. 1253:

τίν' ἄρα μέμψιν ἐποίησε
 ἀνδρὶ τῷ πολὺν πλεῖστα δὴ
 καὶ κάλλιστα μέλη ποιή-
 σαντι τῶν ἔτι νυνί;

Bonis, quae vulgus invenerat, uti praestantissimi quique
 omnium temporum omniumque gentium poetae non sunt
 dedignati: quod facientes quum politiora perfectioraque
 redderent quae horrida, inculta et agrestia acceperant,
 penitus in animos popularium descendencia carmina com-
 ponendo tum de illis optime meruerunt tum sibi gloriam
 perpetuam paraverunt. Idem igitur Euripidi contigit, va-
 rietate Musam lyricam augenti (Ran. 1328: ἀνὰ τὸ δωδε-
 καμήχανον Κυρήνης μελοποιῶν): quo in genere laus Eu-
 ripidis fuit tanta, quantae parandae ipse solus vix suffecisse
 putaretur. Itaque et ab Iophonem et a Timocrate Argivo
 adiutus esse ferebatur (vit. cod. Vind.: οἱ δὲ τὰ μέλη
 αὐτῷ φασὶν Ἰοφῶντα ποιεῖν ἢ Τιμοκράτην Ἀργεῖον).

Filium Euripidis, Mnesilochum nomine, actorum nu-
 mero clarum fuisse memoriae est proditum a vitae scripto-
 ribus (cod. Mediol., Thom. Mag. et Suida). Qui vereor
 ne illum cum avo eodemque patris socio, cui et ipsi nomen
 Mnesilochi fuit, permutantes hoc commenti sint. Hunc
 enim agendis fabulis, quas Euripides composuisset, ope-
 ram dedisse iure mihi videor colligere tum ex iis, quae
 in Thesmophoriazasis Aristophanes facetissime finxit, tum
 ex opprobriis, quibus vir sine dubio gravis atque erudi-
 tione haud vulgari excellens, idemque Euripidis admira-
 tor, laesus a comico est frequentissime. Accedit, ut et
 ipse generum suum in componendis fabulis adiuvisse fe-
 ratur; cf. vit. cod. Mediol. coll. Ambros. et vide quae T. I.
 p. 132. disseruimus.

Defunctis poetis, teste Aristotele, plus actores quam
 auctores fabularum valebant. Itaque quaedam per insci-
 tiam corrumpebant, quaedam consulto immutabant; sunt

etiam quae abiecisse et interpolasse videantur: quarum corruptelarum multa passim ab Euripidis scholiastis notantur. Iidem delectandi vulgi caussa interdum et ante dramatum initia et inter medios actus repraesentabant ea, quae cum argumentis fabularum minus congruerent. Cuius generis memorabile exemplum proditum est scholio ad Orestis v. 58. scripto: οὐκ ὀρθῶς ποιοῦσιν αὐτὴν (τὴν Ἑλένην) τινὲς τῶν ὑποκριτῶν προεἰσπορευομένην καὶ τὰ λάφυρα μεθ' ἡμέραν. Πητῶς γὰρ αὐτὴν νυκτὸς ἀπεστάλθαι φησί, τὰ δὲ κατὰ τὸ δρᾶμα ἡμέρα συντελεῖται. Pompam igitur triumphalem, antequam prologus ageretur, in scena ostentabant histriones, spolia, tanquam ex Troia capta reportata, ducentes; post quae Helena in carpento sedens praetervehebatur: id quod contrarium erat iis, quae finxerat Euripides: noctu enim clam Helenam in urbem praemissam esse, quod vulgi invidiam Menelaus vereretur, versu 58. aperte declaratur. Verum eiusmodi spectacula grata erant multitudini, oculorum magis quam animi voluptatem desideranti. Quamobrem merito hanc scenicorum ambitionem Horatius vituperavit:

„Quattuor aut plures aulaea premuntur in horas,
 Dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae;
 Mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
 Esseda festinant, pilenta, petorruta, naves,
 Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.”

A. P h a e t h o n.

Fragmenta huius tragoediae ex codice palimpsesto, qui Parisiis servatur, per Henr. Hasium et Imm. Bekkerum transscripta sunt, quibus accesserunt alia passim apud scriptores inventa. De quibus corrigendis interpretandisque bene meruit G. Hermannus; cf. opusc. Vol. III. p. 3 seqq. Germanice vertit simulque structuram fabulae delineare conatus est Goethius vol. XLVI. p. 30 seqq.; idem hoc Rau. Lugd. Bat. 1832. et Welckerus p. 594 seqq. et ipse ante hos novem annos experti sumus.

Locum Euripides, in quo res agerentur, talem finxit, qualis maximam haberet opportunitatem tum illarum continuandarum tum ad consuetam formam finesque tragoediae fabulosa revocandi. De cuius loci natura Strabo I. p. 23. haecce docet: „Priscorum Graecorum sententia sicut notae versus septentrionem gentes omnes Scythae nominabantur, ita quae ad Oceanum versus meridiem sita sunt omnia Aethiopiae nomine notabantur. Et Euripides in Phaethonte Clymenen ait Meropi datam esse, regi illius terrae, quam sol cum quadrigis sursum se tollens primam aurea flamma feriat, eamque ab accolis, qui nigra sint cute, Orientem (Ἐω) et lucidum solis stabulum appellari.” Et hoc quidem loco communes vult esse Aurorae et Solis stabula; in iis autem, quae deinceps sequuntur, vicina illa ait Meropis esse domicilio, et per totam fabulam utramque sedem connectit, id quod profecto non convenit in Aethiopiam, quae supra Aegyptum est, sed magis ad oram maritimam per universum tractum meridianum patentem.” Plane ad communium et consuetarum rerum modum monstra fabellarum et miracula reduxerat noster: fecerat enim Phaethontem ex aedibus paternis ad Solis aedes quasi a vicino ad vicinum se conferentem, finxerat eundem Solis curru per coelum eadem paene ratione, qua Hippolytum per terram vehi, et post ruinam corpus eiusdem domum quasi ex agris suburbanis, rursusque inde ad Eridanum simili modo, atque Neoptolemi corpus ex Delphis in Phthiotidem, reportari: in quibus agnoscimus rationem poetae fabulosa cum physicis et divina cum humanis coniungentis.

Hunc diem Merops duplici nomine faustum sibi fortunatumque fore sperabat: nam filium, optimae indolis adolescentem, cum sponsa divina matrimonio iungendo et proli et regno prospecturus erat. At adolescens alti animi conditionem oblatam aspernabatur: nam qua quidem erat morum castitate, alter Hippolytus, Venerem spernebat, qua autem consiliorum magnitudine et gloriae cupidine, universum potius orbem, quam angulum illum, in quo pater regnabat, suae virtutis curriculum fore sperabat. Oderat desidiam, fastidiebat voluptates et luxuriam, qua

in patris domo tum auro, gemmis, reliquis rebus pretiosis, tum esculentis potulentisque, odoribus, omnisque generis deliciis repletissima circumfluebat. Quod autem divinam virginem in matrimonium ducere iubebatur, non felicitatis praestationem, sed servitutis initium esse ducebat. Quippe beatitudinem non in absentia doloris, in vacatione et immunitate negotiorum, in voluptatibus vel animi vel corporis positam esse iudicabat, sed in virtutis usu, in libertate, in conscientia beneficiorum vel in patriam vel in genus universum humanum collatorum: hanc ingrediendo viam mortales ad immortalium gloriam et praestantiam eniti, quum divinae stirpis memores (ex aethere enim tanquam fonte communi non minus homines quam dii animas acceperunt) deos factis et magnitudine consiliorum aequare studerent. Hac sententia adolescens e domo paterna, ut in qua praeter servitatem morumque corruptelam nihil boni exspectare liceret, abire constituit hac ipsa die, qua quidquid vulgus magnum et beatum esse ducit sponte ei obferuntur: a quo tamen consilio mox interventu matris abducitur. Et quidem ante lucem surrexit, ut, priusquam parentes somno solverentur, conata exsequeretur. Quas volvens curas quum noctem insomnem egisset, ubi prodiit e tecto, questus pectore effundit. Hic igitur prooemium dicit, primum quidem explicans illa de parentum vita et de loci coelique natura, quae Strabo servavit:

*Κλυμένην δοθῆναι Μέροπι, τῆσδ' ἀνακτι γῆς,
ἣν ἐκ τεθρίππων ἀρμάτων πρώτην χθόνα
Ἥλιος ἀνίσχων χρυσέα βάλλει φλογί*)·
καλοῦσι δ' αὐτὴν γείτονες μελάμβροτοι
Ἔω φαεινὸν Ἥλιον δ' ἵπποστάσεις.* 5

In tanta solis propinquitate omnia putes comburi, quod secus esse docet Phaethon sive Anaxagoras: „nam quae longius a sole absunt, haec ille vehementius urit, propiora vero temperata habet”:

*θερμὴ δ' ἀνακτος φλόξ ὑπερτέλλουσα γῆς
καίει τὰ πόρρω, τὰ γγύθεν δ' εὐκρατ' ἔχει.*

*) Cf. II. η, 421: ἡέλιος προσέβαλλεν ἀρούρας εἰς αἰνῶν. Haec affero, ut Valckenarii coniectura arceatur.

His aliisque, quae theatri caussa moneri necesse fuit, expositis, ad ea, quibus ipse angitur, convertitur. Nuptiis suis celebrandis hic dies praestitutus est; sponsa autem electa Aurora est (hoc enim sine dubio significatur verbis: ἀστερωποῖσιν δόμοισι χρυσέοις, v. 125.): quae conditio quamvis minime spernenda sit, tamen se dicit hanc ipsam ob rem, quod generis gloria et divitiis opibusque a muliere superetur, coniugium eius fugere et nolle libertatem suam honore atque dote vendere: servum enim uxoris et affinium esse qui potentiolem, ditiolem clario-ribusque parentibus natam, quam sit ipse, ducat:

ἐλεύθερος δ' ὢν δοῦλός ἐστι τοῦ λέχους,
πεπραμένον τὸ σῶμα τῆς φερυνῆς ἔχων.

His auditis mater, paullo post illum in scenam progressa, inanem esse hunc timorem ostendit. Esse enim ipsum non humiliore loco natum, esse filium Solis, cuius famula sit Aurora, neque potentiolem, sed aequalem uxorem sua cura delectam et patris Phoebi beneficio concessam esse: proinde felicitate a parentibus parata uti ne dubitaret. Haec ut laeto, ita incredulo animo accipit adolescens. Ac primum quidem necesse esse iudicat matris indicium patris testimonio confirmari; deinde licere sibi putat debere, palam divinitate generis gloriari. Quarum rerum alterius mater facultatem fore ait, ubi, coniugio divino simul cum regno accepto, et ipse tutus fuerit et matrem tutandi potestatem adeptus, alterius fidem confirmandi cum maxime tempus adesse: proinde extemplo ad Solem se conferat, ut, priusquam ille in coelum tollatur, salutato patre donum pro signo ac documento postulet id, quod ille quondam, cum ipsa concumbens, filio ex ipsa nato se daturum esse pollicitus sit:

KATMENH.

μνησθεῖς ὃ μοι ποτ' εἶψ', ὅτ' εὐνάσθη, θεός, 10
λέγ', εἴ τι χορήσεις, ἔν· πέρα γὰρ οὐ θέμις

V. 10. Rau comparans Ion. 17: οὐπερ εὐνάσθη θεῶ, et 1505: χρυστόμενον λέχος εὐνάσθη, correxit εὐνάσθη θεῶ. Non est opus.

V. 11. Sic recte restituit Rau pro αἰτοῦ τι χορήσεις. Cf. Med. 1320. Electr. 909.

λαβεῖν σε· κἄν μὲν τυγχάνῃς, σάφ' ἴσθ', ὅτι
θεοῦ πέφυκας· εἰ δὲ μὴ, ψευδὴς ἐγώ.

ΦΑΕΘΩΝ.

πῶς οὖν πρόσειμι δῶμα θεοῖδ' Ἑλλίου;

ΚΛΥΜΕΝΗ.

κείνῳ μελήσει σῶμα μὴ βλάπτειν τὸ σόν.

15

ΦΑΕΘΩΝ.

εἴπερ πατὴρ πέφυκε, οὐκ ἄλλως λέγεις.

ΚΛΥΜΕΝΗ.

σάφ' ἴσθι· πύση δ' αὐτὸς οὐ χρόνῳ μακροῦ.

ΦΑΕΘΩΝ.

ἀρκεῖ· πέποιθα γάρ σε μὴ ψευδῆ λέγειν.

ἀλλ' ἔρπ' ἐς οἴκους· καὶ γὰρ αἶδ' ἔξω πόδα

δμῶαί περῶσιν, αἰ πατρὸς κοιμωμένου

20

σαίρουσι δῶμα καὶ δόμων κειμήλια

καθ' ἡμέραν φοιβῶσι κάπιχωρίοις

ὄσμαῖσι θυμῶσιν εἰσόδους δόμων.

ὅταν δ' ὕπνον γεραῖος ἐκλιπὼν πατὴρ

πύλας ἀμείψῃ καὶ λόγους γάμων πέρι

25

λέξῃ πρὸς ἡμᾶς, Ἑλλίου μολῶν δόμους

τοὺς σοὺς ἐλέγξω, μῆτερ, εἰ σαφεῖς λόγοι.

ΧΟΡΟΣ.

στρ. α'.

.

. κατὰ γᾶν

.

.
μέλπει δὲ δένδρεσι λεπτὰν

ἀηδῶν ἀρμονίαν,

30

V. 16. Egregium Welckerus versum concinnavit huncce:

Κλ. σάφ' ἴσθι· πύση δ' αὐτὸς σὺ χρόνῳ βραχεῖ.

Μακροῦ ipse explendi versus causa addidi: codicis enim signa deficiunt.

V. 19. πόδα de coniectura Ravii adiecimus; alii δόμων maluerunt.

V. 28. Voces κατὰ γᾶν quid velint ut intelligatur, Rau comparat Ion. v. 82: ἥλιος ἤδη λάμπει κατὰ γᾶν, et Archil. fragm.: τεθριππέοντος ἡλίου κατὰ γῆνα.

γόοις ὀρθρονομένα
 "Ἴτυν, "Ἴτυν πολύθρονον.

ἀντιστρ. α'.

σύριγγας δ' οὐριβάται
 κινουῖσιν ποιμένας ἐλάται·
 ἔγρονται δ' εἰς βοτάναν 35
 ξανθᾶν πάλων συζυγίαι·
 ἤδη δ' εἰς ἔργα κυναγοί
 στείχουσιν θηροφόνοι,
 πηγαῖς τ' ἐπ' ὠκεανοῦ
 μελιβόας κύκνος ἀχεῖ. 40

στρ. β'.

ἀκατοι δ' ἀνάγονται ὑπ' εἰρεσίας
 ἀνέμων τ' εὐαέσιν ῥοθίοις,
 ἀνὰ δ' ἰστία . . .

.

σινδῶν δὲ πρότονον ἐπὶ μέσον πελάσσει.

ἀντιστρ. β'.

τὰ μὲν οὖν ἑτέροισι μέριμνα πέλει,
 κόσμον δ' ὑμεναίων δεσποσύνων 45
 ἔμὲ καὶ τὸ δίκαιον ἄγει καὶ ἔρως
 ὑμνεῖν· δμωσὶν γὰρ ἀνάκτων
 εὐάμεροι προσιοῦσαι
 μολπαὶ θράσος αὐξουσ' 50
 ἐπὶ χάσματ'· εἰ δὲ τύχα τι τέκοι,
 βαρὺν βαρεῖα φόβον ἔπεμψεν οἴκοις.

ἐπωδός.

ὀρίζεται δὲ τόδε φάος γάμων τέλος,
 τὸ δὴ ποτ' εὐχαῖς ἐγὼ βωμοὺς
 λισσομένα προσέβαν ὑμέναιον ἀεῖσαι 55
 φίλον φίλων δεσποτᾶν·

V. 31. Transposuit Hermannus verba ὀρθρονομένα γόοις recte, ut videtur: idem enim error librariorum in v. 120. et 123. arguitur.

V. 44. Cf. Hec. 114: λαίφη προτόνοις ἐπεξειδομένας.

V. 46. κόσμον, decus, non est quod mutemus.

θεὸς ἔδωκε, χρόνος ἔκρανε
λέχος ἐμοῖσιν ἀρχέταις·
ἴτω τελεία γάμων αἰοιδά.

σύστημα.

ἀλλ' ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς πρὸ δόμων
κῆρυξ θ' ἱερὸς καὶ παῖς Φαέθων
βαίνουσι, τριπλοῦν ζεύγος, ἔχειν χρῆ
στόμ' ἐν ἡσυχίᾳ·

περὶ γὰρ μεγάλων γνώμας δείξει,
παῖδ' ὑμεναίοις, ὡς φησι, θέλων
ζευῆσαι νύμφης τε λεπάδνοις.

KHPYΞ.

Ὀκεανοῦ πεδίων οἰκήτορες,
εὐφραμεῖτ', ὦ,
ἐκτόπιοί τε δόμων ἀπαείρετε,
ὦ ἴτε, λαοί.

κηρῦσσω λέσχαν βασιλῆιον,
αἰτῶ δ' αἶσαν
εὐτεκνίαν τε γάμοις, ὧν ἕξοδος
ἄδ' ἔνεχ' ἦκει,

παιδὸς πατρός τε τῆδ' ἐν ἡμέρᾳ λέχη
κράναι θελόντων· ἀλλὰ σίγ' ἔστω λεώς.

Ex his, quae sunt prior pars fragmentorum e codice depromptorum, de argumento dramatis haecce cognoscimus. Ante lucem, quiescente etiamtum rege grandaevo, sermo habitus est matris et filii. Quo finito colloquio statim famulae regiae ad verrendas aedes purgandaque ornamenta et domesticis odoribus atrium suffiendum prodeunt. Eius igitur terrae incolae sunt, in qua thura atque odores nascuntur: eaque et Oceano et fontibus Oceani vicina esse fingitur (v. 39). Carmen autem famularum, quod parodum constituit, matutini temporis imagines amoenissimas

V. 59. Cf. τέλειοι θεοί et τελέεσσα ἐνατόμβη.

V. 69. Aberravit a vero Goethius vertens: Tretet hinweg vom Bereich des Palastes. Contrarium enim dicit praeco: Accedite atque appropinquate, ut orationem accipiatis regiam.

V. 71. Pro λέσχαν Bekk. et Herm. ὄσιαν legerunt, quod voluerunt esse indico reverentiam regis.

continet, describens solis ortum et luscinae cantum, tum pastores inter syringis sonum greges pastum agentes et venatores cum canibus venatum exeuntes, denique cygnos in fontibus Oceani ludentes et naves passis velis secundo vento per mare currentes. Sic aliis alia curantibus, famulae ipsae ad nuptias domini cantibus celebrandas et officio et studio ducuntur. Eluxit enim tandem dies pridem votis expetitus, quo ad exitum adducantur quae deus promisit. A deo aiunt uxorem regulo donari (θεὸς ἔδωκε λέχος ἑμοῖσιν ἀρχέταις), et peracto tempore praestituto deduci. Is deus, pater Aurorae, quinam apud Euripidem fuerit, latet. Ceterum non sine caussa poeta et varia hominum strenuorum negotia in hoc carmine et matrem de amisso filio querentem commemorasse videtur. Interim procedente tempore, quum iam vici et forum hominibus impleri coepissent, prodit filium manu ducens, praecone comitante, rex ipse Merops de iis, quae parat, apud populum concionaturus. Praeco, in mediam viam vel parodum theatri progressus, magna voce incolas terrae, quae Oceano adiacet, iubet linguis favere et ex aedibus progressos praesto esse, ut regem audiant verba facientem; tum fausta precatur nuptiis, quarum caussa haec instituantur; postremo silentium indicit populi concioni convocatae.

Orationis, quam habuit Merops, praeter quattuor voces nihil inventum est:

— — — εἰ γὰρ εὖ λέγω.

Divitiarum pretium et nobilitatis splendorem et desidiae laudem et vitam talem, qualem deorum esse Epicurei fingebant, copiose ab eo praedicatam esse Goethius suspicatus est. Reliquum argumentum eius quale fuerit, aperte et saepius in prioribus declaratur: de nuptiis enim patrem et cum populo et cum filio agere velle vv. 25. 65. et 73. ostendunt. Quamobrem quae de parte regni in filium transferenda communicandoque cum hoc imperio fragmenta quaedam satis luculenta continent, ex disputatione, quae orationi patris annecteretur, deprompta esse decernendum est. Nolebat enim filius uxorem in domum ita ducere, ut ipse sub tutela teneretur, et, si deae coniugio digna-

retur, sui se iuris fieri aequum esse censebat. Simul civibus ipsis hoc salutare fore arbitrabatur, patre iam senectute fracto neque ad tractanda imperii gubernacula satis habili. Non perinde navem una ancora tutam esse ait, quam si tribus committatur, itemque unum civitatis praefectum minus firmum esse, quam si alter adiungatur:

*ναῦν τοι μί' ἄγκυρ' οὐδαμῶς σώζειν φιλεῖ
ὡς τρεῖς ἀφέντι· προστάτης δ' ἀπλοῦς πόλει
σφαλερός, ὑπῶν δὲ κἄλλος οὐ κακὸν πόλει.* 80

At pater stultos suo quidem iudicio esse affirmat, qui vel patres filiis parum fidis rem domesticam vel reges civibus potentiam committant:

*ἐν τοῖσι μωροῖς τοῦτ' ἐγὼ κρίνω, βροτῶν
ὄστις πατήρ ὄν παισὶ μὴ φρονοῦσιν εὖ
ἦ καὶ πολίταις παραδίδωσ' ἐξουσίαν.*

His disputatis et dimissa concione, quum pater in domum redisset, Phaethon, de animi caecitate, de angustia, de contumacia senis acerbe conquestus, sine mora iter propositum ad Solis domum, comitantibus sine dubio famulis quibusdam, ingreditur. Eorum, quae patrem accusans dixit, haec servantur:

*δεινόν γε· τοῖς πλουτοῦσι τοῦτο δ' ἔμφυτον,
σκαιοῖσιν εἶναι· τί ποτε τούτου ταῖτιον;
ἄρ' ὄλβος αὐτοῖς ὅτι τυφλὸς συνηρηεῖ,
τυφλὰς ἔχουσι τὰς φρένας καὶ τῆς τύχης;* 85

i. e. quemadmodum caecae sunt divitiae, ita etiam caecae reddunt mentes divitum et eiusdem generis, cuius est fortuna eorum. Non iniuria haec patri exprobrat adolescens magno animo praeditus meritoque, cum sit altioris doctrinae praeceptis eruditus, recusat, quominus uxorem ducens conditione in domo paterna utatur ea, quae et patrefamilias et tam praestantis uxoris marito indigna sit. Voluptates enim, quamvis delicatas, nullo modo ad beate vivendum sufficere sibi persuasit. Itaque spreto deliciis et libidinibus, contemta uxore venustissima, omissis opibus et regno, in quibus nullus virtuti locus detur exercendae*),

*) Cf. fragm. inc. 21. p. 437. Matth.:

οὐδεὶς ἔπαινον ἡδοναῖς ἐκτίσαστο.

patria se ipse privare constituit, gloriam egregiorum facinorum per labores et certamina audacter quaesiturus. Facile enim caret iis rebus, quae iis, qui sibi imperare possunt, minime necessariae sunt: cibum enim potumque terra ubique suppeditat; quaecunque autem alit terra, eadem sapientibus patria est:

ὥς πανταχοῦ γε πατρὶς ἢ βόσκουσα γῆ.

Ex eadem oratione depromptum esse suspicor fragm. inc. 190:

ἐγὼ δ' ἐμὸς εἰμί,

quo se suum ipsius dominum solum esse velle adolescens declararet. Neque ab eadem absona est sententia, quam M. Planud. in Rhet. Gr. ed. Walz. V. p. 422. attulit:

*ἢ γὰρ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι
τὸν εὐγενῆ χροῆ.*

His expositis ad primum suscipiendum laborem proficiscitur, a Sole petiturus, ut equos divinos sibi regendos permittat, qua re impetrata, sperat tum patris testimonio, quasi pignore quodam, tum sua virtute se dei filium esse comprobatum iri.

Pridem lucem factam esse cecinit chorus, et partem diei inter has actiones iam praeterisse fingendum est. Unde planum est vera cum fictis misceri, cum modo fabulas sequens Euripides de quadriga equis iuncta, modo naturalem rationem de sidere cogitare videatur, et Solem modo deum esse fingat cum sidere coniunctum modo regem aliquem in domo vicina habitantem.

Sed profecto Phaethonte stasimon interponi necesse fuit: quo finito Meropem cum caterva famularum in scenam redire, quarum dux templa deorum deinceps omnia per urbem adiret, supplicaturus, thura ac dona oblaturus atque fausta nuptiis filii precaturus. Alter hic chorus priori superinducitur, et finita supplicatione famulo a Merope reducendus in domum traditur: quod idem in Hippolyto et in Alexandro usu venit. Haec supplicantium caterva postquam per pulpitum ambulans e conspectu abiit, statim unus eorum, qui cum Phaethonte profecti sunt, ad nuntiandum eius interitum redit. Eventum breviter quidem, sed Euripidem sine dubio sequens, Cicero Off. III, 25.

ostendit: „Sol Phaethonti filio facturum se dixit quicquid optasset. Optavit, ut in currum patris tolleretur. Sublatus est: atque is, antequam constitit, ictu fulminis deflagravit.” Imitatus Euripidem esse etiam Lucianus Dial. deor. 25. videtur, Solem haecce faciens narrantem: „Magnopere ac diu restiti, nolens ei aurigationem committere; ubi autem cum lacrimis flagitavit*) simulque cum eo Clymene mater (debebat dicere: „testem excitans matrem et quod illi quondam promississem”), in currum impositum monui, quomodo oporteret insistere et quatenus sursum evectum per cacumen ferri, deinde rursum per declive deorsum vergere**), et quomodo tractare frena neque impetum equis permittere***); docui etiam, quantum foret periculum, si non recta via ageret. Ille autem, cum conscendisset tantum ignem et in vastam profunditatem superne incubuisset, ut consentaneum est, obstupuit †); equi vero, ubi non me curru insistere animadverterunt, contempto adolescentulo a via evagati sunt ††); ille autem dimissis habenis, verens, opinor, ne excideret ipse, iugum currus manibus retinuit, currus autem transverse abreptus est, modo ad laevam, paullo post ad dextram, interdum etiam in contrarium eius, quem coeperant, cursus, in summa sursum ac deorsum, quocumque equis libitum est.”

Cum his fragmenta fere congruunt. Aureae massae similem esse solis currum dixerat Euripides, auctoritatem secutus Anaxagorae, Phaethontem autem ex illa decidentem lapidi ex aethere labenti comparaverat, teste Diog. Laert. II, 10: *φασὶ δὲ αὐτὸν (Ἀναξαγόραν) προεπιπεῖν τὴν περὶ Ἀλγὸς ποταμὸν γενομένην τοῦ λίθου πτώ-*

*) Plutarch. Tranq. an. c. 4: ὁ Φαέθων ἀναβάς εἰς τὸν οὐρανὸν ἔκλαιεν, εἰ μὴδεις αὐτῷ τοὺς τοῦ πατρὸς ἵππους καὶ τὰ ἄρματα παραδίδωσιν.

**) Cf. Ovid. Met. II, 63 — 69. imitationem.

***) Ovid. II, 127.

†) Ovid. II, 178.

††) Ovid. II, 202.

σιν, ὃν εἶπεν ἐκ τοῦ ἡλίου πεσειῖσθαι· ὄθεν καὶ Εὐριπίδην, μαθητὴν ὄντα αὐτοῦ, χρυσέαν βῶλον εἶπειν τὸν ἡλίον ἐν Φαέθοντι. Itaque etiam Lucianus in ignis multitudinem, quasi solis currum (ἐπιβάς τοσοῦτου πυρός), conscendisse dixit adolescentulum: cuius vis ne corpori eius noceret, patris beneficio effectum est; cf. v. 14 et 15. Ovid. II, 122.

Orat deinde pater filium, ut conatu absistat:

μή, παῖ, θίγῃς ποθ' ἡνίων, ἄπειρος ὦν,
μηδ' ἐν δίφροισι βῆς, ἐλαύνειν μὴ μαθῶν. 90

Traditis autem habenis hisce verbis filium docet pater:

ἔλα δὲ μήτε Λιβυκὸν αἰθέρο' ἐμβαλῶν·
κράσιν γὰρ ὑγρὰν οὐκ ἔχων, ἀψίδα σὴν
κάτω διήσει — —

quibus deinceps addit:

ἴει δ' ἐφ' ἑπτὰ Πλειάδων ἔχων δρόμον.
τοσαῦτ' ἀκούσας εἶτ' ἔμαρψεν ἡνίας, 95
κρούσας δὲ πλευρὰ πτεροφόρων ὄχημάτων
μεθῆκεν· αἱ δ' ἔπιαντ' ἐπ' αἰθέρος πύχας.
πατὴρ δ' ὀπισθε, νῶτα σειραίου βεβῶς,
ἴππευε, παῖδα νουθετῶν· ἐκεῖσ' ἔλα,
στρέφ' ἄρμα τῆδε. 100

Haec ut exemplar animi imagine rerum incensi ponens Longinus, „Nonne, inquit, animam scriptoris una currum conscendisse dicas et cum equis periclitantem avolare? Nunquam enim, nisi cum coelestibus illis rebus cursum aequaret, talia imaginata esset.” Sacularum quoque sideris mentionem fecit Euripides eo loco, quo finxit viam a Sole Phaethonti proficiscenti praescribi: et quidem tres esse Hyadas dixerat teste Arato Phaen. 169. (fragm. 12.).

V. 89. seq. Haec apud Clementem Alex. sic scripta:

μή θίγῃς ἡνίων, παιδίον, ἄπειρος ὦν,
μηδὲ ἀνοβῆς τὸν δίφρον, ἐλαύνειν μὴ μαθῶν;

alii aliter composuerunt.

V. 100. Ante voces στρέφ' ἄρμα τῆδε in Longini libris adiecta sunt vocabula τῆ ῥα. Quum scriptum esset παῖδα νουθετῶν ἐλατῆρα, στρέφ' ἄρμα τῆδε, librarii partem vocabuli ἐλατῆρα a corpore solutam verbis poetae affixerunt.

Ruinam denique Phaethontis traiectioni stellae de coelo labentis similem esse finxerat, teste Plutarcho def. oracul.:

ὁ δ' ἄρτι θάλλων σῶμα, διοπειτῆς ὅπως
ἀστῆρ, ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφείς εἰς αἰθέρα.

Rursus igitur hoc loco poeta fabulas ad physicam rationem revocavit, quasi caussam aperiens illorum de Phaethontis conatu comminiscendorum. Quae imitatus est Ovidius II, 320:

„Volvitur in praeceps, longoque per aera tractu
Fertur, ut interdum de coelo stella sereno,
Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.”

Exstincto igitur more sideris ardentis Phaethonte, non est mirandum, quod etiamtum, cum ad domum paternam corpus et in scenam relatum esset, ingentem vim fumi cum vapore exhalavit, ut timendum esset, ne Merops, cum maxime cum supplicantium choro domum revertens, animadverso corpore, de stupro uxoris inquirendo cognosceret. Qua cura sollicita Clymene, omissis lamentis, prope corpus in firmissimum aedium conclave, in quo auri thesauri servantur, auferri iubet, ubi a nemine sperat detectum iri, quoniam suae custodiae clavis commissa sit.

KATMENH.

.....
πυρὸς θερίζουσ' ἐν νεκροῖς θερμῆν φλόγα,
ζέσαντ' ἀνίησ' ἀτμὸν ἐμφανῆ καπνοῦ.
ἀπωλόμην. οὐκ οἴσετ' ἐς δόμους νέκυν;
ἴθ', ὡς πόσις μοι πλησίον γαμηλίους
μολπὰς ἀὔτει, παρθένους ἠγοούμενος.
οὐ θᾶσσον ὑγρὸν πέλανον ἐξομόρξετε,

105

V. 102. Ex obscuris litterarum signis id, quod maxime sensui accommodatum esse visum est, erui. Verte: calidam ignis flammam in cadavere delens (aqua, quam infusam iussu Clymenes fuisse fingendum est) vaporem fumi fervidum, longe conspicuum, emittit.

V. 106. Hermannus οὐ θᾶσσον; οὐκ ἀμολγὸν κτλ., quod sensu caret. Cruoris et vulneris caussam ruinam fingito: nam mors quidem per apoplexiam sine vulnere evenerat; cf. v. 176.

εἰ ποῦ τις ἔστιν αἵματος χαμαὶ πεσών ;
 ἐπείγεται, εἶα, δμῶϊδες· κρούσω δέ νιν
 ξεστοῖσι θαλάμοις, ἔνθ' ἔμῳ κεῖται πόσει
 χρυσός· μόνη δὲ κληῖθρ' ἐγὼ σφραγίζομαι. 110
 ὦ καλλιφεγγές Ἥλι', ὡς μ' ἀπώλεσας
 καὶ τόνδ'· Ἀπόλλω δ' ἐν βροτοῖς σ' ὀρθῶς καλεῖ
 ὅστις τὰ σιγῶντ' ὀνόματ' οἶδε δαιμόνων.

ΧΟΡΟΣ.

στρ.

Ἐμὴν, Ἐμὴν,
 τὰν Διὸς οὐρανίαν αἰδομεν, 115
 τὰν ἑρώτων πότνιαν, τὰν παρθένους
 γαμήλιον Ἀφροδίταν.

πότνια, σοὶ τὰδ' ἐγὼ νυμφεῖ' ὀφείλω,
 Κύπρι, καλλίστα θεῶν,
 τῷ τε μονόζυγι σῶν 120
 πάλω, τὸν ἐν αἰθέρι κρούπτεις,
 σῶν γενεὰν γάμων,

ἀντιστρ.

οἶ τὸν μέγαν
 τᾶσδε πόλεως βασιλῆ νυμφεύετε 125
 ἀστερωποῖσιν δόμοισι χρυσέοις,
 ἀρχὸν φίλον Ἀφροδίτα·
 ὦ μάκαρ, ὦ βασιλέως μείζων ἔτ' ὄλβον,

V. 112. Macrobii et schol. Orestis v. 1373. vestigiis apertioribus, quam codicis obscurissimis, si instare velimus, sic scribendum erit: Ἀπόλλων δ' ἐμφανῶς κληῖζει βροτοῖς, ὅστις κτλ.

V. 114. Virgines, quas ducit rex a templis publicis reversas, non famulae, quae chorum perpetuum constituunt, haec cantant. Illae enim corpus auferentes intro abierunt.

V. 119 et 122. Cod. θεῶν καλλίστα et γάμων γενεάν. De re cf. Hippol. 66 seqq.

V. 123. οἶ pro ᾧ, quod ex cod. profertur, postulante sensu reposui.

V. 124. Cf. Androm. 403: φονεῦσιν Ἐκτορος νυμφεύομαι. Veneris et Cupidinis favore factum esse aiunt, ut connubio Phaethon deae, quae auream Aetheris domum teneret, splendidissimo iungeretur.

ὅς θεὸν κηδεύσεις,
καὶ μόνος ἀθανάτοις
γαμβρὸς δι' ἀπείρονα γαῖαν
θνατὸς ὑμνήσεται. 130

ΜΕΡΟΨ.

χώρει σὺ καὶ τάςδ' εἰς δόμους ἄγων κόρας
γυναῖκ' ἄνωχθι πᾶσι τοῖς κατὰ στέγην
θεοῖς χορευῆσαι καὶ κυκλώσασθαι δόμους
σεμνοῖσιν ὑμεναίοισιν, Ἐστίας θ' ἕδος, 135
ἀφ' ἧς γε σώφρων πᾶς ἂν ἄρχεσθαι θέλοι
εὐχὰς π(οιεῖσθαι)

.

.

.

θεᾶς προσελθεῖν τέμενος ἐξ ἑμῶν δόμων.

ΘΕΡΑΠΩΝ.

ᾧ δέσποτ', ἔστρεψ' ἐκ δόμων ταχὺν πόδα·
οὔ γὰρ σὺ σώξῃ σεμνὰ θησαυρίσματα 140
χρυσοῦ, δι' ἄρμων ἐξαμείβεται πύλης
καπνοῦ μέλαινα λιγνὺς ἔνδοθεν στέγης·
προσθεῖς πρόσωπον φλόγα μὲν οὐχ ὀρεῶ πυρός,
γέμοντα δ' οἶκον μέλανος ἔνδον αἰθάλου.
ἀλλ' ἔσιθ' ἐς οἶκον, μὴ τι' Ἐφαιστος χόλον 145
δόμοις ἐπεισφρεῖς μέλαθρα συμφλέξῃ πυρὶ
ἐν τοῖσιν ἠδίστοισι Φαίθοντος γάμοις.

ΜΕΡΟΨ.

πῶς φήεις; ὄρα μὴ, θυμάτων πυρουμένων
κατ' οἶκον, ἀτμὸν κειῖσ' ἀποσταλέντ' ἴδῃς.

V. 131. Legunt alii ὑμνήσων, alii ὑμνήσεται.

V. 133. Feliciter finem versus explevit Rau.

V. 136. Bekk. ἀφ' ἧς τι, Herm. ἀφ' ἧς τὸ σώφρων. Inbet rex reginam domesticis diis eadem ratione, qua ipse modo publicis, supplicare; lustratis autem rite aedibus, ad deducendam sponsam divinam ex aedibus suis ad illius templum cum eodem choro abiturus est.

V. 139. Idem ille famulus, qui chorum domum reducere et tradere Clymenae iussus est, reversus inde de imminente incendio docet.

ΘΕΡΑΠΩΝ.

ἅπαντα ταῦτ' αἰθρης ἀκαπνώτου σέλας. 150

ΜΕΡΟΨ.

οἶδεν δ' ἐμῆ τάδ' ἢ οὐκ ἐπίσταται δάμαρ;

ΘΕΡΑΠΩΝ.

θυηπολοῦσα θεοῖς, ἐκεῖσ' ἔχει φρένας.

ΜΕΡΟΨ.

ἀλλ' εἴμ', ἐπεὶ τοι καὶ φιλεῖ τὰ τοιάδε,
ληφθέντα φαύλως, ἐς μέγαν χειμῶν ἄγειν.
σὺ δ', ὦ πυρὸς δέσποινα, Δήμητρος κόρη, 155
Ἥφαιστέ τ', εἴητ' εὐμενεῖς δόμοις ἐμοῖς.

ΧΟΡΟΣ.

τάλαιν' ἐγώ, τάλαινα, ποῖ πόδα
πτερόντα καταστάσω;
τίν' αἰθέρ' ἢ γᾶς ὑπὸ κεῦθος ἄφαν-
τον ἔξαμαυρωθῶ; 160

ἰὼ μοί μοι, καταφανήσεται
βασίλεια τάλαινα παῖς τ' ἔσω
κρυφαῖος νέκυς,
ὄτοτοτοῖ, κεραῦνιοί τ' ἐκ Διὸς
πυρρίβολοι πλαγαὶ λέχεά θ' Ἀλίου. 165

ὦ δυστάλαινα τῶν ἀμετρήτων κακῶν
᾿Ωκεανοῦ κόρα,
πατρὸς ἴθι πρόσπεσε
γόνυ λιταῖς, σφαγᾶς,
σφαγᾶς οἰκτρὰ τ' ἀρκέσαι σᾶς δειρᾶς. 170

ΜΕΡΟΨ.

ἰὼ μοί μοι.

ΧΟΡΟΣ.

ἠκούσατ' ἀρχὰς δεσπότητου στεναγμάτων;

ΜΕΡΟΨ.

ἰὼ τέκνον.

ΧΟΡΟΣ.

καλεῖ τὸν οὐ κλύοντα δυστυχῆ γόνον
. ὀμμάτων ὄραν σαφῆ. 175

V. 150. Herm. αἰθρη τ' ἀκάπνωτοί θ' ὀδοί, a codicis vestigiis longius, quam nos, recedens. Numerosior esset versus, si scriberetur sic:

ἅπαντά γ' αἰθρης ταῦτ' ἀκαπνώτου σέλας.

Mox in scenam reportato corpore in largas querelas dolor Meropis effunditur, nunc demum intelligentis, felices non eos esse, qui ab aliis felices praedicentur, sed qui ad omnes fortunae casus ferendos parati sint, ac dicentis illa, quae apud Plutarch. de tranquill. an. ex hac tragoedia decerpta esse nuper vidit Meineke progr. gymn. 1843. p. 38:

εὐδαιμονίζων ὄχλος ἐξέπληξέ με.

Quum reginae soli recludendi conclavis, in quo thesaurus servabatur, copia esset, non potuit auctor facti diutius latere. Et praesto erant famuli, qui Phaethontem proficiscentem comitati erant, a quibus inquirendo integram posset veritatem rex cognoscere. Clymenen enim fuga se subtraxisse et patris Oceani praesidio se tutam praestitisse consentaneum est. Nutricem eius loco ad defendendam causam prodisse coniectare inde licet, quod in indice personarum, qui in codice praemittitur, τροφὸς nominatur. Eius autem quaestionis unum exstat fragmentum apud Plutarchum, qui haecce scripsit Symp. IV, 2: „Innumeros iam tonitru peremptos audivimus, quorum in corporibus nullum vel plagae vel ignis vestigium apparet, propter metum nimirum anima avis modo ex corpore avolante, ut ait Euripides:

πολλοὺς δὲ βροντῆς πνεῦμ' ἀναιμον ὄλεσεν.”

Cognita causa cum rex et dolore et ira vehementius commoveretur, Oceanus intervenit, qui primo quidem mitigaret furentem et filiae reductae reconciliaret, deinde autem de curando corpore quae dii decrevissent praeciperet. De qua re eiusdem Plutarchi verba l. l. cognoscenda sunt: „Omnium miracula superat, quod cunctis fere notum est, fulmine ictorum non sentire corpora putredinem: siquidem multi eos neque cremant neque humo tegunt, sed relinquunt circumsepta, ut conspiciantur cadavera putredinis perpetuo expertia, ut Euripidis Clymene refellatur, putrescere sibi filium in saxorum faucibus dicens.” Vetuit igitur deus corpus humari; promisit se illud ad Eridanum*) per famulos portandum curaturum esse, ubi sorores (Phae-

*) Ovid. II, 324: „*Excipit Eridanus spumantiaque abluit ora.*”

thontides, Solis et Clymenae filias Hyginus appellat in praef.) in arbores fletu mutatae frigidis eum frondibus, quasi brachiis, tecturae et perpetuis lacrimis lucturae essent; cf. Lucian. dial. deor. 25. saltat. §. 55. de elect. s. cygn. init. Diodor. Sic. V, 24. Plin. H. N. XXXVII, 2. XI, 1. Eurip. Hipp. 740. Huius quoque praedictionis fragmentum exstat:

ψυκτήρια

δένδρεα φίλαισιν ὠλέναισι δέξεται.

Quibus dictis statim corpus aufertur, neque ad satiandum dolorem matri relinquitur querenti*), quod neque lavare corpus, neque componere neque contrectare licuerit:

φίλος δέ μοι

ἄλουτος ἐν φάραγγι σήπεται νέκυσ.

Inde ad supellectilem eius, ad arma, quibus uti, ad loca, in quibus versari solebat, conversa, aegritudinem non mitigari, sed augeri sentit: quamobrem, ne amplius illis angatur et sollicitetur, removeri e conspectu cupit quaecunque filii cogitationem renovant; sed rursus veretur, ne una cum moerore etiam memoriam eius eiiciat (Plutarch. Consol. ad uxor. init.):

— — — — — μισῶ δ' εὐάγκαλον 180

τόξον κρανείας, γυμνάσια δ' οἴχοιτό μοι.

Huius operis quanta fuerit praestantia, quilibet, qui modo iudicare possit, etiam ex reliquiis intelligit: quam demonstrare supervacaneum est, ex quo magnificentissimam carminis huius laudem Goethius praedicavit. „Longum est,” inquit, „de huius fabulae tum simplicitate tum magnificentia disserere, ut quae sine molesta ac spinosa rerum explicatione continuo ad summa et gravissima perducatur et maximarum rerum proposita contentione convenientissime naturae et delectet et doceat. Utinam plures postmodum gratissimi carminis reliquiae detegantur, quibus lacunae fideliter expleantur! Equidem felices praedico, quibus contigerit, ut oculis videant, si qua detecta erunt,

*) Ovid. II, 333:

*At Clymene, postquam dixit quaecunque fuerunt
In tantis dicenda malis, lugubris et amens
Et laniata sinus etc.*

quibus moniti ad antiquitatis gloriam mentes convertant, ex qua sola doctrinam et rationem petere debent quicumque ad veram humanitatem ingenuamque eruditionem aspirant."

Praeierat Euripidi Aeschylus eandem materiam *Helium* fabula exornans, cuius quale fuerit argumentum, ex iis, quae Hyginus fab. 154. retulit, conicere licet: quem sic secutus Euripides est, ut et nuptiarum apparationem et Clymenae periculum intexendo variaret argumentum augetque, quo factum est, ut primae partes Clymenae agenda deferrentur. Haec autem immutatio praestantissimarum rerum, quibus hoc drama excellebat, fons et principium fuit.

B. P o l y i d u s .

Argumentum et Hyginus fab. 136. et Apollodorus III, 3, 1. et Tzetzes ad Lycophr. v. 811. retulerunt, quorum primi verba haecce sunt: „Glaucus, Minois et Pasiphaae filius, dum ludit pila, cecidit in dolium melle plenum: quem cum parentes quaerent, Apollinem sciscitati sunt de puero. Quibus Apollo respondit: monstrum vobis natum est: quod si quis solverit, puerum vobis restituet. Minos, sorte audita, coepit monstrum a suis quaerere. Cui dixerunt natum esse vitulum, qui ter in die colorem mutaret per quaternas horas, primum album, secundo rubrum, deinde nigrum. Minos autem ad monstrum solvendum augures convocavit. Qui cum non invenirent, Polyidus, Coerani filius Byzanti*), monstrum demonstravit, eum arbori moro similem esse: nam primum album est, deinde rubrum, cum permaturavit nigrum. Tunc Minos ait ei: Ex Apollinis responso filium mihi oportet restituas."

Haec Polyidus ipse prooemio explicavit: initium enim dramatis erat auguris puerum quaerentis auspiciam. Ce-

*) Palaephat. 27: ὁ Μίνως ἐν τῷ τύμβῳ κατώρυξε τὸν τοῦ Κοιράνου Πολύειδον, ὃς ἦν ἐκ τοῦ Ἄργου.

terum non Apollinis oraculum, sed Curetes a Minoe consulti erant, teste Apollodoro: iique non inventum tantum, sed etiam in vitam filium dixerunt restitutum iri ab eo, qui vituli cuiusdam tricoloris*), qui in regis gregibus pasce- retur, optime effingere speciem potuisset dicens, cuinam rei similis esset. Rebus expositis Polyidus haliaetum conspiciens ex mari in terram volantem coniecturam inde facit Glaucum in terra, non in undis, extinctum iacere:

ἔα, ἔα!

ὄρω γ' ἐπ' ἀκταῖς νομάδα κυματότροφον
 ἀλιαίετον· τὸν παῖδα χερσεύει μόρος·
 εἰ μὲν γὰρ ἐκ γῆς εἰς θάλασσαν ἔπιτατο
 ὁ κύματ' οὐκῶν ὄρνις, ἠρμήνευσεν ἄν
 τὸν παῖδ' ἐν ὑγροῖς κύμασιν τεθνηκέναι·
 νῦν δ' ἐκλιπῶν ἤθη τε καὶ νόμον βλου
 δεῦρ' ἔπιτατ'· οὐκουν ἔσθ' ὁ παῖς ἐν οἴδμασιν.

Inde terrestri inquisitioni operam dans „vidit noctuam (γλαῦκα) super cellam vinariam sedentem atque apes fugantem. Augurio accepto puerum exanimem de dolio eduxit.” Haec Hygini verba confirmat Aelianus de nat. anim. V, 2: ἔοικεν Εὐρύπιδης ἀβασανίστως πεποιημέναι τὸν Πολύιδον ὄρωντα γλαῦκα καὶ ἐξ αὐτῆς τεκμηράμενον, ὅτι εὐρήσει καὶ τὸν Γλαῦκον, τὸν τεθνεῶτα τοῦ Μίνω υἱόν.

Abeunte augure in locum, ad quem aves deducebant, prodierunt populares, qui pro choro essent. Post parodum corpus pueri in scenam relatum est, comitantibus Polyido, Minoe et satellitibus. Rex, conspecto pueri defuncti corpore ac declarato dolore, ut spiritum augur ei restitueret, postulavit**). Quo negante hoc suae esse potestatis, simulans se voluntate sua cedere, sepulcrum et iusta funebria puero quam possent amplissima parari et plurima eorum, quae vivis vel cara vel necessaria sunt, in sepulcrum addi mortuo iussit, hoc spectans, ut Polyi-

*) βοῦν τρίχρωμον appellant Apollod., Tzetzes et schol. Aristid. T. II. p. 307. In proverbium abierat τραγικὴ βοῦς.

***) Hyginus: „Cui Minos ait: corpore invento nunc spiritum restitue.”

duſ, quum eſſet una cum puero in monumento incluſus, haberet unde vitam ſuſtentaret, donec ille in vitam revocatus eſſet. Quamobrem, quum ſeptem undique pedum modum ſepulcri eſſe Polyidus voluiſſet, duplicem ille numerum eſſe iuſſit:

μικρόν γ' ἔλεξας βαſιλικοῦ σῆκόν τάφου·
διπλάσιον ἔſτω· τοῦ κύβου δὲ μὴ ſφραλῆς.

Monumentum quin inſpectante theatro exſtructum eſſe fingamus, nil impedit: idem enim in Supplicibus Euripidis fieri videmus. Una autem ſepultum eſſe quicquid puer cari habuiſſet, Plutarchus in libro de vita iuc. ſec. Epic. p. 1104. (129.) teſtatur: καὶ ὄπλα καὶ ſκευή καὶ ἱμάτια ſυνήθη τοῖς τεθνηκόſι, καὶ ὡς ὁ Μίνως τῷ Γλαύκῳ,

„Κρητικοῦς

αὐλοῦς, θανούσης κῶλα ποικίλης νεβροῦ,”

ſυνθάπτοντες ἥδιον ἔχουſι.

Improbabat autem Polyidus ſumtum inutilem et ſupervacaneum:

μάτην γὰρ οἴκῳ σὸν τόδ' ἐκβαίη τέλος.

— — ἀνθρώπων δὲ μαίνονται φρένες,

δαπάνας ὅταν θανοῦſι πέμπωſιν κενάς.

Sapientis mores haec ſententia declarat, et ſolet Euripides vates eoſdem ſapientes eſſe fingere. Cui Minos reſpondet non ad hoc ſolum divitias parari, ut voluptatibus epularum conviviorumque ſufficerent, verum etiam ut calamitatibus afflictorum malisque laborantium minuerent dolorem:

οὐ γὰρ παρὰ κρατῆρα καὶ θοίνην μόνον

τὰ χρήματ' ἀνθρώποιſιν ἡδονὰς ἔχει,

ἀλλ' ἐν κακοῖſι δύναμιν οὐ μικρὰν ἔχει.

Sacrificans autem illa tam ampla atque magna rex thura quidem incendit vinumque libavit, ſed abſtinuit tibiis et coronis, ut moerori ſuo parum convenientibus*). Loco

*) Sueton. Tib. 70: Minois exemplo thure quidem ac vino, verum ſine tibicine ſupplicavit, ut ille olim in morte filii. Plutarch. de tuenda ſan. p. 397. (Hutt.): ὁ δὲ Μίνως καὶ τὸν αὐλὸν ἀφῆιλε τῆς θυſίας καὶ τὸν ſτέφανον ὑπὸ λύπης. Haec attulit Welckerus p. 1600.

enim tibicinis chorum cantibus lugubribus descendantem in Orcum puerum prosequi decuit. Dona, aliud post aliud, offerens, quae illum ad inferos subsequi volebat, quibus usus sit verbis, ex Aristophanis imitatione colligere licet, cuius hoc servatur fragmentum :

ἰδοὺ δίδωμι τήνδ' ἐγὼ γυναικά σοι

Φαίδραν· ἐπὶ πῦρ δὲ πῦρ ἔοιχ' ἤξιεν ἄγων.

Sapiunt enim haec Euripideam dictionem ac sunt similia iis, quae Hypsipyles dramati infuerunt: ἐς γῆν φέροντες γῆν.

Postremum munus Polyidum ipsum in sepulcrum mittere vivumque filio comitem addere decrevit. Iussit igitur augurem, nil tale opinatum, in monumento includi, ut vitam mortuo restitueret, et gladium apponi*). Verba imperantis haec sola servantur:

οἷσθ' οὖν ὃ δρασσον;

Id vero imperium superbum et crudele esse merito visum est Polyido. Testantur verba, quibus et ipsum tyrannum et adiutores eius satis asperis vexavit:

πλουτεῖς, τὰ δ' ἄλλα μὴ δόκει ξυνιέναι**).

ἐν τῷ γὰρ ὄλβῳ φαυλότης ἐνεστὶ τις,
πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε διὰ τὸ δυστυχῆς·

— — — — —
βαρὺν τὸ φόρημ' οἴησις ἀνθρώπου κακοῦ·

— — — — —
ὅταν κακός τις ἐν πόλει πράσῃ καλῶς,
νοσεῖν τίθησι τῶν ἀμεινόνων φρένας,
παράδειγμ' ἔχοντας τῶν κακῶν ἐξουσιῶν.

Denique dolet, quod iuvenilibus viribus destitutus potestate caret vim vi depellendi:

φεῦ, φεῦ, τὸ γῆρας ὡς ἔχει πολλὰς νόσους.

Contra Minos, ut paria paribus referat, sapientem esse negat eum, qui moderari animo suo nesciat:

*) Tzetzes: συναπειλείσθη αὐτῷ ἐν τινὶ οἰκίῳ, ὥστε ζωῶσαι αὐτόν. Hyginus: Minos iubet eum cum puero in monumento includi et gladium poni.

**) Vulgo μὴ δοκεῖς. Correxit Meineke programm. 1843.

ὄστις νέμει κάλλιστα τὴν αὐτοῦ φύσιν,
οὗτος σοφὸς πέφυκεν εἰς τὸ συμφέρον.

Et hortatur chorus quoque, ut necessitati pareat, documentum sapientiae id certissimum esse affirmans:

ὄστις δ' ἀνάγκη συγκεχώρηκεν βροτῶν,
σοφὸς παρ' ἡμῖν καὶ τὰ θεῖ' ἐπίσταται*).

Mutatur deinde sententia Polyidi et praestare cognoscit sponte vitam deponere, quam turpiter interfici. Queritur ille quidem, quod perniciem pro commodis sollertia iis, qui habeant, afferre soleat:

οἱ τὰς τέχνας δ' ἔχοντες ἀθλιώτεροι
τῆς φαυλότητος· καὶ γὰρ ἐν κοινῷ ψέγειν
ἅπανσι κείσθαι δυστυχῆς κοῦκ εὐτυχῆς

(quae sententia congruit cum iis, quae Medea v. 296 seqq. disserit). Sed mortem, quae omnibus impendat, neque miseram neque timendam esse intelligit:

πᾶσιν γὰρ ἡμῖν τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν**).

Quem locum et ipsum comicus deformavit sic:

τὸ γὰρ φοβεῖσθαι τὸν θάνατον λῆρος πολὺς.

Idem quod risit sententiam longe omnium praestantissimam et multo sapientiore, quam quae in mediocrium vel etiam sordidorum hominum captum caderet, minime mirandum est:

τίς δ' οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μὲν ἔστι κατθανεῖν,
τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται;

Clauso monumento et Polyido pro victima inferis diis tradito, rex quidem a sepulcro in aedes regias redire potuit, sed choro in eodem loco remanendum fuit, donec spiritus mortuo restitueretur. Locus igitur dabatur precibus votisque faciundis. Cantatis autem iis, quae caussae conveniebant, audierunt Polyidum et Glaucum vociferantes, unde revixisse Glaucum cognoverunt, et invicem missum a se esse nuntium, qui regem arcesseret, illis, qui in monumento inclusi erant, clamore significarunt. Reverso rege

*) Fragm. inc. trag. 120.

**) Euripidis hunc versum esse, et quidem ex hac tragoedia depromptum, recte iudicavit Bergkiius in annal. Zimmerm. 1835. p. 962. et fragm. Aristoph. p. 245.

apertoque monumento, Glaucus cum Polyido vivus productus est*): quo recuperato quanta fuerit regis laetitia, facile intelligitur. Quae intus gesta erant, Polyidus exposuit: de quibus haec refert Hyginus: „Qui cum inclusi essent, draco repente ad corpus pueri processit. Quod Polyidus aestimans eum velle consumere, gladio repente percussit et occidit. Altera serpens, parem quaerens, vidit eam interfectam, et progressa herbam attulit atque eius tactu serpenti spiritum restituit. Idemque Polyidus fecit.” Non gladio, sed lapide serpentem percussum esse ait Apollodorus, et temerario ictu interisse, quum ad se necandum Polyidus eum efferare vellet. Alter autem serpens, priorem exstinctum conspicatus, retro abiit; mox reversus allata herba quadam totum mortui corpus contextit: quo facto magna cum admiratione Polyidus mortuum vidit reviviscentem; tum sine mora, iisdem utens herbis imitansque serpentem, Glaucum mortuum suscitavit; cf. Tzetz. et Apollod. l. l. Huius narrationis nihil servatum esse videtur**), nisi forte haec, quae in incertis ponuntur fragmentis n. 108. et 240., inde decerpta sint:

ἔχει τελευτήν ἧσπερ οὔνεκ' ἐγένετο

— — — — —
 Ζεὺς μάντις ἐν θεοῖσιν ἀψευδέστατος

— — — — —
 καὶ τέλος αὐτὸς ἔχει.

Tantopere Minos gaudebat Glaucō recepto, ut cuperet iuvenescere, quo diutius dulcissimi filii adspectu delectaretur:

γέροντι δ' οὐχ οἶόν τε μηκύνειν χρόνον.

Polyidum autem, teste Hygino, cum multis muneribus in patriam remisit. Ex alienis enim fabulis petatum videtur quod Apollodorus cum Tzetze refert, ne tum quidem il-

*) Hyginus: Qui cum vociferarentur, quidam praeteriens Minoi nuntiavit, qui monumentum iussit aperiri et filium incolunem recuperavit.

**) Respexit autem eam Ovid. Fast. VI, 750 seqq., quo loco scribendum esse:

„Usus et auxilio est augur ab angue dato,”
 vidit Bergk. fragm. Arist. p. 246.

lum dimissum esse, antequam vaticinandi artem Glauco coactus tradidisset.

Ornaverant idem argumentum et Aeschylus et Sophocles, quorum carmina Euripidis tragoedia obscurata sunt. Huius enim plurima fit mentio et a nobilissimis quidem scriptoribus, quos videas ap. Matth. p. 308 — 314., et quidam loci sententiaeque in proverbialia abierant. Ut optimos quosque fructus vespae invadere solent, ita hanc quoque tragoediam Aristophanes turpaverat, cuius comoediae nomen idem quod Euripidis tragoediae inscriptum fuit; cf. Aristoph. fragm. ed. Bergk. p. 224 seqq. Euripides autem hoc dramate ostenderat hominem, qui scientia atque solertia excelleret, mala ex iis ipsis artibus, quae commoda aliis afferre solent, nanciscentem; ac fecerat sapientiam initio quidem potentiae succumbentem, postmodum autem victricem. Sic ad communes casus et veram vitae humanae naturam imitandam transtulerat fabulam plenam miraculorum et hariolis, quam poetis, commodiorem.

C. S c y l l a.

Scyllam Euripidis tragoediam fuisse recte Welckerus auctore Vossio ex Aristotelis quibusdam verbis (Poet. c. 26, 1. et c. 15, 5.) coniecit; idem scribarum errore, qui Ὀδυσσεύως nomen cum Νίβου permutarunt, in falsam opinionem induci se passus est, ut de Scylla, Phorci filia, deque Ulyssis labore et periculo cogitaret. Vellem docuisset, quonam loco res agi potuisse, quamnam rerum implicationem, quamnam actionum seriem fuisse fingeret. Talia enim si curasset, abhorrere illam a scena materiem extemplo intellexisset.

Scyllae Megarensis facinus nobilissima tragoedia unius ex principibus tragicorum celebratum fuisse ex plurimis scriptorum testimoniis intelligitur, quorum Ovidius Trist. II, 393., quo loco ad plurima Euripidis dramata respexit, haecce scripsit:

„*Impia nec tragicos tetigisset Scylla cothurnos,
Ni patrium crinem desecuisset amor.*”

Item Lucianus Saltat. §. 41., quo loco argumenta saltationis recenset, ἐξῆς δέ, inquit, τὰ Μέγαρα καὶ Νῖσος καὶ Σκύλλα καὶ πορφυροῦς πλόκαμος καὶ Μίνωος πόρος καὶ ἡ περὶ τὴν εὐεργέτιν ἀχαριστία. Argumentum multi retulerunt, quorum numero est Hyginus, qui tragicorum vestigiis insistere solebat. Eius igitur verba operae est transcribere: „Nisus, Martis filius sive, ut alii dicunt, Deionis, rex Megarensium, in capite crinem purpureum habuisse dicitur. Cui responsum fuit tam diu eum regnaturum, quam diu eum crinem custodisset. Quem Minos, Iovis filius, oppugnatum cum venisset, a Scylla, Nisi filia, Veneris impulsu est amatus. Quem ut victorem faceret, patri dormienti fatalem crinem praecidit. Itaque Nisus victus a Minoe est. Cum autem Minos Cretam rediret, eum ex fide data rogavit, ut secum aveheret. Ille negavit Creten sanctissimam tantum scelus recepturam. Illa se in mare praecipitavit, ne persequeretur. Nisus autem, dum filiam persequitur, in avem haliaetona, id est aquilam marinam, conversus est, Scylla filia in piscem Cirim, quem vocant. Hodie si quando ea avis eum piscem natantem conspexit, mittit se in aquam raptumque unguibus dilaniat.” Congrua cum hac narratione Servius (Virg. Ecl. VI, 74.) imprimis refert: „Pandioni, Athenarum regi, quattuor fuere filii: Aegeus, Lycus, Pallas et Nisus. Cumque Attica regio in partes quattuor esset divisa, Niso Megara sorte obveniunt, qui Nisaeam condidit (Strab. lib. IX.). Contra hunc demum Minos bella gessit. Scelere autem Scyllae filiae obtruncatus est, ut Minoe ipsa, quem adamabat, potiretur. Postea in aves ambo conversi sunt.” Haec ex Euripidis opere originem traxisse fragmentum docet, quod Suidas s. v. Νῖσος posuit:

Νίσω δ' ἔλαχεν ἡ Μεγαρίς).*

Adde eandem rem exponentes Pausaniam I, 19, 5. et II, 34, 7., Apollodorum III, 15, 8., Tzetzen ad Lycophr. v. 650. et, qui nostrum imitati sunt, Ovidium Met. VIII, 1—153. auctoremque Ciris, quod carmen Virgilii scriptis accensetur.

*) Supplendum est ὑπήκοος εἶναι. Fortasse scriptum fuit:

Νίσω λέλογχε Μεγαρίς ἐξελθεῖν πάλω.

Media in urbe et ante aedes regis res omnes com-
mode agi potuisse videntur. Et prooemium quidem a Ve-
nere actum esse ex Hygino colligo. De genere autem
Nisi regnoque eius referenda fuerunt illa, quae Servius
tradidit, cum quo Apollodorus et Pausanias conspirant*),
deque origine urbis illa, quae et Ciris auctor et Ovidius
tradiderunt:

„Stat Megara, Actaei quondam munita labore
Alcathoi Phoebique: deus namque adfuit illi:
Unde etiam, citharae voces imitatus acutas,
Saepe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus
Et veterem sonitu Phoebi testatur honorem”

(Cir. v. 105—109. Cf. Ovid. 14—16. Paus. I, 42, 1.). Tum
caussa belli et praesens rerum status et fatum Nisi enar-
randa fuerunt:

— „Hunc (Polyidum) bello repetens Gortynius heros
Attica Cretaea sternebat rura sagitta.
Sed neque tunc cives neque tunc rex ipse veretur
Infesto ad muros volitantes agmine turmas
Ducere et indomita virtute retundere mentes,
Responsum quoniam satis est meminisse deorum.
Nam capite a summo regis (mirabile dictu)
Candida caesaries, florebant tempora lauro:
At roseus medio fulgebat vertice crinis,
Cuius quam servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum
Concordes stabili firmarunt numine Parcae.
Ergo omnis caro residebat cura capillo:
Aurea sollemni comtum quoque fibula ritu
Mopsopio tereti nectebant dente cicadae”

(Cir. v. 114—128. Cf. Ovid. 9—10.). Denique suum con-
siliium Veneri explicandum fuit, quod irascens Niso favens-
que Minoi illum perdere constituerat.

In turrim quandam moenibus additam ascendisse Scyl-

*) Apoll.: ἐπολέμησε στόλῳ τὰς Ἀθήνας καὶ Μέγαρα εἰλε, Νί-
σον βασιλεύοντος τοῦ Πανδίωνος. Paus. I, 19, 4: ἐς οὗς
ἦλθεν ὁ Λύκιος φεύγων Αἰγέα κτλ. ἔστι δὲ ὅπισθεν τοῦ
Λυκίου Νίσου μνήμα κτλ.

lam et Ovidius et Ciris auctor retulerunt. Pro turri Euripidem tecto aedium regiarum, sicut in Phoenissis, usum fuisse arbitror, quum *τειχοσκοπιαν* fingeret, Homerum imitans.

„*Regia turris erat vocalibus addita muris etc.*

Saepe illuc solita est ascendere filia Nisi

Tunc, quum pax esset. Bello quoque saepe solebat

Spectare ex illa rigidi certamina Martis.

Iamque mora belli procerum quoque nomina norat

Armaque equosque habitusque Cydoneasque pharetras.

Noverat ante alios faciem ducis Europaei

Plus etiam, quam nosse sat est. Hac iudice Minos,

Seu caput abdiderat cristata casside pennis,

In galea formosus erat; seu sumpserat aere

Fulgentem clypeum, clypeum sumpsisse decebat.

Torserat adductis hastilia lenta lacertis:

Laudabat virgo iunctam cum viribus artem.

Imposito patulos calamo sinuaverat arcus:

Sic Phoebum suntis iurabat stare sagittis.

Quum vero faciem dempto nudaverat aere,

Purpureusque albi stratis insignia pictis

Terga premebat equi spumantiaque ora regebat:

Vix sua, vix sanae virgo Niseïa compos

Mentis erat. Felix iaculum, quod tangeret ille,

Quaeque manu premeret felicia frena vocabat.

Impetus est illi (liceat modo) ferre per agmen

Virgineos hostile gradus; est impetus illi

Turribus e summis in Gnosia mittere corpus

Castra, vel aeratas hosti recludere portas,

Vel si quid Minos aliud velit etc.”

Ovid. v. 14 seqq. Cf. Cir. v. 171 — 177.

Retracta ex tecto per nutricem Scylla choro prodeundum fuit, quem ex virginibus aequalibus atque familiaribus constituisse necesse est.

Post parodum rursus Scyllam cum nutrice prodisse arbitror. Materiam autem colloqui in his Ciris versibus deprendisse mihi videor:

*„Infelix virgo tota bacchatur in urbe,
 Non styrace Idaeo flagrantem picta capillos,
 Cognita non teneris pedibus Sicyonia servans,
 Non niveo retinens baccata monilia collo.
 Multum illi incerto trepidant vestigia cursu:
 Saepe redit patrios ascendere prodita muros,
 Aeriasque facit caussam se visere turres;
 Saepe etiam tristes volvens in nocte querelas,
 Sedibus ex altis coeli speculatur amorem,
 Castraque prospectat crebris lucentia flammis.
 Nulla colum novit carum nec respicit aurum;
 Non arguta sonant tenui psalteria chorda,
 Non Libyco molles plauduntur pectine telae.
 Nullus in ore rubor: ubi enim rubor, obstat amori.”*

Haec atque alia nutrice exprobrante, ad fatendum amorem virgo cogitur; confessioni preces adiungit:

*„Quod te per divum crebros obtestor amores
 Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnae,
 Ut me, si servare potes, ne perdere malis.
 Sin autem optatae spes est incisa salutis,
 Ne mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem.”*

Tum anus se omnia et patrare et perpeti malle, quam dulcissima alumna privari, ostendit:

*„Per tibi Dictynnae praesentia numina iuro,
 Prima deum quae te mihi dulcem donat alumnam,
 Omnia me potius digna atque indigna laborum
 Millia visuram, quam te tam tristibus istis
 Sordibus et scoria patiar tabescere tali.”*

Sed priusquam atrocius quicquam conetur, operam dandam esse monet, ut artificio aliquo doloque optata nanciscatur*):

*„Sed prius incolumi potius te nubere regno
 Atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, penates.
 Quod si non alia poteris ratione parentem
 Flectere (sed poteris! quid enim non unica possis?),
 Tunc potius tamen ipsa, pio cum iure licebit,*

*) Aristoph. Thesm. 927.:

ἦν μὴ προλίπωσ' αἱ μυρίαί με μηχαναί.

*Cum facti caussam tempusque doloris habebis,
Tunc potius conata tua atque incepta referto;
Meque deosque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor: nihil est, quod texas ordine, longum.*"

Post alterum deinde chorum Nisus cum filia in scenam prodierunt. Quaesivit pater ex filia, quaenam causa esset, quod cibo potuque abstineret, quod aegritudine tabesceret*), quod ad cubile suum totas noctes vigilaret (Cir. v. 231 seqq.):

*„Qua caussa ad patrium solam vigilare cubile,
Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus?"*

Fingit Scylla se de patris salute pavere deque belli eventu vereri, cum hostem et opibus longe potentiozem et Iovis filium esse reputet:

— — — *„multus ineptae
Virginis insolito sermo novus errat in ore.
Nunc tremere instantis belli certamina dicit
Communemque timere deum, nunc regis amicos
(Namque ipso verita est orbari moesta parente!),
Cum Iove communes qui quondam habuere nepotes"*

(Cir. v. 357 seqq.). Deinde enixis precibus patrem filia unica orat, ut curis ac pavore se perpetuo bellum componendo liberet. Pro filio interempto bellum ab hoste iustissimum geri (Ovid. v. 58.): ergo filiam Nisi pro filio Minois tradendam esse, ut et civibus otium et illi salus securitasque restituatur. Dulce sibi et gloriosum esse multorum civium mortes patrisque ipsius periculum suo incommodo redimere. Quamobrem se sine mora in hostium castra profecturam, ut pro obside pacisque pignore se hostibus tradendo reliquorum vitas fortunasque suo periculo exsolvat:

*„Me tamen accepta poterat deponere bellum
Obside: me comitem, me pacis pignus habeto."*

Ovid. v. 47 seq. Magna fuit Nisi fortitudo atque ferocia, quoad crine fatali praeditus fuit: unde facile potest ae-

*) Aristoph. Thesm. 406:

τὸ χρῶμα τοῦτό μ' οὐκ ἀρέσκει τῆς κόρης.

stimari, quanta cum indignatione filiae consilium repudiaverit. Ceterum bono animo esse filiam iussit neque quidquam curare, nisi ut patris crinem dormientis semper diligenter custodiret: etenim hoc salvo salvum etiam patrem cum regno futurum esse ostendit. Hoc comperto, filia, ut amore potiat hostis, patrem prodere constituit. Rursum se nutrix sociam adiungit alumnae (Cir. v. 381.), ipsaque Minoem de consilio virginis certiore factura in hostium castra proficiscitur*).

Quartus actus proditione urbisque expugnatione conficiebatur. Nox facta esse fingebatur, quae favet furtis. Reversa a Minois colloquio nutrix responsum nuntiavit, hac conditione Scyllam illius uxorem fore, si crinem patri purpureum abstulisset. Quo audito statim Scylla ad tendendum patris capillum in domum abit:

„*Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis
Pectora somnus habet. Thalamos taciturna paternos
Intrat, et, heu facinus! fatali nata parentem
Crine suum spoliat.*”

Interim hostes nocturno impetu urbem expugnare conantur. Armorum strepitum hostiumque appropinquationem audiens chorus haec cantare potuit:

ὀλολύζετ', ὦ γυναῖκες, ὡς ἔλθῃ θεὰ
χρυσῆν ἔχουσα Γοργόν' ἐπίκουρος πόλει**).

Hoc carmen dicere Aristoteles potuit Poet. c. 26. §. 1: οἶον οἱ φαῦλοι ἀνέλγαι — — ἔλκοντες τὸν κορυφαῖον, ἂν Σκύλλαν ἀλῶσιν***). Plenum enim erat tumultus, mulieribus de salute paventibus, quo fiebat, ut ad imitandum importunius choragus abriperetur.

Rediit deinde ex aedibus cum „praeda nefanda” filia impia:

*) Ex choro, qui hoc loco interponendus fuit, haec Aristophanes depromere potuit (Thesm. 715):

τίς οὖν σοι, τίς ἂν
ξύμμαχος ἐκ θεῶν
ἀθανάτων ἔλθοι
ἐὺν ἀδίκους ἔργοις;

**) Vide Matth. fragm. Eurip. p. 117.

***) Cf. quae supra exposuimus p. 181.

„Fert secum spolium sceleris progressaque porta
Per medios hostes (meritis fiducia tanta est!)
Pervenit ad regem.”

Sed iam Minos ipse, superatis moenibus, ad regiam tendit. Cui obviam procedente Scylla, acta sunt illa, quae his verbis Ovidius exposuit:

— — — „quem sic affata paventem est:
Suasit amor facinus: proles ego regia Nisi
Scylla tibi trado patriosque meosque penates:
Praemia nulla peto, nisi te. Cape pignus amoris
Purpureum crinem: nec me nunc tradere crinem,
Sed patrium tibi crede caput: scelerataque dextra
Munera porrexit. Minos porrecta refugit,
Turbatusque novi respondit imagine facti:
Dí te summoveant, o nostri infamia saeculi,
Orbe suo, tellusque tibi pontusque negentur!*)
Certe ego non patiar Iovis incunabula Creten,
Qui meus est orbis, tantum contingere monstrum.”

His dictis Minos, praesidioque in oppido collocato, statim cum comitibus in castra rediit atque

„classis retinacula solvi
Iussit et aeratas impelli remige puppes.”

Scylla vero, quum nusquam terrarum iam tuto morari posset, ira simul ac pavore amens, Minoem persequitur, in mare se praecipitatura, si navis negetur.

Quintus actus *Θροῆνον* habebat Nisi, fortitudine regnoque cum crine privati. Ea lamenta a persona illius aliena esse indicavit Aristoteles Poet. c. 15, 5: ἔστι δὲ παράδειγμα τοῦ ἀπρεποῦς καὶ μὴ ἀρμόττοντος ὃ τε *Θροῆνος Νίσου***) ἐν τῇ *Σκύλλῃ* καὶ ἡ τῆς *Μελανίππης ὀψίσις*. Videtur autem philosophus oblitus fuisse mutationis, quae resectis capillis consecuta est***). Inter has querelas Nisus, quum pennas sibi ad persequendam filiam dari cuperet, citato

*) Potuit haec Aristophanes respicere Nub. 40:

εἰς τὴν κεφαλὴν ἅπαντα τὴν σὴν τρέψεται.

**) Scribitur *Ὀδυσσεύς*. Frequenter in propriis nominibus scribendis erratum est.

***) Tzetzes ad Lyc. v. 650: ἐν ἐκείνῃ γὰρ τῇ τριχί ἦν αὐτῷ τὸ πᾶν τῆς δυνάμεως, καθάπερ καὶ τῷ Σαμψών.

cursum e conspectu abiit. Reliqua per nuntium, qui e litore rediret, exponenda fuerunt:

*„Insequar invitum puppinque amplexa recurvam
Per freta longa trahar. Vix dixerat: insilit undas,
Consequiturque rates, faciente Cupidine vires,
Gnosiacaque haeret comes invidiosa carinae.
Quam pater ut vidit — nam iam pendebat in auras
Et modo factus erat fulvis haliaeetos alis*) —
Ibat, ut haerentem rostro laniaret adunco.
Illa metu puppim dimittit: at aura cadentem
Sustinuisse levis, ne tangeret aequora, visa est.
Pluma fuit: plumis in avem mutata vocatur
Ciris, et a tonso est hoc nomen adeptae capillo.”*

Ovid. v. 141 seqq. Cf. Virg. Georg. I, 404 — 409.

XVI. Veritatem qua ratione Euripides imitatus sit.

Goethius quo tempore de nostratium iudicio et sensu veri desperans decrevit nullam saeculi in componendis carminibus rationem habendam esse, sine dubio vehementius erravit, quam unquam adolescentulus vel inscitiae vel affectuum turbis implicatus erraverat, coepitque Achilleidem scribere, quod frigidissimum opus fore mox ipse sentiens omisit. Frigere putant etiam Iphigeniam illius, neque in eo plane falluntur. Quatenus enim heroum Graecorum speciem formamque personae referunt, frigida est fabula; quatenus autem nostratium moribus sentiis que imitatio respondet, tenet, movet atque delectat: quorum illud quidem voluisse videtur poeta, hoc autem (rectius nimirum natura quam voluntate ducente) assecutus est: heroum enim imitatio in principum virorum abiit femina-

*) Aristoph. Ran. 1352:

ὁ δ' ἀνέπτατ', ἀνέπτατ' ἔς αἰθέρα
κοινοτάταις πτεροῦν ἀκμαῖς.

rumque imitationem, quibuscum Wimarae vivebat amicitia coniunctus. Laedunt animos poetae mala et errores repraesentantes eos, quibus ipsi, qui spectant vel legunt, perfuncti sunt, velut Phrynichus expugnationem Mileti populo Atheniensium ante oculos ponens; contra frigent necessario carmina et vi movendi carent, quae alienas res alienis sententiis moribusque coniunctas ostendunt. Hoc intelligens Schillerus, quum Phoenissas Euripidis imitari vellet, non nomina tantum personarum mutavit, sed res etiam sive argumentum in ea loca ac tempora transtulit, quae substituendorum haberent studiorum morum sententiarumque nostratibus consuetarum opportunitatem. Itemque ante hunc Lessingius Appii et Virginii factum sic imitatus est, ut moribus recentis saeculi in locum antiquorum repositis res omnes plane ad huius aetatis rationem conformaret. Verum nominibus, locis, temporibus et ceteris, quae sunt adventicia, nemo nisi indoctus offenditur, neque reprehendendi essent Gallorum tragici, quod aulicorum suae gentis mores imitantes nomina iis Graecorum heroum et facta tribuerunt, dummodo ne, quum veterum tragoediarum argumenta retinerent, a summa tragoediae defecissent.

Retinuit etiam Euripides nomina heroum et tempora locosque rerum et quaecunque de illorum factis fama vetustissima tradebantur, cum tamen mores et sententias non heroum, sed civium Atheniensium, quales tum erant, imitaretur et ad sui saeculi morem modumque dicta factaque omnia conformaret, quod faciens tum incongrua effinxisse tum descivisse ab Homeri exemplo atque auctoritate multis videtur, quos falli nunc ostensurus sum. Imitatus est Homerus maioribus quidem corporis viribus praeditos homines, quam vidit in veritate, id quod formula *οἶοι νῦν βροτοί εἶσιν* significavit, sed mores non hominum tantum, sed deorum quoque cum vitiis et virtutibus tales, quales revera esse cognoverat, expressit, turpia atque obscoena in ipsum Olympum mediumque deorum conventum invexit, neque ea sola effinxit, quae tragoediarum scriptores rite imitarentur, verum etiam satyrica dramata et comoedias scripturis tum viam monstravit, tum exempla proposuit materiamque suppeditavit.

At nihil unquam humile, inquis, nec illiberale nec tenue heroum personis affinxit. Certo non heroum, sicut nec Euripides philosophorum: at gregariorum hominum et, quod maius est, deorum: tum, etiamsi quid turpe vel molle heroibus, velut Alexandro, tribuit, venustate eorum vel facetiis excusatum esse voluit, quum Euripides quae turpia sunt turpia esse dixerit et Menelaos, Alexandros, Helenas probri severe damnaverit. Deos, quales Homerus effinxerat, Euripides, ut mera opinionum commenta, in machinae usum scenicae retinuit, ut abditae obscuraeque rerum caussae, quas neque investigari in fabulis deceret neque ostendi exlipcarique necesse esset, in tenebris atque obscuritate ea, qua deberent, relinquerentur. Etenim quaecunque in ridiculis rebus casu fortuito, eadem in gravibus per deorum personas recte efficiuntur. Casuum enim duplex est genus, partim levium, quibus severa repente in ridicula permutantur, partim gravium, quibus sublimia sublimibus additis exaggerantur. Huius generis casus fuerunt illi, quibus Fiescus eo ipso tempore, quo finem assecutus temerarie ac turbulenter factorum se triumphaturum esse sperabat, tum uxorem sua manu inscius transfodit, tum de assere pede errante lapsus in undis ipse periit: quorum neutrum sine numine divino factum esse videtur. Quamobrem non debuit Schillerus neque alterum casum in scelus mutare neque alterum in solo manus errore ponere, sed daemonum personis atque interventu uti ad exemplar eorum, quae Schaxperius in Hamleti et Macbethii fabulis finxit, atque vindictam numinis evidentius ostendere. Nam in Hamleti dramatis exitu quamvis res casu misceri videantur, tamen, quod daemonem iis interesse vidimus, quin a manibus occisorum praesentibus omnes ad inferos rapiantur, non dubitamus. Carere igitur diis neque tragoedia neque epopoeia potest, quibus qui abstinent poetae, naturales eventuum caussas omnium demonstrandas esse censentes, plus tribuunt prudentiae quam animi motui ei, quo imagines conformantur, simulque detrimentum inferunt tum simplicitati carminum tum gravitati. Pluribus enim personis, pluribus episodiis et accuratiore morum vitarumque imitatione opus est iis, qui

causas altius latentes ostendere student; et tamen saepissime ne haec quidem satis valida sunt: multa enim et in rerum natura et in hominum ingeniis eveniunt, ad quorum investigandam originem nulla cognitio humana sufficiat. Praestat igitur deorum personas etiam per significationem inducere, quam spretis iis iacturam facere gravitatis. At incongrua et secum pugnantia effinges, si deorum personas adhibebis iisdem fabulis, in quibus tolli illorum formas a disputantibus feceris. Et quis non deorum personas effingens incongrua finxit? An Homerum eius criminis expertem esse putas, qui fecit Martem humi prostratum septem iugera obtinentem et Minervae galeam centum civitatum militibus aptam, et Iovem effinxit tantae magnitudinis, ut posset terras cum mare catenae alligatas de cacumine Olympi (qui tamen ipse terris inniti credebatur) suspendere? Hoc nonne est eodem tempore ponere deorum personas figurasque et tollere rursus infinitate magnitudinis? Dicas Homerum et ipsum philosophiam cum poesi coniunxisse et interdum illam cum huius dispendio secutum esse. Noli igitur Euripidi crimini vertere id quod mentis humanae vitium est, quae videtur non posse unquam deorum figuras speciesque fingere, quin fingat incongrua. Non minima Homeri laus cernitur in eo, quod acerrime Plato vituperavit, quod hominibus similia deorum et corpora et vitae actionem et mentes effinxit: nam etiamsi philosophis alia deorum natura magis conveniat, poetis certe haec sola convenire debet. Neque ulla re Euripides poeticam virtutem magis manifestavit, quam quod, quum omnibus philosophiae bonis instructissimus esset et haec carminibus includenda et cum vulgo communicanda esse decrevisset, in illa re Homerum sibi sequendum esse intellexit. Eiusdem generis est et cum illo arctissime coniunctum, quod, si qua fabulis traditis inerant miracula a natura et ratione abhorrentia, sic conformavit, ut simul et doctis et indoctis satisfaceret. Naturae enim portentis physicas rationes tecte subiecit, hominum autem facta naturam superantia sic exposuit, ut, etiamsi non consueta atque communia, certe communibus simillima esse vide-

rentur. Utriusque generis exempla luculentissima in fabulis Phaethontis, Herculis et Cressarum demonstravimus.

Homerum ipsum, si Euripidis aetate vixisset, scripturum sic ut Euripidem, non ut Sophoclem, fuisse arbitror. Nam lecythis ipse quoque abstinuit, naturali nitore contentus. Solent autem verba fere cum rebus, propterea quod altera ex alteris pendent, conspirare. Atqui non facta, sed nata est Homeri oratio (id quod Crantor intellexit, solum Euripidem ab hac parte cum eo comparandum esse dicens): qui igitur homines convenit ab eo fucata pulcritudine pictos et simulato splendore praeditos esse putare? Quosnam autem praeter eos, quos in veritate videret, imitaretur homines, qui priorum poetarum, si qui erant, non sic teneretur admiratione, ut a morum imaginibus traditis recedere non auderet? Neque enim idem est veros mores atque vulgares vel aequales imitari, quorum hos Euripides non minus quam Homerus fastidiebat; hoc differt, quod meliores mores hic heroibus, ille philosophis tribuit, virtutem hic in corporis, ille in mentis viribus habitare iudicavit. Quod si contempleris magnitudinem animorum, qua res humanas personae Euripidis praestantissimae quaeque contemnunt, si recorderis divini mentium ardoris, quo egregiorum eadem facinorum gloriam sequuntur, quum impetu quodam et calore incitatae suam ipsae naturam vincentes, omissis quaecunque dulcia et iucunda habuerunt, durissima quaeque sponte et cum laetitia subeunt, hanc, inquam, non heroum tantum, sed etiam adolescentium, feminarum, puellarum, mendicorum denique, ut vult Aristophanes, virtutem supra vulgarem hominum opinionem longe elatam si considerabis, illud *οἷοι νῦν βροτοὶ εἶσιν* in Homerum non magis quam in Euripidem convenire intelliges.

Quicumque in quocunque negotio operam suam iis, quibuscum vixisset, accommodasset et ad adiuvandos cives vel gentem suam valuisset, eum Goethius omnibus saeculis commodum et vere immortalem esse censuit, qua sententia vix ulla verior unquam aut utilior proposita est. Huic autem rei quis unquam poetarum, praeter Homerum, efficacius operam quam Euripides impendit? cuius quanta

fuerit vis ad conformandos civium mores quantumque carminum in omnes vitae partes momentum, nisi et Aristophanes confiteretur et reliqui scriptores testarentur, res ipsae satis docerent. Id autem minus assequutus esset, si minus homines tales, quales revera erant, imitatus esset minusque rerum, quae tummaxime gerebantur, imagines carminibus expressisset, neque mores tantum, sed res quoque de medio sumtas imitatus esset. Etenim non comoedia sola Graecorum in mediis rebus, quae forte gererentur, versari solebat, sed tragoedia quoque, quamvis esset rigidior et a vulgari vita remotior, pleraque sic conformabat argumenta, ut similitudinem referrent eorum, quae iis maxime temporibus, quibus fabulae docebantur, fiebant. Non magis igitur ex fama vetustissima, quam ex veritate rerum praesentium materia carminum petebatur, quippe quum ex illa praeter nomina personarum locorumque paucissima poetae in usum suum convertere solerent, in argumentis autem conformandis et in moribus describendis similitudinem eorum, quae veritas suppeditabat, sic sequerentur, ut colligendo dissipata et ad concordiam discrepantia revocando fabulas componerent sic, ut et movendis animis et consolandis et confirmandis civium aptae essent, et suorum quisque tum malorum tum bonorum imagines iis expressas intueretur.

Invitabatur autem ad hoc genus imitationis Euripides et civium voluntate et reipublicae natura. Etenim necesse est in liberis civitatibus non solum quae ad usum utilitatemque parantur, verum etiam quae ad delectationem populi instituuntur, imprimis Musarum artes, accommodari ad res, quibus vulgo omnes moventur, et quoddam ad dirigendas hominum voluntates momentum facere. Neque difficile est iis, qui attendunt, cognitu, quinam singulis fabulis insint hominum, qui rebus praeerant gerendis, respectus, quatenus rerum imitatio: quod si quae privis hominibus magna acciderunt eadem diligentia, qua res publice gestae, memoriae ab historicis tradita essent, de fontibus tragicorum, imprimis Euripidis, iudicare rectius liceret. Publicarum autem rerum et principum virorum similitudinem tragoediis expressam investigare utilissimum

est. Primum enim tempus, quo quaeque fabula docta sit, ex illis definiri potest; tum quam consiliorum communitate, quo studiorum voluntatumque consensu scriptor cum civibus coniunctus fuerit, quid vel probarit vel damnarit, quid fugerit vel petierit, inde aestimare, denique vitam eius ex operibus, tanquam certissimis testimoniis, cognoscere licet. Sed ad carminum quoque ipsorum vim virtutemque aestimandam, ad causas conformandorum argumentorum, effingendarum personarum, inserendarum sententiarum cognoscendas maximi illa investigatio momenti est. Denique etiam iis, qui de rebus iudicare gestis volent, adminiculum haud sane contemnendum offertur, cui se applicent, si qua in re historicorum censeant fidem addubitandam esse. Certe enim ut factorum rationes, ut hominum principum consilia et voluntates, ut populorum studia et iudicia cognoscas, non minus fabulae poetarum, quam orationes eorum, qui res forenses agebant, dignae, ad quas animum advortas, esse videntur. Insunt enim illis testimonia iudiciorum, quae de rebus hominibusque faceret civium pars vel sanissima vel certe non vilissima, quae iudicia ubi cum narrationibus eorum, qui res scripserunt, contulerimus, de fide horum iudicare tutius licebit. Neque unquam unius hominis auctoritate acquiescendum est, quippe qui, quamvis fuerit ira studioque vacuus, quamvis diligentia, acumine iudicioque praestiterit, tamen homo fuit, in quem caderet error, ut supra naturam humanam ingenii eius vim extollere videantur qui quicquid retulit, quicquid indicavit, se cure adsciscunt. Quamobrem operae pretium est indagare, quid de principum virorum personis senserit Euripides et quae de iis tecte innuerit. Themistoclis res gestae magnae adolescenti admirationi fuerunt, et videtur, quemadmodum ille Miltiadis tropaeis ad aemulandam gloriam factorum excitatus est, sic ipse praestantissimi viri virtutibus contemplandis incensus esse studio imagines fortissimorum hominum carminibus exprimendi. Itaque Thesei mentem ad Themistoclis exemplum sic conformavit, ut et verba et facta similia effingeret. Extremis eiusdem viri casibus ultra modum vulgarem affectus fere omnes in Telephi personam transtulit, qua in re, quod ad hostes The-

mistocles confugit, necessitate excusatum esse voluit, proditionis autem crimine purgavit, quum Telephum fecerit recusare, quominus hostium castra secutus contra patriam arma ferret infesta. Periclis non solum mores, sed etiam consulta vehementer approbavit, eruditionem vero summa laude dignam esse iudicavit. Induxit enim eundem The-seum Anaxagorae disciplinam admirantem seque ad illa praecepta vitam instituisse profitentem. Tum reipublicae formam atque administrationem eam potissimum, cuius Pericles auctor fuit, commendavit. Neque invicem Periclem insoles, qua Euripides pollebat, fugere potuit; quin etiam adiutum hunc ab illo auctumque esse suspicor, ut, quum Sophocles praesidio uteretur Cimonis, ipse opera et commendatione Periclis choros et facultatem docendarum fabularum adolescens impetraret. Quod inde colligo, quod eodem fere tempore Pericles gubernacula civitatis capessivit et Euripides fabulas docere coepit: nam Olympiadis LXXVIII. anno fere tertio Rhesi fabulam actam esse ex satis certis indiciis conieci; ineunte autem eadem Olympiade civitati praeesse coepit Pericles. Quae deinceps per quadraginta annos, quibus principatum tenuit, gessit vir omni laude virtutis florens, haec qua ratione, vel antequam fierent, commendaverit vel facta memoraverit Euripides, deperditis plerisque illius aetatis fabulis, ignoramus. Bellum quidem contra Peloponnesios ut susciperetur, magno studio suasit fabulam Heraclidarum docendo. Defuncti autem Periclis memoriam in Hippolyti et Ionis fabulis prosecutus est.

De Cleontis ingenio idem Euripides quod Thucydides sensisse videtur, siquidem Ulysses ille, qui inducitur in Hecubae fabula tum atrocissima suadens, tum multitudinis gratiam neglecta humanitate atque probitate venans, tum beneficiorum acceptorum immemor, illius similitudinem dictis factisque referre videtur. Ceterum magni ingenii documentum est, quod comoediae persona Cleontis materiam praebere potuit, neque immerito contra Aristophanis iniquitatem causam eius Droysenius defendisse videtur.

De Alcibiadis Euripidisque amicitia in Supplicum fabula explicavimus. Alteram de eadem materia disserendi

opportunitatem tetralogia, cui Troadum fabula infuit, obfert, quam priusquam aggrediamur, temporum ratio et caussa prius ostendenda est.

„Olympiade nonagesima prima, qua Exaenetus Agri-
gentinus stadio vicit, contenderunt inter se Xenocles atque
Euripides, et primus quidem fuit Xenocles, quisquis ille
est, Oedipode, Lycaone, Bacchis atque Athamante saty-
rico, secundus Euripides Alexandro, Palamede,
Troadibus et Sisypho satyrico. Id vero nonne
ridiculum, inferiorem Euripidem, Xenoclem superiorem
discessisse, praesertim eiusmodi fabulis? Alterutrum igi-
tur necessarium est, aut insipidos fuisse arbitros certami-
nis imperitosque et a recto iudicio alienos, aut pecunia
corruptos. Ineptum autem utrumque est minimeque dignum
Atheniensibus.” Verba sunt Aeliani II, 8. ignotum ali-
quem auctorem secuti, quae confirmantur scholiis duo-
bus ad Aristophanem scriptis, Vesp. 1317, et Av. 834.,
quorum altero Troades septem annis post Vespas, altero
Palamedem paullo ante (*οὐ πρὸ πολλοῦ*) Aves editas esse
docemur. Atqui Vespas constat Ol. 89, 2. sive a. Chr. n.
anno 422., Aves autem Ol. 91, 2. sive a. Chr. 414. archonte
Chabria in scenam esse delatas. Unde efficitur, ut Euri-
pidis didascalia anno a. Chr. n. 415., i. e. Ol. 91, 1. ar-
chonte Aristomnesto cum vulgo communicata sit*). Er-
rore calculi Schoell. T. I. p. 39. et 70. atque Welcker. p. 442.
anno secundo Olympiadis nonagesimae primae commissas
has fabulas esse decreverunt**), quo errore ille inductus
est, ut quasdam res in Troadibus respici crederet, quae
quo tempore haec fabula edita est nondum erant gestae.
Quum autem tribus anni temporibus ludi scenici fieri so-
lerent, Decembri, Ianuario et Martio, quorum mensium
primo Dionysia minora sive agrestia in Piraeo, altero

*) Cf. Zirndorferum de chronol. fab. Eurip. p. 70.

**) Hos secutus est Planck. in libro de Troica Eur. didasc. scripto
p. 415. Refutavit Vater in censura librorum Schoelli,
Welck. et Bodii p. 10., recte discernens primum Olympia-
dis annum significari, quotiescunque non addito anno victo-
res Olympiorum nominarentur.

Lenaea, tertio Dionysia magna celebrabantur, horum temporum extremum vel ideo deligendum esse videtur, ne maius, quam necesse est, spatium inter Palamedem atque Aves editas interponatur. Avium enim fabula et ipsa Dionysiis magnis sive mense Martio anni 414. in scenam delata est, ut, si minimum, integrum annum inter utrumque spectaculum intercessisse appareat.

Quum de occupanda Sicilia pridem Athenienses cogitassent atque anno 427. etiam classem, quae Leontinos contra Syracusanos adiuveret, eo misissent, cui infecta re redeundum fuit, eo anno, quo fabulae Euripidis, quas diximus, in certamen commissae sunt, oblata opportunitas est conata repetendi. Egestanis enim contra Doricas civitates auxilia petentibus, Athenienses legatis missis rerum statum explorare decreverunt, quibus vere anni 415. reversis neque solum optata omnia nuntiantibus, sed etiam sexaginta talenta secum afferentibus, statim concione populi habita bellum decretum est. Itaque tribus mensibus interpositis classis amplissima et splendidissima omnium, quae unquam unius Graecae civitatis viribus instructae erant, audacissimo conatu, maxima spe imperii proferendi, in remotissimam terram Siciliam sub trium imperatorum auspiciis missa est. Quod, nisi tempore eo, quo diximus, tragoedias Euripidis in theatro actas esse aliunde constaret, posset de Troadibus ex Euripidis ipsius verbis demonstrari. In ea enim fabula feminae captivae percensentes terras, in quas se abductum iri a victoribus arbitrantur, postquam exoptatam sibi Atticam dixerunt ac Thessaliam esse, detestabilem Spartam videri, statim post Atticam summis laudibus Siciliam cum vicina Italia, in qua erat Atheniensium colonia Thurium apud flumen Crathidem condita, extollunt:

*καὶ τὰν Αἰτναίαν Ἠφαίστου
Φοινίκας ἀντήρη χάρα,
Σικελῶν ὄρεων ματέρ', ἀκούω
κηρύσσεσθαι στεφάνοις ἀρετᾶς,
τὰν τ' ἀγχιστεύουσαν γᾶν
Ἴονίῳ ναύταις πόντω,
ἀν ὑγραίνει καλλιστεύων
ὁ ξανθὴν χαίταν πυρσαίνων*

*Κροῆδις, ξαθέαις παραῖσι τρέφων
εὐανδρόν τ' ὀλβίζων γᾶν.*

Huius commemorationis caussa plane nulla feminis Troianis, Euripidi vero satis gravis fuit. Eo ipso enim tempore, quo ludi scenici parabantur, legati a Sicilia redierunt et sub ipsum ludorum tempus bellum decretum est, quo bello non solum Siciliam, sed Italiam quoque et Carthaginem brevi se in potestatem suam redacturos, deinde auctos illarum terrarum copiis Peloponnesum denuo aggressuros, denique totius Graeciae imperio potituros sperabant Athenienses.

A. Alexandrus sive Alexandra.

In huius tragoediae compositionem diligentius, quam in reliquarum, inquisivit Welckerus p. 462 seqq., cuius inventa pleraque cupidius quam verius reprehendit Vatter l. l. Argumentum autem fabulae Hyginus c. 91. retulit. Praeter huius narrationem et reliquias operis Euripidei opitulatur nobis etiam imitationis, quam Ennius scripsit*), quaedam fragmenta; accedit imitatio Ovidii Heroid. XVI. et narrationes Daretis Phrygis c. 7. Dictyisque Cretensis III, 26. eandem famam secutorum.

Venerem ad res agendas ab Euripide adhiberi plane mihi necessarium fuisse videtur. Cui deae cum curandum esset, ut Helenam Alexandrus uxorem acciperet, neque id fieri posset, quoad ille humilis inter pastores degeret, ante omnia curandum fuit, ut parentibus suis redditus et in eum locum, quo natus erat, restitutus regalibus opibus ad invasionem in Graeciam faciendam instrueretur. Eam igitur deam rerum, quae hoc dramate continebantur, omnium auctricem atque effectricem fuisse putandum est. Cuius consilia et machinationes nullo dramatis loco aptius, quam prooemio, aperiri potuerunt, unde hanc praefatam esse quae theatro explicanda fuerunt suspicor. Cuius praefationis

*) Varro L. L. VII, 82: „Imitari dum voluit Euripidem” etc.

manifestum exstat fragmentum ex Eanii versione a Cicero (Divin. I, 21.) depromptum*), quod priusquam afferam, transscribenda esse videntur Hygini verba eadem explanantis: „Priamus, Laomedontis filius, quum complures liberos haberet ex concubitu Hecubae, Cissei sive Dymantis filiae, uxor eius praegnans in quiete vidit se facem parere, ex qua serpentes plurimos exisse. Id visum omnibus coniecto-ribus quum narratum esset, impetrant, quicquid pareret necaret, ne id patriae exitio foret.”

„Quia mater gravida parere se ardentem facem

Visa est in somnis Hecuba: quo facto pater

*Rex ipse Priamus, somnio mentem**) metu*

Perculsus, curis sumptus suspirantibus,

Exsacrificabat hostiis balantibus.

Tum coniectorem postulat, pacem petens,

Ut se edoceret obsecrans Apollinem,

Quo sese vertant tantae sortes somnium.

Ibi ex oraculo voce divina edidit

Apollo: puerum, primus Priamo qui foret

Postilla natus, temperaret tollere:

Eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.”

Cum his componenda sunt verba Ovidii Heroid. XVI, 43., qui et ipse Euripidem secutus est, cum Tzetzis Antehom. 40—48. et Dictye Cret. III, 26. Reliqua sic refert Hyginus: „Postquam Hecuba peperit Alexandrum, datur interficiendus. Quem satellites misericordia exposuerunt. Eum pastores pro suo filio repertum expositum educarunt, eumque Parim nominaverunt.” Seni cuidam mandatum esse, ut infantem necaret, sed eum vitae eius percipisse, Euripides ipse in Troad. v. 914. dicit:

πρῶτον μὲν ἀρχὰς ἔτεκεν ἥδε τῶν κακῶν

Πάρην τεκοῦσα· δεύτερον δ' ἀπόλεσεν

Τροίαν τε καὶ ὁ πρὸς βυς, οὐ κτανὼν βρέφος,

δαλοῦ πικρὸν μίμημ', Ἀλέξανδρον ποτε.

Congruentia cum his, quae ostendimus, in Iphig. Aul.

*) Non retulisset hoc fragmentum ad Hecubam Welckerus, si hanc atque Euripidis Hecubam eandem fuisse meminisset.

**) Vulgo *mentis*.

1275 seqq. (meae edit.) commemorantur*). Nomen Paridi a pera impositum esse, in qua positus sit, scholiasta ad Androm. v. 294., Euripidem; puto, secutus**), refert. Huius pastoris armenta significari fragm. inc. 23. videntur: „Ipsius ad armenta.” Deinceps commemorandum iudicium fuit de tribus deabus factum, quod pluribus locis Euripides celebravit, velut Androm. 274 seqq., Iphig. Aul. 1288 seqq. et 566 seqq., eleganterque etiam Ovidius exornavit. Quo iudicio quod Venus promisit, se formosissimam ei pastori feminam in matrimonium daturam, id iam se ait effecturam esse, quum antea in domum paternam eum restituerit. Cuius rei causa se hodie ludis funebribus, quos in memoriam interfecti infantis anniversarios Priamus instituerit, Paridi victoriam daturam: quae res quo sit insignior, Cupidinem de caelo volantem coronam lemniscis ornatam victori imponere iubet:

„*Volans de caelo cum corona et taeniis***).*”

His expositis, reginam ex aedibus regiis prodeuntem videns extemplo abit. Hecubam e domo prodeuntem sequitur chorus virginum†) naenias defuncto cantantium. Ipsa autem regina, ludis funebribus memoriam dulcissimi infantis ad necem dati renovantibus, vehementiore, quam aequum est, dolore illum, quem putat extinctum, prose-

*) Pluribus locis discrepant quae Apollodorus III, 12, 5. et paene iisdem verbis Schol. ad Lycophr. v. 139. referunt, qui nomen eius, qui exposuerit, Archelaum fuisse dicunt, idem tribuentes pastori, qui educavit; nec non ab ursa infantem per quinque dies nutritum esse affirmant. De ursa etiam Aelianus V. H. XII, 42. Ab Hecuba ipsa clam infantem pastoribus alendum esse traditum auctor est Dictys Cret. III, 26., quocum consentit schol. ad Androm. 294: ἡ δὲ ἐξέθικεν αὐτό, μὴ τολμῶσα φονεῦσαι. Hi omnes Sophoclem secuti esse videntur.

**) καὶ τοῦτο λαβὼν ποιμὴν ἐν τῇ πήρᾳ τέθεικεν, ὅπως διατρέφοι. Διὸ καὶ Πάρις ὀνομάσθη ὁ ἐν τῇ πήρᾳ τραφεῖς.

***) Cf. de usu taeniarum Welck. p. 467. not. et p. 1582.

†) Intelligitur hoc ex fragm., quod est apud Cic. Div. I, 31, 66., ubi Cassandra „virgines aequales” alloquitur.

quirit. Itaque lamentantem alternis versibus chorus consolatur. Querelarum quidem fragmentum hoc est:

ἄρρητος Κόρη,

consolationum autem hoc:

πάντων τὸ θανεῖν· τὸ δὲ κοινὸν ἄχος
μετρίως ἀλγεῖν σοφία μελετᾷ.

Finita parodo Priamus prodit, nuntium a ludis red-
euntem exspectans*):

„Iamdudum ab ludis animus atque aures
avent,

Avide exspectantes nuntium.”

Uxorem luctibus deditam videns consolatur: pristinum enim
malum non esse recentibus lacrimis deplorandum:

παλαιὰ καινοῖς δακρύοις οὐ χροὴ στένειν.

Commemorante regina illum infantium omnium, quos ipsa
peperisset, et formosissimum fuisse et robustissimum mi-
nimeque dignum, quod feris proiectum crudelissima morte
interiret**),

οἶδ', inquit, ἀλλὰ κάμπτειν τῷ χρόνῳ λύπας χρεῶν.

Cui Hecuba:

χροὴ· τοῦτο δ' εἰπεῖν ὄξον ἢ φέρειν κακὰ.

Tum rursus Priamus mortalium neminem ab omni parte
felicem esse monet:

ὥςτ' οὔτις ἀνδρῶν εἰς ἅπαντ' εὐδαιμονεῖ.

Prodit deinde nuntius de Paridis tauro, qui ex armentis
regiis, ut esset praemium victoris, deligebatur, deque Pa-
ride ipso illa exponens, quae Hyginus refert hisce verbis:
„Is (Paris) cum ad puberem aetatem pervenisset, habuit
taurum in deliciis. Quo cum satellites missi a Priamo,
ut taurum aliquis adduceret, venissent, qui in athlo fune-
bri, quod ei fiebat, poneretur, coeperunt Paridis taurum

*) Avis simulacrum in regis sceptro fuisse Aristoph. Av. 512.
significat:

ὁπότ' ἐξέλθοι Πριάμος τις ἔχων ὄρνιν ἐν τοῖσι τραγηδοῖς.

**) Cf. Iphig. Aul. 1275:

νιφόβολον Φρυγῶν νάπος Ἰδαιετ'
ὄρεα, Πριάμος ὅθι ποτὲ βρέφος ἀπαλὸν ἔβαλε,
ματρὸς ἀποπρὸ νοσφίσας
μὸρφ θανατόεντι.

abducere. Qui persecutus est eos et inquisivit, quo eum ducerent. Illi indicant se eum ad Priamum adducere (ei), qui vicisset ludis funebribus Alexandri. Ille, amore incensus tauri sui, descendit in certamen et omnia vicit, fratres quoque suos superavit." Quae explentur hisce Apollodori: γενόμενος δὲ νεανίσκος καὶ πολλῶν διαφόρων κάλλι τε καὶ ῥώμη, αἰθῆς Ἀλέξανδρος προσωνομάσθη, ληστὰς ἀμυνόμενος καὶ τοῖς ποιμνίοις ἀλεξήσας, ὅπερ ἐστὶ βοηθήσας. Eademque confirmantur ab Ovidio l. l. v. 357:

„Paene puer caesis abducta armenta recepi
Hostibus, et caussam nominis inde tuli;
Paene puer vario iuvenes certamine vici,
In quibus Ilioneus Deiphobusque fuit.”

Fragmenta autem huius narrationis nulla Euripidis, sed pauca Ennii exstant:

„Quapropter Parim pastores nunc Alexandrum vocant*)."

Deiphobi verba de tauro cum Alexandro altercantis haec sunt:

„Hominem appellat: quid lascivis, stolidide? non intelligis —?"

Singulorum, qui in certamen descenderant, nomina, genus et virtutes cum praedicasset nuntius, haec addidit:

„Multi alii adventant, paupertas quorum obscurat nomina.”

Tum certaminibus ipsis, quibus omnibus vicerat Alexander, descriptis, his verbis narrationem nuntius concludit:

ὄθεν δὲ νικᾶν χρῆν σε, δυστυχεῖς, ἀναξ,
ὄθεν δὲ σ' οὐ χρῆν, εὐτυχεῖς· δούλοισι γὰρ
τοῖς σοῖσι νικᾶς, τοῖς δ' ἐλευθέροισιν οὐ.

Prodit deinde Paris pastorum caterva, quorum dux est, quasi altero choro, stipatus, qui et praemia victoriae amplissima adducunt**) et laudes victoris carmine extol-

*) Cf. Troad. 934:

ὁ τῆςδ' ἀλάστωρ, εἴτ' Ἀλέξανδρον θέλει
ὀνόματι προσφωνεῖν νιν εἴτε καὶ Πάριν.

**) Aristoph. Av. 1104: ὥστε κρείττω δῶρα πολλὰ τῶν Ἀλεξάνδρον λαβεῖν.

lunt*). Cuius adspectu miro modo et Hecuba et Priamus afficiuntur. Usu venit illud, quod apud Ovidium v. 51. de se Paris praedicat:

„*Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,
Indicium tectae nobilitatis erant.*”

Lineamenta igitur et similitudinem gentis Priamidarum rex in bubulco agnoscens haec dicit admirans:

ὡς Πριαμίδῃσιν ἐμφερῆς ὁ βονκόλος**).

Admirationem fortitudinis cum pulcritudine tenerrimae aetatis consociatae innuit Ennii fragmentum primum, si modo catamidio puerum Ganymedi similem significare potuerit:

„*Catamidio purus putus.*”

Qua fit admiratione, ut Priamus, oblitus fortunam stirpemque adolescentis, neglecta filiorum suorum contumelia atque pudore, pastoris filium tanquam ingenuum amplectatur.

His actis rursus cantus interponi chori potuit. Interim filii Priami, duce Deiphobo, a certamine redeunt propter dedecus, quod a servo victi essent, et afflicti et victori infensi. Deiphobi haec sunt verba victorem triumphantem conspicientis:

„*Habet is coronam vitulans victoria***).*”

Augetur eius indignatio, quod Priami praesidio servum tutum esse videt. Quo se interponente, accusatio instituitur, defendente Deiphobo notum illud, virtutem non disciplina parari, sed natura ingenerari: necesse igitur esse servos continentia et moderatione omnique honestate carere: quamobrem ali atque tolerari eorum quemquam, qui dominis se praeferat, utile esse negat, Spartanorum manifesto profitens sententiam. Semper enim servos a ser-

*) Schol. Hippol. 67: ἕτεροι δὲ εἶσι τοῦ χοροῦ, καθάπερ ἐν τῇ Ἀλεξάνδρῳ (sive τῷ Ἀλεξάνδρῳ) ποιμένες· ἐνταῦθα (scilicet in Hippolyto) μὲν οὖν οὐ δύναται προαποχρήσασθαι τοῖς ἀπὸ τοῦ χοροῦ, ἐκεῖ δὲ (in Alexandro) συνεστῶτος τοῦ χοροῦ ἐπεισάγει τοῦτο τὸ ἄθροισμα.

***) Sext. Empir. adv. logic. VIII. p. 471. Diog. Laert. VII, 67.

***) Fragm. inc. Ennii n. 42.

vorum partibus contra dominos stare, neque posse unquam ad horum utilitatem bona sua conferre affirmat:

δούλους γὰρ οὐ
καλὸν πεπᾶσθαι κρείσσονας τῶν δεσποτῶν

δούλων ὅσοι φιλοῦσι δεσποτῶν γένος,
πρὸς τῶν ὁμοίων πόλεμον αἴρονται μέγαν.

ἐκ τῶν ὁμοίων οἱ κακοὶ γαμοῦσ' αἰεὶ

ἀκόλαστα πάντα γίγνεται δούλων τέκνα.

οὐ γὰρ τις οὕτω παιῖδας εὖ παιδεύεται,
ὥστ' ἐκ πονηρῶν μὴ οὐ κακοὺς πεφυκέναι*).

ἤλεγχον· οὕτω γὰρ κακὸν δοῦλον γένος·
γαστήρ ἅπαντα, τοῦπίσω δ' οὐδὲν σκοπεῖ.

σοφὸς μὲν οὖν εἶ, Πρίαμ', ὅμως δέ σοι λέγω·
δούλου φρονοῦντος μᾶλλον ἢ φρονεῖν χρεῶν
οὐκ ἔστιν ἄχθος μείζον οὐδὲ δώμασιν
κτῆσις κακίων οὐδ' ἀνωφελεστέρα.

Contra haec confidenti oratione se defendit Alexandrus: nobilitatem non opibus, sed virtute terminari, et fere divites ignavos esse, egenos autem, quod pericula et labores adire necessitate cogantur, fortes se ac strenuos praestare; denique neminem pro servo habendum esse, qui mortem contemnat:

Ἄναξ, διαβολαὶ δεινὸν ἀνθρώποις κακόν,
ἀγλωσσία δὲ πολλάκις ληφθεὶς ἀνήρ,
δίκαια λέξας, ἧσσον εὐγλώσσου φέρει·

ἄδικον ὁ πλοῦτος, πολλὰ δ' οὐκ ὀρθῶς ποιεῖ.

κακὸν τι παίδευμ' ἦν ἄρ' εἰς εὐανδρίαν

*) Fragm. inc. 130. et 63. Cf. Welck. p. 470.

ὁ πλοῦτος ἀνθρώποισιν αἶ τ' ἄγαν τρυφαί,
 πενία δὲ δύστηνον μὲν, ἀλλ' ὅμως τρέφει
 μοχθοῦντ' ἀμείνω τέκνα καὶ δραστήρια

ὃ παγκάκιστοι καὶ τὸ δοῦλον οὐ λόγῳ
 ἔχοντες, ἀλλὰ τῇ τύχῃ κεκτημένοι.

τίς δ' ἔστι δοῦλος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὢν;*)

Habuit igitur haec caussae actio hunc eventum, ut Alexander in domum a Priamo reciperetur, sperante, illum animo non minus quam corpore probatum iri:

χρόνος δὲ δείξει σ', ὃ τεκμηρίῳ μαθῶν
 ἢ χρηστὸν ὄντα γνώσομαι σέ γ' ἢ κακόν.

Quibus dictis quum rex Alexandrum intro secum abduxisset, interpositum est carmen illud, quo veram nobilitatem chorus non tam in natalium splendore, quam in virtute positam esse docuit:

στρ. α'.

περισσόμυθος ὁ λόγος, εὐγένειαν εἰ
 βρότειον εὐλογήσομεν· τὸ γὰρ πάλαι
 καὶ πρῶτον, ὅτ' ἐγενόμεθα, διὰ δ' ἔκρινεν
 ἃ τεκοῦσα γὰ βροτούς, ὁμοίαν
 χθῶν ἅπασιν ἐξεπαίδευσεν
 ὄψιν, ἴδιον οὐδὲν ἔχομεν,
 μία δὲ γονὰ τό τ' εὐγενές
 καὶ τὸ δυσγενές· νόμῳ δὲ γαῦρον
 αὐτὸ κραίνει χρόνος.

ἀντιστρ. α'.

τὸ φρόνιμον εὐγένεια καὶ τὸ συνετὸν ὃ
 θεὸς δίδωσιν, οὐχ ὁ πλοῦτος — —
 οὐκ ἔστιν ἐν κακοῖσιν εὐγένεια,
 παρ' ἀγαθοῖσι δ' — — — ἀνδρῶν κτλ. **).

*) Fragm. inc. trag. 116.

**) Erravit sine dubio Welckerus, his verbis putans virtutem ab iis, qui ignobili essent loco nati, abiudicari. Contrarium enim dicit poeta. Quod idem vir doctus duos choros inter se certare et contrarias sententias defendere arbitratus est,

dem personas huic dramatis actioni interfuisse, quot illis imaginibus repraesentantur, credas. Nam abesse ab hac scena regem et reginam vel propter actorum numerum definitum necesse fuit. Et absunt illi a picturis vasorum, quae in Museo Etrusc. tab. 18. et 19. sunt redditae, ubi genis intercedentibus Alexandrus, altera manu gladium tollens, altera verbenas tenens, a fratribus defenditur. Adstat autem paedagogus, qui Alexandrum sustulit: quo e turba prodeunte et allatis crepundiis vaticinium Cassandrae confirmante, parentes illius ad accipiendum nuntium ex aedibus provocatos esse putandum est. De qua re cf. Ovid. v. 89:

„*Interea, credo, versis ad prospera fatis,
Regius agnoscor per rata signa puer.*”

et Servium Aen. V, 370: „Secundum vero Troica Neronis adeo fuit fortis, ut in Troiae agonali certamine superaret omnes, etiam ipsum Hectorem: qui cum iratus in eum stringeret gladium, dixit se esse germanum et allatis crepundiis probavit qui sub habitu rustici adhuc latebat.” Cf. Welck. p. 464. Aderat igitur in pastorum, qui Paridem comitati erant, caterva is, qui hunc servatum educaverat, et cogente necessitate veritatem regi et reginae aperire decrevit.

Chori verba haec esse puto, de recepto filio Hecubae gratulantis:

Ἐκάβη, τὸ θεῖον ὡς ἀελπτον ἔρχεται
δηνητοῖσιν, ἔλκει δ' οὔποτ' ἐκ ταύτου τύχας.

Hac facta rerum conversione parentes laetitia adeo exsultarunt, ut festa Priamus cum cantibus et sacrificiis statim per totam urbem celebrari iuberet; cf. Ovid. v. 91:

„*Laeta domus nato per tempora longa recepto;
Addit et ad festos hunc quoque Troia diem.*”

Adde Tzetz. Antehom. 78 — 85.

Tum sine mora Alexandrus iudicium a se de tribus deabus factum et insignem patriae gloriam fatis destinatam ostendens iussit classe parata cives in Graeciam ad petendam Helenam se duce proficisci; cf. Ovid. v. 54 — 88., cum quo consentit Dares Phryx c. 7: „Alexander cohortari coepit, ut classis praeparetur et in Graeciam mittatur: se

rei principem fore, si pater vellet; in deorum benignitate se confidere victis hostibus inde laude adepta de Graecia in patriam rediturum esse. Nam sibi in Ida silva Mercurium adduxisse Iunonem, Venerem et Minervam, ut inter eas de specie iudicaret etc. Unde sperare debere Priamum, Venerem adiutricem Alexandro futuram." Quibus auditis admirabili animorum ardore ad exstruendas naves parandamque expeditionem populus fertur:

„Troia caeduntur Phrygia pineta securi,
Quaeque erat aequoreis utilis arbor aquis etc.”

Frustra igitur et pater et mater consilio obsistunt:

„Et pater et genitrix inhihent mea vota rogando,
Propositumque pia voce morantur iter.”

Vincuntur igitur popularium furore coeco impetu ad perniciem ruente. Nam Deiphobo quoque, si credimus Dareti Phrygi, placuit, ut classis in Graeciam mitteretur.

Chorum hoc loco interponi necesse fuit, quo et instructio ornatique classis et profectio cursusque Paridis, Venere ducente, et exspectatio Troianorum coloribus quam maxime vividis depingeretur. Interea quum ea ipsa, quae hoc carmine chorus persequabatur, effecta et necessaria omnia prospecta essent, redierunt in scenam ad profectionem parati pastores, agricolae, oppidani et quicumque Paridis ductu auspiciisque gloriam et praedam ex Graecia petituri erant. Civitate in sacris faciundis, in festis celebrandis, in supplicationibus habendis occupata, Cassandra furibunda per vias vagans diris ominibus, tristi vaticinatione, bellum, incendium patriae, interneccionem civium, parentum, fratrum et quicquid in tertio dramate effectum ostenditur praedicens, communem laetitiam interpellavit. Cf. Ovid. v. 119 seqq. *):

„Et soror effusis, ut erat, Cassandra capillis,
Cum vellent nostrae iam dare vela rates,

*) Helenum in Cassandrae locum substituit Dares: „Helenus vaticinari coepit Graios venturos Ilium eversuros, parentes et fratres hostili manu interituros, si Alexander sibi uxorem de Graecia adduxisset.”

Quo tuis? exclamat: referes incendia tecum;

Quanta per has, nescis, flamma petatur aquas."

Adventus virginis furibundae his verbis significatur:

ἀλλ' ἄγχυμος γὰρ ἦδε Φοιβεία γυνή*).

Vicem dei, qui per machinam demitteretur, Cassandra explevit: cuius vaticinationis plures reliquiae non solum Graeci, sed Romani quoque carminis servatae sunt:

*„Sancte Apollo, qui umbilicum certum
terrarum obsides,*

*Unde superstitiosa primum saeva evasit
vox fera."*

ἀλλ' ὦ φίλιπποι Τρωῆες

*„Adest, adest fax obvoluta sanguine at-
que incendio;*

*Multos annos latuit: cives, ferte opem
et restinguite!"*

„Iamque mari magno classis cita

Texitur: exitium examen rapit:

Advenit, et fera velivolantibus

*Navibus complevit manus littora**).*

„Eheu videte, iudicavit inclutum

Iudicium inter deas tris aliquis,

Quo iudicio Lacedaemonia

*Mulier, furiarum una, adveniet***).*

„O lux Troiae, germane Hector, quid ita

Corpore miser, aut quite sic respectan-

tibus tractavere

Nobis?"

*) Fragm. inc. trag. 246.

**) Cic. Div. II, 55, 112. I, 31, 67.

***) Cic. Div. I, 50, 114.

„*Nam maximo saltu superabit gravidus
armatis equus,*

Qui suo partu ardua perdat Pergama.”

Ad Hecubae vitae finem pertinet versus hic:

Ἐκάτης ἄγαλμα φωσφόρου κύων ἔση*).

Quem imitatus est Aristoph. fragm. inc. 82. Bergk. p. 307:

— καὶ κύων ἀκράχολος

Ἐκάτης ἄγαλμα φωσφόρου γενήσομαι.

Haec audiens populus spernit nec fidem habet furibundae: quod animadvertens illa sic conqueritur:

ἄκραντα γὰρ μ' ἔθηκε θεσπίζειν θεός,
καὶ πρὸς παθόντων κἂν κακοῖσι κειμένων
σοφὴ κέκλημαι, πρὶν παθεῖν δὲ μαινομαι.

„*Praesagibat animus frustra me ire,
quum exirem domo.*”

Ζεὺς γὰρ κακὸν μὲν Τρωσί, πῆμα δ' Ἑλλάδι
θέλων γενέσθαι ταῦτ' ἐβούλευσεν πατήρ**).

Postremo mater se interponit et comiter castigando benigneque monente ad sanam mentem filiam revocat***):

HECUBA.

„*Sed quid oculis rabere visa es dere-
pente ardentibus?*

*Ubi illa paullo ante sapiens, virginali
modestia?*”

CASSANDRA.

„*Mater, optimatum multo mulier melior
mulierum,*

*Missa sum superstitiosis hariolatio-
nibus,*

*Meque Apollo fatis fandis dementem in-
vitam ciet.*

*Virgines aequales†), patris mei meum
factum pudet,*

*) Fragm. inc. 126. Cf. Welck.

**) Fragm. inc. trag. 100. Cf. Welck. p. 475.

***) Cf. Troad. v. 170. et 350.

†) Chori virgines dici manifestum est.

*Optumi viri: mea mater, tui me miseret,
mei piget.*

*Optumam progeniem Priamo peperisti
extra me; hoc dolet,*

*Med obesse, illos prodesse, me obstare,
illos obsequi."*

Haec afferens Cicero Divin. I, 31, 67. „O poema tenerum et moratum et molle!" dicit.

Itaque cum Cassandra ipsa irrita esse vaticinia professsa esset, urgentibus Alexandri fratribus, ancorae sublatae sunt*).

Idem argumentum a Sophocle illustratum fuisse ex quibusdam fragmentis cognoscitur**), cuius opus gloria fabulae Euripideae obscuratum est. Multis enim virtutibus huius tragoediam insignem fuisse facile etiam ex reliquiis intelligitur. In principio dramatis pro mortuo lugetur is, qui summa corporis formositate et robore viget; cui, quasi defuncto, ludi funebres celebrantur, is non solum vivus ipse interest, sed etiam ex omnibus certaminibus superior discedit. Aptissima fuit ad tenendos spectatores persona adolescentis summa fortitudine cum mira ineuntis aetatis venustate praediti, ipsa praestantia sua odium invidiamque delenientis***), admiratione pastorum pro duce ac rege culti, alacris, audacis, nihil non sibi arrogantis, ut taurum, quem in deliciis habebat, non modo a latronibus, sed ne a regiis quidem satellitibus abduci pateretur, tum sincerissimo pulcri iudicio praediti, ut a diis ipsis arbiter formositatis delectus esset, denique eius, qui posset rempublicam, cuius civis esset, vel summis bonis

*) Dares Phr.: „Troilus, minimus natu, non minus fortis quam Hector, bellum geri suadebat, et non debere teneri metu verborum Heleni (Cassandrae). Quod omnibus placuit, classem comparari et in Graeciam proficisci."

**) Cf. Welck. T. II. p. 465. et 468.

***) Digna sunt quae in medium proferantur Dictyis verba, quamvis non accuratissime cum Euripidis fabula congruentia: „Eum iam adultum, cum res palam esset, ne hostem quidem, quamvis saevissimum, ut interficeret, pati potuisse: tantae scilicet fuisse eum pulcritudinis atque formae."

vel summis malis afficere. Huic plane contraria persona fuit Cassandrae, quae quum nil nisi utilia suaderet*), ita contemnebatur, ut se pudori parentibus, fratribus aequalibusque esse ipsa doleret. Cuius deprecatio non solum tenera, morata mollisque est, sed etiam movendo apta, cum veniam petat ea, cui gratia referenda erat, laudibus autem efferantur a parentibus ii, qui perniciem ipsis patriaeque allaturi sunt. Aemulus autem Paridis omnibus in rebus Deiphobus est, idemque illi infestissimus. Quemadmodum enim Helenae connubium defuncto demum Paride nactus est, ita reliquis quoque illius commodis hic officisse videtur.

Certaminum descriptione, quo in genere Euripides excellebat, non minus, quam iis, quae coram agebantur, theatrum delectatum esse arbitror. Praeterea quum etiam apta rerum complexio et idonea personarum occupatio et concinna mentium agitatio dramatis conveniat, ut ipso adpectu res pictarum instar tabularum delectent, hoc in genere Euripidem a nemine poetarum superatum esse, vel inde intelligitur, quod neminem frequentius pictores artificesque imitati sunt. Vix autem ulla vel concinnior rerum consociatio vel vegetior actio inveniri potest, quam quae inerat ei dramatis parti, qua Deiphobus Paridem interficere conabatur et summa rerum implicatio repente Cassandrae interventu dissolvebatur.

Non minus autem ad docendum quam ad delectandum aptum hoc drama fuisse perspicitur ex iis, quae de servorum ingenuorumque natura philosophorum ratione disputabantur. Qui hoc commodius poterat locus illustrari, quod in illis summa huius fabulae tanquam in cardine nitabatur. Neque de hoc genere quidquam verius dici potest illo: *τίς δ' ἔστι δοῦλος τοῦ θανείν ἀφροντις ὦν;* Principium enim servitutis ignavia est hominum turpium, qui facere patique indigna, quam mori malunt.

*) Propert. III, 11, 61:

*Sola Parim Phrygiae fatum componere, sola
Fallacem patriae serpere dixit equum.*

*Ille furor patriae fuit utilis, ille parenti;
Experta est veros irrita lingua deos.*

De hac didascalica universa subtili dissertatione exposuit Schoell. p. 39—124., neque solum, qua rerum sententiarumque necessitudine singulae fabulae inter se iunctae quibusque artibus ab Euripide, ne studium spectatorum langueret, prospectum fuisset, explicuit, sed etiam quomodo ad res belli domique ab Atheniensibus illo tempore gestas pertinuissent, et quam multa iis infuissent ad docendos, monendos castigandosque cives apta, ostendere studuit. Lubrica est quaestio de similitudine, qua ficta fabularum argumenta ad exprimendam imaginem eorum, quae gesta sunt, conformata sint, propterea quod fortuita a quaesitis distinguere difficile est. Quocirca caute et circumspecte in hoc arbitror genere versandum esse, atque imprimis diligenter reputandum, quid postularit fabularum natura, quid concesserit et quasi venia data admiserit. Etenim cum haec, si rerum hominumque certorum speciem et quasi vultum referant, illis accommodata esse facile sit intellectu, tum illa non posse nisi ad universam agendi rationem summamque rerum pertinere manifestum est. Hoc quoque cavendum est, ne eandem imitandi rationem tragoediae, quam comoediae, convenire putemus. Huius enim natura haec est, ut singula quaeque ex vita communi arrepta in scenam producat et quam maxime proprias rerum hominumque, quos deridendos proponit, imagines effingat: quod facere indignum est tragoedia, communia atque universalia sequente et quasi ratione ducta summam eorum, quae ex contemplatione computationeque rerum collecta sunt, cum vulgo communicante. In hoc igitur genere modum excessisse mihi Schoell. et qui eum secutus est Planck videntur et plura suspicari esse, quam liceat. Nam ne longius in comparando procedamus, Palamedis exemplo mouemur, cuius morte Socratis mortem repraesentari etiam veterum quidam minus diligentes affirmarunt, quamvis longe ante, quam Socrates damnaretur, fabulam scriptam esse constaret. Sic Deiphobi, qui fuit in Alexandri fabula, non moribus tantum, sed nomini quoque (*δεισιδαίμων* enim significat) notationem ingenii Niciae inesse posses suspicari. Sed etiam atque etiam cavendum est, ne notationem morum hominumque

eam, quae comoediam decet, ad tragoediam temere transferamus. Alexandri vero personam effingenti Euripidi quin Alcibiadis vita moresque ante oculos versati sint, vix potest dubitari. Tanta enim, quantum quidem ex deperditi dramatis reliquiis cognoscatur, scenicae personae cum eo viro, quem in deliciis populus habebat, similitudo intercesserat, ut alteram spectans de altero nemo non potuisse cogitare videatur. Et quantumvis Alcibiadi tribuerit Euripides, quamvis summi fecerit ingenium viri et corporis animique virtutes, insolentiam eiusdem et effusos sumtus, propter quos, ut imperator creatus rem familiarem reficeret, bella movere non desinebat (cf. Thucyd. VI, 15.), probare nullo modo potuisse videtur, neque sollertiam eius et praestantes ingenii dotes sic admiratus esse credendus est, ut in summum patriam discrimen illius ambitione atque licentia adduci minus intelligeret. Neque Euripidem, quum fictas res personasque de veris exprimere et imagines eorum, quae in republica gererentur, in fabulis proponere decrevisset, omittere potuisse virum, quem maximum fore rerum civitatis momentum et fati patriae arbitrum, ubi primum republicam capessivit, omnes intellexerunt. Quamobrem quis credat temere ab eo quasi inscio atque invito Paridis personam sic effictam esse, ut Alcibiadi omnibus a partibus esset simillima? Eadem enim in utroque deprenditur formae gratia, qua vel infestissimi inimici deleniantur, eadem ineunte adolescentia virium excellentia atque confidentia, eadem principatus cupido, eadem audacia atque arrogantia, eadem intemperantia et libido; tum ducem non minus Alcibiades quam Paris Venerem sibi delegerat, clypeo Amoris imagine ornato*). Utrumque cives statim, primis ingenii documentis editis, timentes, ne ipsi nimia eorum potentia opprimerentur, de medio tollere voluerunt**), quo postmodum conatu desistentes perniciem sibi pestemque patriae aluerunt. Imperium autem totius Graeciae affectare non minus Alexander quam Alcibiades putabatur; cf. Troad. 920., schol. ad v. 921. Qua impulsus cupidine ille Troianis persuasit, ut classe

*) Plutarch. Alc. c. 16.

**) Plutarch. Alc. c. 13. p. 197. Nic. 11. p. 530.

extracta ornataque amplissima, imposita populi inventute, se duce atque auspice, faventibus diis, quibus se carum esse cognovisset, ad expugnandum regnum opulentissimum, rapienda Graecorum bona abducendasque coniuges alacres proficiscerentur. Quod quum consensu non tantum suae factionis, sed inimicorum quoque probatum esset, quum praedae cupidine incensi ad societatem gloriae periculique omnes se obtulissent, iamque in eo essent, ut navibus solutis in altum veherentur, Cassandra commota divinitus mente perniciem patriae et miserrimum domus regiae interitum ex iis inceptis eventurum esse praedixit. His quis non intelligit imitationem inesse eorum, quae de expeditione Alcibiadis auctoritate in Siciliam suscepta memoriae sunt prodita? „Alcibiades Carthaginem somnians Africamque, harum accessione Italiam et Peloponnesum iam amplexus, tantum pro viatico ducebat esse Siciliam. Ac iuventutem habuit statim spe elatam, seniores vero miracula narrantes expeditionem commendabant, ut multi in palaestris exedrisque sedentes formam insulae et situm Libyae Carthaginisque describerent. Socrates autem et Meton astrologus nihil civitati boni ex ea expeditione augurabantur, ille, opinor, quod genius ille familiaris apparens eventum ei praedicebat, hic, sive ex computatione timens de futuris sive aliqua utens divinatione, insaniam simulavit et arrepta face ardente domum suam incendere instituit.” Plutarch. vit. Alc. 17. Haec autem eo ipso tempore, quo commissas has fabulas esse decrevimus, fiebant: vere enim in eunte, quum legati Segestam missi e Sicilia redissent, bellum, ut diximus, parari coeptum est.

B. P a l a m e d e s.

Huius tragoediae non multa quidem, sed insignia ac perspicua fragmenta exstant, cum iis, quae Servius ad Aen. II, 80. et imprimis Philostratus Her. X. c. 8. et 12. referunt, congruentia. Discrepantem fabulam Hyginus c. 105. memoriae prodidit. Cum Philostrato autem Tzetzes in Antehom. 265 seqq. conspirat, quod est signum ex

communi fonte, dramate, puto, Euripidis, narrationem utriusque fluxisse. Quamobrem, antequam de compositione quicquam suspicemur, vertenda esse videntur quae de caussa simultatis, quam Ulysses cum Palamede exercuerit, Philostratus exposuit: „Dissidium inter Ulyssem ac Palamedem hinc ortum est. Solis defectus in Troia factus est, et moestus erat exercitus, ad futura ostentum pertinere putans. Prodiit igitur in medium Palamedes et defectum solis explicavit, obscurari eum luna subtercurrente ac trahere caliginem: quod si qua mala, inquit, portenderentur, Troiani, puto, ea passuri sunt, qui intulerunt iniuriam, non nos, qui illatam defendimus. Decet autem orienti soli supplicare et pullum ei candidum indomitumque immolare. Haec cum Achivi, victi eius argumentis, collaudassent, progressus in medium Ulysses, quae quidem, inquit, sacrificare quidque precari vel quem oporteat, Calchas docebit: etenim divinationis sunt talia; quae autem in coelo gerantur et qui sit siderum vel ordo vel perturbatio, Iupiter novit, a quo haec distincta et inventa sunt. Tu vero, Palamedes, pauciora nugaberis, si terrestribus magis animum intenderis, quam coelestia mediteris. Cui respondens Palamedes, si, inquit, sapiens esses, Ulysses, intellexisses neminem de coelestibus prudenter posse disserere, quin multo plura de terrestribus cognosset. Te autem his deficere non miror. Aiunt enim vobis Ithacensibus neque horas esse neque tellurem. Inde Ulysses quidem discessit ira plenus, Palamedes autem, ut adversus invidentem, iam se ipsum praeparans. Accidit autem, Graecis in concionem vocatis, ut grues solito volarent more. Ibi Ulysses Palamedem adspiciens, grues, inquit, Graecis testantur se, non te, litteras invenisse: et Palamedes, ego, inquit, litteras minime inveni, verum ab ipsis inventus sum. Pridem enim in Musarum domicilio sitae huiusmodi virum desiderabant; dii autem talia per viros sapientes in lucem edunt. Neque vero litteras sibi grues vindicant, sed ordinem commendant volatu. In Libyam enim proficiscuntur, bellum parvis hominibus illaturae. Tu autem ordinis haud facile mentionem feceris propterea, quod nullum in acie ordinem servas.” Easdem discordiae causas Tzetzes

v. 306 seqq. commemorat, falsa esse testans quae de convicto Ulyssis furore traderentur. Haec autem omnia eiusmodi sunt, ut vix ab alio praeter Euripidem inveniri potuisse videantur. Anaxagorae enim et Periclis, quos viros ille admirabatur, ingenii atque eruditionis prae se ferunt imitationem. Pericles enim quondam, quum naves solvere vellet, contra hostes profecturus, timentibus militibus, quod sol repente sereno coelo obscuraretur, causa eius defectus et ratione explicata, animos militum confirmavit; cf. Plutarch. vit. Per. c. 35. p. 171.

Cogita igitur Palamedem, quum in eo esset, ut adversus hostes duceret milites, superstitioso eorum metu inhibitu esse. Finguntur enim haec eo tempore geri, quo nondum Troiam ipsam Achivi, sed loca circumiacentia, duce Achille ac Palamede, oppugnarint: de quorum conjunctione haec scripsit Philostratus: „Achilles adversus insulas maritimasque civitates ducens a Graecis petiit, ut cum Palamede bellum administraret. Pugnabat autem Palamedes quidem strenue et considerate, Achilles autem haud continenter, ira eum auferente et extra ordinem rapiente: quamobrem Palamede gaudebat una pugnante et ab impetu ipsum avocante et, quo pugnandum esset pacto, monente. Etenim magistro similis erat leonum, generosum leonem nunc placanti nunc excitanti; neque hoc declinans faciebat, sed et emittens tela et evitans et clypeum admovens et aciem insequens. Itaque quum alter altero socio gaudentes profecti essent, capiebantur civitates et egregia Palamedis facta nuntiabantur, isthmorum effossiones, flumina in urbes conversa ac derivata, portuum septa ac propugnacula.” Haec a Palamede ipso, quum populum in concionem convocatum exspectaret, theatro exposita esse arbitror; deinde catervam quandam militum pro choro prodisse ac de rerum statu deque expeditione, quae pararetur, canendo exposuisse; tum congregatis civibus acta esse inter Palamedem atque Ulysses illa, quae supra transscripsimus; dimissa concione Palamedem cum suis in expeditionem profectum, chorum illos cum faustis ominibus prosecutum esse, laudes Palamedis carmine prae-

dicantem. Possunt ad hanc, quam fingimus, actionem haec ut Palamedis dicta referri:

1) fragm. dub. 37. (cf. Valcken. Phoen. 519. p. 188.):

πάνθ' ὄγε σοφὸς νοῦς ἐξ ἀμηχάνων ἄγει

καὶ πάντα κηλεῖ, κἂν ἀπόμοτον τι ἦ*).

2) Gregor. Cyprius in Bekk. Anecd. II, 273: τίς οὐκ οἶδε τὸν Εὐριπίδην ἔστιν οἷς τῶν ποιημάτων εὐχόμενον μὴ ἐθέλειν ποτὲ ζῆν μηδὲ γενέσθαι οἱ τοῦτο συνόλωσ, ἂν μὴ καὶ λόγος παρῆ τῆ ζωῆ;

Carminis autem argumentum Tzetzes referre videtur vv. 290 seqq.: εὐρῶν πεσσὸν ἔτερεπε καὶ ἐξελάσκειν ἀνίην, ἠδὲ τε νοῦσους προὔλεγε καὶ νοῦσων ἀπερωήν, ἀλθε-σθήρια φάρμακα βρώσεις τ' ἐξερεείνων· οὔνεκα σήματα ἠδὲ τεράατα προὔλεγε πάντα, οὔνεκά τε ξύμπασι φίλος μερόπεσσι τέτυκτο, οὐδ' ἀγέρωχος ἔην ἢ ἀτάσθαλα ἔργα ἔρεξε· τοὔνεκα τὸν φιλέεσκον Ἀχαιῶν ἔθνεα πάντα.

His cantatis chorum puto, ut coram profectionem spectaret, de scena abisse: secreto enim remotis testibus agendum de insidiis fuit, quas ad perdendum Palamedem Ulysses atque Agamemnon struxerunt. Vacuefacta igitur scena et absente e castris Palamede, conveniens Agamemnon Ulyssem allocutus est hisce verbis:

Λάρτιε, πάλαι δὴ σ' ἐξερωτῆσαι θέλων,

σχολή μ' ἀπεῖργε**).

De argumento autem et ratione colloquii haec docet Philostratus: „Aegre ferens Ulysses, quod senior a iuniore in concione vinceretur, Agamemnonem contra illum incitavit, quasi ab ipso ad Achillem exercitum traduceret***). Et composuit argumenta falsa quidem, sed probabilia temere audienti, Achillem Graecorum imperium affectare et lenone ad id Palamede uti: et revertentur, inquit, paullo post, tibi quidem boves, equos ac mancipia adducentes,

*) Vulgo ἀπόμοτός τις et ὁ σοφός, quorum hoc correxit Valcken.

***) Λάρτιε pro Λάϊε de coniectura reposui.

****) Tzetz. v. 363 seqq. Dictys Cret. II, 15: „Fuerunt qui eius consilii haud expertem Agamemnonem dicerent ob amorem ducis in exercitum et quia pars maxima, regi ab eo cupiens, tradendum ei imperium palam loquebantur.”

sibi vero ipsis pecunias, quibus quidem Graecorum duces sibi adversus te conciliabunt. Et ab Achille quidem abstinere oportet eumque cavere perspectum, hunc vero sophistam occidere. Inventus autem mihi est in eum dolus, per quem et in odium Graecorum adducatur et ab iis interficiatur. Et ostendit illi, quomodo a se parata essent illa ad Phrygem et ad aurum a Phryge acceptum pertinentia. Quae quum callide excogitata esse viderentur et suffragaretur fraudi Agamemnon, Age, inquit, o rex, Achillem quidem circa civitates, in quibus nunc est, mihi custodias, Palamedem vero ad oppugnandum Ilium inveniendasque machinas huc arcessito. Nam sine Achille ubi venerit, non mihi soli facilis erit captu, sed alii quoque minus prudenti." Haec Philostratus; de dolo autem haec retulit Servius: „Adulterinam Priami nomine epistolam scripsit, in qua agebat Palamedi proditionis gratiam et commemorabat secretum auri pondus esse transmissum. Dedit captivo ferendum, eoque caeso epistola ad regem est portata, corruptisque (Palamedis) servis aurum in tentorium invexit." Paullo aliter Hyginus: „Ulysses, inquit, clam noctu solus magnum pondus auri ubi tabernaculum Palamedis fuerat obruit; item epistolam conscriptam Phrygi captivo ad Priamum dat perferendam, militemque suum priorem mittit, qui eum non longe a castris interficeret. Postero die quidam miles epistolam, quam Ulysses scripserat, super cadaver Phrygis positam, ad Agamemnonem attulit, in qua scriptum fuit: Palamedi a Priamo missa; tantumque ei auri pollicetur, quantum Ulysses in tabernaculum obruerat, si castra Agamemnonis, ut ei convenerat, proderet." Sed cum Servio consentit Tzetzes v. 368—374.

Servatur alterum huius colloquii fragmentum, ad ambitionem Palamedis et contumaciam Achillis, puto, pertinens:

*στρατηλάται τᾶν μυροῖοι γενοίμεθα,
σοφὸς δ' ἂν εἰς τις ἢ δὴ ἐν μακροῦ χρόνῳ.*

Reversi deinde milites, qui chorum constituunt, pacis desiderium cantu significant:

*οὐ σὺν Διονύσῳ
κωμῶν, ὃς ἂν ἴδαν
τέρπεται σὺν ματρὶ φίλα*

τυμπάνων λάκχοις

κώπην χρυσόκολλον*).

Interim duces, in consilium ab Agamemnone vocati, con-
venerunt. Ibi Palamedes se, quum spes fuisset Lesbi ex-
pugnandae, ex medio rerum gerendarum cursu in castra
retractum esse queritur; cf. Philostratum, cuius paeñe
singula verba cum Tzetis verbis congruunt: „Quum in
castra redissent et Palamedes de rebus gestis exposnisset,
cuncta Achilli attribuens, O rex, inquit, iubes me Per-
gama oppugnare; ego vero machinas egregias esse arbi-
tror Aeacidas et Capaneum et Tydeum et Locrenses et
Patroclum et Aiace; sin inanimatis quoque machinis opus
est, iam Troiam, quantum in me est, iacere putate.” Haec
cum Palamedes partim exprobrans partim operam suam pol-
licens dixisset, venit servus ab Ulysse subornatus et epi-
stolam illam falsam, quam diximus, in manus regis tra-
didit. Qua palam recitata, stupentibus omnibus, Palamedes
fictam fallaciam calumniamque ad se perdendum structam
esse affirmat. Ad hanc quaestionem refero fragm. incer-
tum a Chrysippo allatum (cf. Bergk. comment. de Chr.
libr. π. ἀποφ. p. 35.):

οὐκ οἶδα· τάληθές γὰρ ἀσφαλές φράσαι.

Nescire se dicit, quid in epistola scriptum sit, simulque
insidias se vereri significat.

Cuius patrociniū se suscipere simulans Ulysses spe-
cie defensionis commemorat ea, quibus suspicio confir-
metur**):

Ἀγάμεμνον, ἀνθρώποισι πᾶσιν αἱ τέχναι
μορφὴν ἔχουσι συντρέχειν εἰς χρήματα***),

*) Servavit Pollux X, 31. p. 491, 20. de gladio dictum esse ostendens.

***) Servius: „Citatus est Palamedes. Epistola in conspectu principum lecta, simulabat reo adesse Ulyxes sua-
debatque, ut aurum in tentorio situm inquireretur.” Hygi-
nus: „Itaque Palamedes cum ad regem esset productus et
factum negaret, in tabernaculum eius iverunt et aurum
effoderunt.”

****) Sic Pflugk. in Zimmerm. scientia antiq. 1840. p. 1229. emendavit.

τούτων δὲ πάντες οἷ τε μουσικῆς φίλοι
 ὅσοι τε χωρὶς ζῶσι χρημάτων ὑπερ
 μοχθοῦσιν, ὃς δ' ἂν πλεῖστ' ἔχη, σοφώτατος.

Denique, quo citius reus crimine purgaretur, monuit, ut
 recta omnes ad eius tentorium pergerent, ubi si aurum,
 quod in epistola scriptum esset, nullum repertum fuisset,
 Palamedem crimine liberatum fore. De Palamedis inte-
 gritate morum atque innocentia sic persuasum est choro,
 ut eius studium sapientiae tanquam iustitiae abstinentiae-
 que meditationem praedicare non dubitet (fragm. dub. 35.):

πότνι' ᾧ σοφία, σύ μοι ἄνδανε'
 ἄλβον δέ μοι μὴ χρυσέου φαεννὰν
 ἀκτῖνα πάρος σοφίας δαίμων διδοίη
 ἢ Διὸς τυραννίδ'· ἀνώτατα κεῖται καλὸς
 θεσσαυρός, ὅτῳ προσέβαλλε.

Auro reperto reversisque principibus iudicium agitur*).
 Confidit etiamnunc Palamedes innocentia sua, tantamque
 fore sperat veritatis iustitiaeque vim divinam, ut unus
 possit plurimorum tela effugere:

εἷς τοι δίκαιος μυρίων οὐκ ἐνδίκων
 κρατεῖ, τὸ θεῖον τὴν δίκην τε συλλαβών.

Commemoratione beneficiorum, quibus universos affecit,
 se defendit:

ἔπειτα πάσης Ἑλλάδος καὶ ξυμμάχων
 βίον διώκησ' ὄντα πρὶν πεφυρμένον
 θεησίην θ' ὅμοιον· πρῶτα μὲν τὸν πάνσοφον
 ἀριθμόν εὐρηκ' ἔξοχον σοφισμάτων**)

τὰ τῆς τε λήθης φάρμακ' ὀρθώσας μόνος
 ἄφωνα καὶ φωνοῦντα, συλλαβὰς τε θεῖς,
 ἔξεῦρον ἀνθρώποισι γράμματα' εἰδέναι,
 ὧστ' οὐ παρόντα ποντίας ὑπὲρ πλακὸς
 τάκει κατ' οἴκους πάντ' ἐπίστασθαι καλῶς,
 παισὶν τ' ἀποθνήσκοντα χρημάτων μέτρον

*) Ovid. Met. XIII, 59:

*Prodere rem Danaam finxit fictumque probavit
 Crimen et ostendit quod iam praefoderat aurum.*

**) Cf. Welck. p. 501. Adde Vater. in huius censura p. 32.

γράφαντα λείπειν, τὸν λαβόντα δ' εἰδέναι,
 ἃ δ' εἰς ἔριν πίπτουσιν ἀνθρώποις κακὰ
 δέλτος διαιρεῖ κούη ἑᾶ ψευδῆ λέγειν.

Ad anni descriptionem pertinent haecce, quae in incertis fragm. (n. 143.) ponebantur:

φίλης τ' ὀπώρας διπτύχους, ἤρός τ' ἴσους,
 ad vigiliarum denique tintinnabula fragm. 10., quod numeris reddo sic:

φυλακάς τε σὺν κώδωσι νυκτὶ περιπολεῖν*),
 quem locum Aristoph. Avib. 1158 seqq. perstrinxit. Illud quoque a Palamede commemoratum esse arbitror, quomodo pestem ab exercitu Graecorum avertisset, de qua et ipsa re Philostratus ac Tzetzes congruentia retulerunt: „Cum lupi ex Ida descendentes calonibus et iumentorum iis, quae circa tentoria erant, detrimentum inferrent, Ulysses iussit sumtis iaculis omnes in Idam adversus lupos proficisci. Tum Palamedes, Lupos, o Ulysses, inquit, Apollo indicium fecit pestis, et ipse illos haud secus atque apud nos mulos canesque sagittis interficit, mittit autem ad aegrotaturos benevolentiae caussa, ut sibi consulant. Itaque Apollini Lycio et Phyxio (i. e. fugae praesidi) supplicemus, ut feras quidem istas suis sagittis tollat, luem autem in capras convertat. Nos vero, o Graeci, nobismet ipsis prospiciamus. Opus enim est pestilentiam vitaturis frugali victu et motu corporum acriore. Quamvis enim medendi artem non attigerim, sapientia omnia comprehendit. Haec

*) Harpocratio s. v. διεκωδώνισε· ἤτοι ἀπὸ τῶν περιπολούντων σὺν κώδωσι νυκτὸς τὰς φυλακάς, Εὐριπίδης Παλαμήδει. Adde schol. Aristoph. Av. 842 seq., quem citavit Vater l. l. p. 33. Eadem, quae Euripides, Philostratus et Tzetzes Palamedi inventa tribuerunt, quorum ille: πρὸ γὰρ δὴ τοῦ Παλαμήδους ὄσσαι μὲν οὐπω ἦσαν, μηνῶν δὲ οὐπω κύκλος, ἐνιαυτὸς δὲ οὐπω ὄνομα ἦν τῷ χρόνῳ, οὐδὲ νομίσματα ἦν οὐδὲ σταθμὰ καὶ μέτρα οὐδὲ ἀριθμοί, σοφίας τε οὐπω ἔσως, ἐπεὶ μήποτε ἦν γράμματα. — ὄντων δὲ τῶν Ἀχαιῶν ἐν Ἀυλίδι, πεττοὺς εὗρεν, οὐ ῥᾶθυμον παιδιάν, ἀλλ' ἀγχιῖνον τε καὶ εἴσω σπουδῆς. Eodem respexit Plato Rep. VII. p. 522. D. Ceterum conferas quae de Palamedis inventis disseruit Otto Iahn.

locutus carnes quidem vendi vetuit et militares cibos iussit arceri, ad bellaria autem et olera silvestria deduxit exercitum obtemperantem ei et quicquid praeciperet divinum et oraculis aequale esse ducentem. Etenim pestis, quam praedixit, ex Ponto profecta, Hellesponti quidem civitates invasit et Ilium, Graecorum vero, quamvis in pestilenti telure castra posuissent, neminem attigit. Nam praeter victum corporum quoque motus sic moderavit: Centum deductis navibus vicissim exercitum impositum iussit remigantem et inter se certantem aut promontorium circumvehi aut scopulum attingere aut alicui portui vicino vel littori naves appellere. Suasit etiam Agamemnoni, ut celeris navigationis praemia iis proponeret. Itaque bonam sentientes valetudinem laeti exercebantur. Docuit enim eos corrupta terra ac pestilente suavius esse mare et ad respirandum tutius." Sic cum per totam vitam in augendis societatis humanae commodis, posthabita sua utilitate, se elaborasse ostenderet, non persuasit de innocentia sua, Ulyse re et facto verba eius refutari affirmante:

ὅστις λέγει μὲν εὖ, τὰ δ' ἔργ', ἐφ' οἷς λέγει,
αἴσχρο' ἐστὶν αὐτοῦ, τὸ σοφὸν οὐκ αἰνῶ τόδε*).

Latis igitur suffragiis condemnatus Palamedes non se, sed patriam deplorat ad augenda mala sua ingeniosam:

δεινὴ πόλις νοσοῦσ' ἀνευρίσκειν κακά**).

Agamemnoni autem praedicit fore tempus, quum ipsius interfecti illum poeniteat:

καὶ ξυμπεσόντων πραγμάτων ἄλλων ποτὲ
εὖξει τοιοῦτον ἄνδρα σοὶ παρεστάναι***).

Denique rogat, ut, priusquam ad mortem ducatur, paullulum sibi spatii ad sacra facienda concedatur:

ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ.

τί δεῖ θεοῦς σέβειν σε κατθανούμενον;

ΠΑΛΑΜΗΛΗΣ.

Ἀγάμεμνον, οὐδεὶς κάματος εὐσεβεῖν θεοῦς.

Abiens quoque lamentis abstinet, tantummodo veritatem ante

*) Cf. Schneidew. ad Orion. p. 62. Welck. P. III. p. 1584.

***) Fragm. inc. n. 38.

****) Fragm. inc. n. 89.

se extinctam atque e vita hominum sublatam esse dolet*):

καῖρ', Ἀλήθεια κυδρά, προέθανες γὰρ ἐμοῦ**).

De ceteris eius querelis Liban. pro Socrate ed. I. Morell. p. 242. docet: ἀλλ' οὐδ' ἐκεῖνος πρὸ τοῦ θανάτου σιωπᾶν ἐκελεύετο, ἀλλ' ἐξῆν αὐτῷ καὶ λέγειν καὶ γράφειν, καὶ γράφας ἐπὶ τοῦ ξύλου τοῦ ναυτικοῦ τὴν ἑαυτοῦ τύχην ἔπεμψε τῷ ἑαυτοῦ πατρὶ Ναυπλίῳ τὴν ἐπιθανάτιον ἐπιστολήν. In risum haec ab Aristophane in Thesm. 768 seqq. conversa esse notum est, quo loco scholiasta quidem ab Oeace, lugente mortuum, epistolam remis inscriptam et in mare abiectam esse affirmat (ὁ γὰρ Οἶαξ ἐγχαράττει πολλαῖς πλάταις τὰ περὶ τὸν Παλαμῆδη καὶ ἀφήγησιν εἰς θάλασσαν, ὥστε μιᾷ γέ τιμι τὸν Ναύπλιον περιπεσεῖν), cui tamen Aristophanes ipse contradicit, cum Libanio conspiciens: ὡς ἐκεῖνος τὰς πλάτας ῥίψω γράφων. Plures Euripidis versus ex Palamedis threno decerptos Aristophanis carmini inesse planum est, velut hosce:

ἄγε δὴ πινάκων ξεστῶν δέλτοι,
δέξασθε σμίλης ὀλκούς
κῆρυκας ἐμῶν μόχθων***) —
βάσκειτ', ἐπείγετε πάσας καθ' ὁδοῦς,
κείνα, ταῦτα· ταχέως χροῖ.

Tum scholiasta tanquam Euripidis affert haec:

ἀπέλθετε, σημάνατε,

quae continuo illis annectenda esse videntur. Rationem supplicii his verbis describit Philostratus: „Vinctis post terga manibus, lapidibus obrutus interiit, mittentibus Peloponnesiis atque Ithacensibus: nam reliqui Graeci ne viderunt quidem haec, sed scelus ab eo commissum esse putantes quiescebant. Crudele fuit etiam hoc, quod edictum est, ne quis Palamedem sepeliret humoque pie contereret, et supplicio affectum iri, si quis sublatum se-

*) Philostr.: οὐ γὰρ δὴ ἱκετεῦσαι Ἀγαμέμνονα οὐδὲ οἰκτρόν τι εἰπεῖν οὐδὲ ὀδύρασθαι, ἀλλ' εἰπὼν· ἔλεῶ σε, ἀλήθεια, σὺ γὰρ ἐμοῦ προαπόλωλας, ὑπέσχεε τὴν κεφαλὴν τοῖς λίθοις, οἶον ξυνοίεις, ὅτι ἡ δίκη πρὸς αὐτοὺς ἔσται. Tzetz. v. 384.

***) Cf. Welck. p. 505.

****) Testatur Suidas s. v. σμίλη, quem citavit Fritzsche p. 288.

pulturae mandasset. Haec autem Agamemnone edicente, Ajax maior, cum in mortuum incidisset, multas quidem lacrimas circa ipsum profudit, tollens vero eum denudato atque expedito gladio per multitudinem transiit." Non Ajax, sed Oeax, frater Palamedis, mortuum luxit, teste scholiasta, quem supra commemoravimus, quibuscum congruunt quae Euripides ipse in Orestis fab. v. 432 seqq. exponit. Oeax autem, id quod recte Philostratus memoriae prodidit, eo ipso momento, quo Palamedes lapidum coniectu interficiebatur, supervenit. Id enim intelligitur ex fragmento eo, quod nuper Schneidewin. (Coniect. crit. p. 108.) in Cramerii Ann. II. p. 258, 2. inventum huic tragodiae vindicavit:

τίς ἔσθ' ὁ μέλλων σκόλοπος ἢ λευμοῦ τυχεῖν;

Idem sublato interfecti corpore naenias sive *θρηνον* cecinit illum, cuius Philostratus Her. X, 12. mentionem fecit:

ἔκάνει', ἔκάνετε τὰν πάνσοφον, ᾧ Δαναοί),*

τὰν οὐδέν' ἀλγύνουσαν ἀηδόνα Μουσᾶν,

πεισθέντες ἀνδρὶ δεινῷ τε λέγειν καὶ ἀναιδεῖ.

Simul ex his non narratam esse Palamedis mortem, sed in scena exhibitam intelligitur. Cogita igitur lapidationem inter ipsum chori cantum, Palamede e conspectu abeunte, factam esse. Ceterum non potuit drama sine dei alicuius interventu finiri, nec iniuria Welckerus p. 509. per Mercurium res compositas esse suspicatus est. Huius erat et Achillis iram Achivis perniciosam**) et diuturnitatem belli et Nauplii ultionem praedicere***) simulque imperrare, ut non tantum sepeliretur in Aeolensium terra Palamedes, sed etiam divinis honoribus afficeretur atque ab universo populo lugeretur †).

*) Articulum deleri iubet Bergk. ap. Welck. p. 1585. In tertio versu voculam *τὲ* inserui.

**) Cf. Philostr. p. 688.

***) Cf. Hygin. c. 116. Eurip. Hel. 1126. Troad. 90.

†) Philostr. X, 11. Virg. Aen. II, 85: nunc cassum lumine lugent. Dares Phryg. c. 28: „Argivi Palamedis scientiam, aequitatem, bonitatem, clementiam lamentantur.” Dictys Cret. II, 15: „Igitur a cunctis Graecis, veluti publicum, funus eius crematum igni aureo vasculo sepultum est.” De sacello Palamedis cf. Ott. Jahn. p. 22. Tzetz. ad Lycophr. 384.

Palamedis res, ab Homero plane omissae, a tragicis frequentissime tractatae sunt, quorum omnium opera vicit obscuravitque Euripidei dramatis gloria. Non omnes poetae insontem finxerant Palamedem, id quod colligo ex Philostrati verbis: καὶ χρυσοῦ μὲν ἤττων ἔδοξε, προδότης δὲ εἶναι κατεψεύσθη. Hic enim, quamvis Euripidem maxime sequatur, tamen etiam aliunde petita intermiscere solet. Quidam Diomedem cum Ulyссе interitum Palamedi machinatum esse dixerant, idque in Cypriis carminibus scriptum fuisse discimus ex Pausania X, 31, 1., quam famam secutus erat tragicorum is, cuius argumentum refert scholiasta Euripidis ad Orestis v. 422., cui accedit Dictys Cret. II, 15. Neque potest dubitari, quin Sophoclem ille auctorem habuerit, a quo Nauplium productum fuisse poenam ab Achivis postulantem (τὸν φόνου παιδὸς δικάσαι) certissimo testimonio Achillis Tatii et fragmento 379. Dind. edocemur. Nam Palamedem Sophoclis et Nauplium, qui dicebatur καταπλέων, eandem fabulam fuisse mihi persuadeo.

Proprium Euripidi fuisse arbitror hoc, quod sola invidia malitiaque interitus parabatur homini innocentissimo eidemque sapientissimo. Haud magnopere hoc dramate delectatum esse populum Atheniensium, quod sui ingenii vitium tanquam in speculo repraesentatum conspiciebat, Aristophanes in Thesm. v. 848. ostendit, Euripidem, quod frigidi Palamedis eum pudeat, in conspectum proditurum esse negans:

— — — οὐκ ἔσθ' ὅπως

οὐ τὸν Παλαμήδην ψυχρὸν ὄντ' αἰσχύνεται.

Neque enim unquam aequo animo tolerant homines veritatem sic ob oculos positam, ut eam effugere falsa sibi persuadendo nequeant. Neque enim castigari se, sed decipi volunt, neque nudari vitia ac turpitudinem, sed occultari. Aemulatio vel nimium principatus studium, ubi homines se bonis artibus id, quod volunt, assequi posse desperantes ad malas se converterunt, parit fallacias, insidias, calumnias, crudelitatem omnisque generis iniustitiam, quibus vitiis tum singuli tum civitates citissime subvertuntur. Ex aemulatione natum bellum Peloponnesiacum foedam morum depravationem totiusque vitae conversionem effe-

cerat, adeo ut consuetis iam rerum vocabulis immutatis virtutum nomina vitiis imponerentur. „Temeritas enim inconsiderata pro fortitudine sui incuriosa habebatur, cunctatio providens pro speciosa timiditate, modestia pro ignavia praetexebatur. Cui insidiae succedebant, hic erat astutus atque eo astutior, si alterius insidias praevidisset. Qui in nocendo alterum praevertisset, laudabatur et qui ad hoc cohortatus esset non cogitantem.” Haec atque alia de morum depravatione commemorans Thucydides (III, 82.), „fons et caussa,” inquit, „horum omnium erat principatus per avaritiam ambitionemque quaesiti cupiditas, ex qua eadem natum est studium factionum.”

Quamobrem non est dubium, quin mores Euripides et agendi rationem descripserit popularium ambitiosorum et factiosorum, a nulla fraude abhorrentium, omnia divina et humana iura polluentium, ut quod vellet consequerentur. Atque ii ad tollendos adversarios falsis uti criminationibus solebant, ut damnatos populus interficeret quoscunque consiliis suis obstare putarent. Qua in re quo impudentiae atque audaciae hominum malitia processerit, documento est ea quae paullo post accidit Hermarum delectio et quae inde consecutae sunt innocentium civium damnationes, quae ad perdendum Alcibiadem omnia spectabant. Iidem, si quem amicorum potentia et factionibus civium innixum potentiores esse videbant, quam quem everti statim posse sperarent, antequam ipsum aggredirentur, amicos eius, quasi columina fastigii, quo ille stabat, demoliebantur, velut Anaxagoram, Phidiam, Aspasiam aliosque Periclis amicos invadentes hunc in periculum adduxerunt. Imaginem igitur expressit noster non unius facti, sed eorum, quae et antea saepius facta erant et saepius postea evenire potuerunt. Nam Anaxagoras quidem in vincula coniectus de vita decessit, Phidias autem aegre Periclis consiliis servatus est, rogatione lata a Diopithe, ut nomina deferrentur eorum, qui deos esse negarent vel de rebus aethereis docerent *). Eo ipso autem tempore, quo hanc traegediam componebat Euripides, Alcibiadis levitate et re-

*) Plutarch. Pericl. c. 31 seq. Diog. Laert. II, 9, 12 seqq.

rum divinarum contemptu indignationem multorum et suspiciones movente rursus accusationes philosophorum vel sophistarum factitatas esse probabile est. Nam et Protagorae fugam circa hoc tempus evenisse computata temporum ratione Schoell. (p. 110.) probavit, et Diagoram Melium paullo post impietatis insimulatum, quod deos esse negaret, Athenis fugisse, quo facto talentum ab Atheniensibus propositum esset ei, qui interfecisset, Diodorus (XIII, 6.) prodidit memoriae. Protagoras vero Abderites Atheniensium iussu urbe atque agro exterminatus, libris eius in concione combustis, quum nusquam tutus esset, navibus illorum omnia maria tenentibus, parvo navigio vehens undis obrutus esse traditur. Causa autem damnationis fuerunt verba in principio libri posita haecce: „De divis neque ut sint neque ut non sint habeo dicere. Multa enim sunt, quae obstent cognitioni, rei obscuritas et vitae humanae brevitatis*.” Hunc librum in Euripidis domo ab illo recitatum esse traditum est memoriae**), unde familiaritate utrumque iunctum fuisse intelligitur. Verum quamvis magna fuerit viri dignitas atque praestantia***), quamvis intima eius atque Euripidis amicitia†), tamen hunc potissimum sub Palamedis persona imaginaria latere nolo suspicari††). Satis enim gravis Euripidi talia fingendi causa fuit, quod capitis periculum quotidie amicis suis imminere sciebat. Nam Socrati quoque iisdem insimulationibus intereundum fuit, cuius mortem quodammodo mente anticipasse videtur. Eadem enim ratione Socrates, qua Palamedes, accusatus damnatusque est, eadem defensione usus, eadem animi magnitudine a lamentis abstinuit, eadem tranquillitate passus est supplicium. Frequentissime utrumque ab antiquis comparatum esse satis no-

*) Cic. N. D. I, 23. Diog. Laert. IX, 3, 51. et VII, 55. Sext. Emp. adv. Math. IX, 56.

**) Diog. Laert. IX, 5, 54.

***) Cic. l. l.: „sophistes temporibus illis vel maximus.”

†) Cf. vitam Eurip. codd. Vindob. et Ambros.

††) Refutavit Schoelli sententiam Vater in huius et Welckeri et Bodii librorum censura, Berol. 1843. p. 13.

tum est, et populus ipse Atheniensium spectans Euripidis tragoediam, cum canerentur illa:

ἐκάνει', ἐκάνετε τὰν πάνσοφον, ᾧ Δαναοί,
τὰν οὐδέν' ἀλγύνουσαν ἀηδόνα Μουσαῖν,

desiderio Socratis iniuste necati captus collacrimasse traditur*). Fuerunt etiam qui, tempus, quo primum fabula scripta est, ignorantes, hoc ipso consilio illam dicerent ab Euripide compositam esse, ut iniustissimum Socratis supplicium civibus exprobraret**). Ex quo intelligitur auctam esse huius tragoediae laudem Socratis morte, partemque admirationis, qua hic afficiebatur, ad Palamedem redundasse***). Cuius admirationis exemplum est apud Philostratum Her. p. 657. agricola ille Iliensis, qui Palamedis calamitatem deplorans frequentat locum, in quo dicebatur lapidatus esse, inferiasque obfert et quotidie finitis negotiis cum Palamede bibere sibi videtur, simul male tractans canem, cui nomen imposuit Ulyssis. Verissime autem Aristophanes Ran. 1450. Euripidem cum Palamede comparavit, quum ipse nequitia malitiaque Ulyssem superare studeret. Cuius latratibus Euripides neque vivus unquam motus neque mortuus laesus est, donec nostris temporibus exstiterunt, qui canem luscinae antepONENTES atque illi auscultantes verissimam sibi Musarum sunt vocem percipere visi. Et vehementissimo impetu canes esse furiosos in Euripidem irruere solitos ex eo intelligitur, quod canum laniatibus postremo interisse traditur. Verum enimvero nemo unquam rem novam, magnam utilemque in hominum vitam intulit, quin idem experiretur, et sanari solet domino interemto etiam canum furor, quo tempore ululatus eorum et gannitus desiderantium eum, quem ipsi laniarunt, saepe non minus acer esse, quam antea laniatus, solet.

*) Cf. Welck. p. 507. not. et Iahn. p. 10 seq. Schoell. p. 106. Argum. Isocr. Busir. p. 220. Adsentior iis, qui hoc vere evenisse statuunt, cum iterum fabula spectaretur.

***) Diogen. Laert. II, 23, 44. Auctor argum. Isocr. Busir. p. 247. Bekk. (p. 220.).

****) Vasorum quoque picturas Euripidis fabulam imitari Welckerus p. 509. not. commemoravit.

C. T r o a d e s.

Exhibetur scena tentorium Agamemnonis, ante^r quod prostrata Hecuba adstantibus custodibus (v. 464.) conspicitur; intus esse finguntur feminae captivae principibus delectae; procul urbis tecta, ex incendio fumantia, imprimis arx Pergamus, prospiciuntur. Haec quidem in sinistra ornatus scenici parte repraesentantur; in dextra autem prospectus in mare et naves Graecorum patet: a qua parte prodit postridie eam noctem, qua Ilium captum esse fingitur, Neptunus urbis suae, quam ipse munivit, sortem commiserans, et qua ratione expugnata sit exponens. Tum Graecorum quidem impietatem et crudelitatem, Troianorum autem calamitatem ostendens, fana omnia lucosque dicit sanguine fluere, et Priamum ad ipsos templi Iovis Hercei gradus trucidatum iacere; viris omnibus interfectis, resonare mulierum dominos sortientium eiulatibus Scamandrum, denique Polyxenam in sepulcro Achillis pro victima immolatam esse, Cassandram autem, virginem deo sacratam, neglecta pietate et reverentia deorum, in adulterinum concubitus ab Agamemnone duci.

His quidem in drama introducimur; at iis, quae deinceps sequuntur, nil praeparatur eorum, quae in scena aguntur, sed constituuntur ea, quae rebus peractis eventura sunt. Accedit enim ad Neptunum Minerva, plena indignationis, quod Ajax in templo suo vim Cassandreae intulerit, a nemine Achivorum reprehensus neque punitus. Quamobrem perdere eos, quos antea coluit, gaudio autem afficere eos, quibus infesta fuit, decrevit, iamque a Iove impetravit, ut tempestate, imbre et grandine Graecos perdat a Troia redeuntes; concessa ei sunt fulmina, quibus naves incendat: quae quo funestior sit tempestat, cum hoste Graecorum Neptuno iungit societatem, rogans, ut mare fluctibus miscendo obruat navigantes. Quod ille se facturum lubens promittit simulque effecturum, ut navibus ad rupes appulsis fractisque corpora mortuorum ad omnia littora eiiciantur. Sic Troiae urbis deflagrationem incendium navium Graecorum continuo subsequiturum est, ut miseriae

eorum, qui victi sunt, miseria eorum, qui vicerunt, exaequetur. „Stulti igitur sunt qui urbes hostium et delubra et sepulcra mortuorum depopulantur ipsi postmodum interituri.”

Non victae tantum civitatis, sed victoris quoque exercitus interitum hac tragoedia ostendi statim ex hoc prologo intelligitur. Et praemisit Euripides praedictionem ultionis divinae eo consilio, ut crudelia facinora alia super alia contemplantes haberemus, quo animum consolaremur, simulque effecit, ut initium Troadum fini Palamedis annecteretur: Euboeae enim angulum atque promontorium Caphareum cadaveribus repletos fore nominatim fecit praedici*).

Tandem Hecuba, quae hoc toto tempore dolore obmutuit et in solo iacuit, caput humo tollens querelas effundere incipit. „Surge, infelix, tolle humo caput: non iam haec Troia est, neque nos Troiae reges; tolera mutatam fortunam, naviga secundum fluctus, noli undis adversis proram vitae obvertere, sed naviga fortunae arbitrio.” Huic tam magnifico exordio cetera respondent, quibus amissa bona recenset anus miserrima, ac dolere caput, latera, dorsum ex volutatione perpetua et lacrimis significat. Solum enim perditorum solatium est luctus insatiabilis. O naves illae, quae quondam cum fistularum tiliarumque funesto cantu celeri cursu per mare et Graeciae portus vectae ad Troiam appulstis, Helenam, Spartae dedecus, petentes, quae quinquaginta mihi liberorum patrem interfecit et me miseram in hanc demersit calamitatem, qua iam apud Agamemnonis tentorium iaceo, serva anus ex aedibus tracta, capitis lugubri rasura dedecorata. Talibus lamentis reliquas captivas, uxores virorum interfectorum filiasque virgines, e tentorio ad communiter plorandum excitat, ipsa avis instar modos lugubres praeiens, sicut antea cum laetis carminibus deos celebraret: fumum enim ex Troiae aedificiis surgentem conspicit.

Nondum sortitione facta, in praetorio principum Tro-

*) Cf. Schoell. p. 62 seq., quem immerito reprehendunt Vater et Planck. Nam quod priva Minervae ira poena Graecis irrogatur, reliquorum scelerum poena non tollitur.

ianorum filiae uxoresque commorantur: unde prodeuntes omnes praeter Cassandram Helenamque, quarum illa moerore, haec pudore prohibetur, duobus effectis hemichoriis, partem lamentorum incisam cum Hecuba alternantes, partem in unum collectae chorum continuam peragunt. Quum Graecos iamiam naves soluturos esse videant, anxiae suspensaeque, quae cuiusque sors futura sit, expectant. Tum vitae futurae suae conditionem, qualis in hostium terris futura sit, mente anticipant, quo loco quod quasdam se terras praeoptare, alias odisse dicunt, id Atheniensium gratia fieri supra commemoravimus.

Venit famulis stipatus Talthybius, facta captivarum sortitione, Cassandram regi adducturus. A quo Hecuba de Polyxenae, nuper abductae, obitu obscure, de Andromachae futura ac de sua sorte aperte docetur. His cum omnibus vehementissime, ut par est, doleat mulier paveatque (nulla enim harum delectionum non crudelis, improba, nefaria est, nulla non victores pietatem et iustitiam spernentes, divina humanaque iura polluentes arguit), tum longe miserimum esse ducit, quod ipsa Ulyssi, homini abominabili et fraudulentio, servire cogatur, iustitiae hosti, nefariae belluae, qui omnia hinc et illinc confundens duplici lingua amicitiam in inimicitiam converterit.

Deinde ubi primam Talthybius Cassandram imperatori adducendam esse dixit, repente tentorium igne collustratur; mox inde ardentis faces tenens Cassandra quasi ad nuptias suas celebrandas procedit, quas innuit non minus funestas esse hostibus futuras, quam Paridis nuptiae fuerint Troianis. Itaque hymenaeum canens, deos invocans, faces vibrans, saltans tripudiansque, felicem se, felicem patriam et parentes praedicans, ad parem laetitiam matrem atque sodales invitat. Mitigante furorem eius matre simili oratione, atque apud Ennium in Alexandri dramate utitur, et iubente faces ex manibus deintus virginis intro auferri, illa, tranquillior facta, ad orationem sobriam quidem, sed tamen gravem vehementemque transit, gratulandas sibi nuptias et coronanda tempora victricia esse docens, quippe quum mala ab Helena in Priamidas invecta vicissim in Atridas retorsura sit ac poenas fratrum patrisque occisorum a victori-

bus exactura. Tum tecte significans suum interitum cum Atridarum domus interitu coniunctum docet multo feliciorum Troianorum sortem quam Graecorum iam antea fuisse. Hos enim pro patria pugnantes honestissime occubuisse, illos, bello turpi de caussa suscepto, privatos uxorum liberorumque consuetudine, procul a patria interisse nemine neque componente neque lugente. Felicem etiam Hectorem et quicumque pugnantes occiderint propter perpetuam virtutis memoriam praedicandos esse. Quod nisi bellum Graeci intulissent, neque illius virtus neque Paridis connubium, quo cum Iove affinitatem inivit, fama celebrarentur. Vitare bellum decere prudentes; sin ingruerit, etiam occumbere honeste pulcrum esse. Quamobrem neque se neque patriam commiserandam esse. His auditis praeco Graecorum miratur, quod insanae virginis concubitus, quem vel humiles spernant, summus Graecorum imperator concupiscat, ceterum vaticinia ventis dat ferenda et sequi illam ad Agamemnonem iubet, Hecubam autem exspectare eos, qui ad Ulysses essent ducturi. Tum Cassandra unquam Hecubam Penelopae famulaturam esse negat, Ulysses autem per decem errantis annos mala et labores omnes praedicit tantos, ut aurum ei videri debeat Phrygum miseria cum sua comparata. Postremo rursus commotior, se mente praevidens una cum Agamemnone iugulatum, eiectam in convallem torrentis, nudam, feris laniandam, decerpit capitis abiicitque coronam; iamque in navem conscendere et in altum proficisci cupiens valere iubet matrem patremque, valere patriam fratresque in ea sepultos; sed brevi se, ubi Furiae instar in Graeciam ducta fuerit, victricem dicit inde ad inferos descensuram et cum illis iri coniunctum.

Manifesto haec vaticinatio illi priori, quae fuit in Alexandri fabula, respondet, et hac quidem laeta in tristibus, illa autem tristia in laetis rebus praedicuntur. Quam autem Cassandra enuntiat sententiam, honestam mortem crudeli victoria meliorem esse, eadem omnibus huius carminis partibus declaratur, ut sensu caruisse mihi videantur qui miserias ac desperationem hominum omni obnitendi potestate privatorum illo ostendi affirmarunt. Grande et

magnificum cum universum drama est, tum haec actio digna persona vatis, nullum non verbum continens, quod non sit habitui animi accommodatum.

Abeunte filia rursus in terram Hecuba procumbit, custodes erigere volentes arcens. Rege patre nata, regi nupta cum liberos peperisset tam multos tamque praestantes, quam nulla alia mulier, filios quidem omnes nec minus coniugem vidit ferro interire, filias autem vel in servitum vel ad mortem abstrahi. Iam sola, orbata ac deserta in eo est, ut ad servilem sortem et humillima ministeria ipsa detrudatur, profanata Cassandrae castitate, incerta sorte Polyxenae. Haec conquerente regina, virgines praestantissimo carmine vividissimis coloribus Troiae expugnationem depingunt. Quae deinde sequitur dramatica pars, ea Andromachae et Astyanactis sors spectanda exhibetur, qui plaustro insidentes cum Hectoris armis aliisque spoliis per scenam vehuntur. Ubi in mutuum conspectum Hecuba atque Andromache redierunt, alternis vocibus verbisque, primo canentes, deinde colloquentes, tum mala sibi communia deplorant, tum altera alteram consolantur. Accipit Andromache ex Hecuba Cassandram vi ad Agamemnonem abstractam esse, invicemque haec ex illa, Polyxenam in tumulo Achillis immolatam, a se autem compositam sepultamque esse. Tam misera re nuntiata Andromache, o mater, inquit, o parens, accipe praestantissimam sententiam, quae dolore mentem tuam possit levare. Non nasci et mori idem esse dico, vita autem aerumnosa mortem potiolem: sensu enim malorum carentes liberi sunt dolore qui e vita decesserunt; contra qui e florentibus rebus in miseras devenerunt, aegri animis priorem felicitatem desiderant. Polyxena igitur talis est mortua, qualis esset, si lucem nunquam conspexisset, nihil sentiens malorum. Ego vero, quae et appetii felicitatem et adeptam fui, gravissimam eius feci iacturam. Nam quaecunque feminis decora sunt, in his, quum in Hectoris domo degerem, elaboravi. Exinde ostendit ipsam sibi pudicitiae atque honestatis laudem in malum vertisse, quippe propter quam Neoptolemo nubendum sit et in domo interfectoris serviendum. Miserum autem connubium ipsum

probae esse mulieri, quae virum eum, cui virgo deducta fuerit, vere ex animo dilexerit. Haec largior et copiosior est disputatio, quam res postulare videtur, et credas occasionem probarum uxorum mores describendi praecipiendaque utilia cupidius ab Euripide arreptam esse. At primum quidem curandum fuit, ne lamenta lamentis continuarentur: qua eadem de caussa altero episodio, accusatione Helenae, hoc drama distinguitur. Tum mores feminarum, quas domos suas principes Graecorum pro praeda deducerent, accuratius describendi hanc ob causam fuerunt, ut non minus probas quam improbas illis inutiles ac perniciosas fore intelligeretur. Denique magna tragoediae pars merito in Hectoris et Hectoridarum virtute, qua diutissime Troia defensa est, celebranda occupatur. Hecuba autem, his auditis, quamvis iam se ipsa plane tempestate victa desponderit, tamen non omnem spem illam abiicere iubet, sed praesentem dominum colendo filium Hectoris servare atque educare, qui Troiam restauret. Hoc ipso momento Talthybius redit ex consilio Ulyssis Astyanactem abducturus de turri praecipitandum. Haec altera victima iubente invidia et suadente Ulysse propter praestantiam suam caeditur. Forti animo, cum cedendum victoribus esse videat, puerum mater ex amplexu suo divelli patitur, facinore tam crudeli, ut vix praeco ipse perseveret. „O carissime,” inquit, „o frustra culte fili, interficeris ab hostibus relicta matre misera; patris autem te perdidit generositas, quae aliis saluti esse solet. O infelices nuptias meas, ex quibus non reges Troianis eram, sed victimas hostibus, paritura! O fili, quid ploras? quid vestibus inhaeres, sub meas veluti pullus alas confugiens? Non Hector adest, qui salutem afferat, non affines, non Phryges: itaque funesto saltu in cervicem datus e sublimi praeceps spiritum abrumpes.” Ultimam amplectitur, osculatur dulcissimum corpus, frustra mammis ipsius nutritum, frustra curis suis et laboribus educatum, et exsecratur Helenam, invidiae, caedis, perniciiei et malorum omnium causam. Tradito filio, statim ad navem, ubi corpus occultet, abit haecce dicens: „ad egregios vero proficiscor hymenaeos liberos tradens iugulandos.”

His peractis chorus expugnationem Troiae olim per Telamonem, Salaminis regem, et Herculem factam cum eximia laude Athenarum celebrat et commemorat bis urbem eversam esse, quamvis in ea natus educatusque sit Ganymedes, poculorum Iovis minister, quamvis Iuppiter Electrae amore ductus Dardanum gentis auctorem ipse procreavit, quamvis Aurora Tithono, Laomedontis filio, nupta sit ex eoque Memnonem pepererit. Ceterum haec, quae de summi Iovis stupris in fabulis tradebantur, verecunde innuuntur magis quam explicantur. Deorum autem perpetua felicitas in humanarum rerum inconstantia et Ganymedis hilaritas in patriae interitu simili ratione celebratur, qua recentiores, velut Goethius, saepe vim praedicarunt naturae sollertissimae efficientisque omnia et continentis, nullis mortalium turbis interpellatae, nullis hominum vitiis corruptae, nullis sceleribus pollutae:

„Wir leise Geschäftigen scheuen
 Weder Adler noch geflügelten Leuen,
 Weder Kreuz noch Mond,
 Wie es oben wohnt und thront,
 Sich wechselnd wägt und regt,
 Sich vertreibt und todtschlägt,
 Saaten und Städte niederlegt:
 Wir so fortan
 Bringen die lieblichste Herrin heran.“

Auctor scelerum, ex quibus hae calamitates pullularunt, Paris, interiit: pro eo igitur Helena ad causam dicendam in medium producitur, idque hoc aptius, quod expleto Troianorum fato iam in Graecos mala reversura sunt. Est igitur haec Helenae accusatio atque defensio e regione posita iudicio illi, quod de Paride in prima fabula habitum esse ostendimus; ipsa autem Helena huic omnibus a partibus simillima est:

αἰρεῖ γὰρ ἀνδρῶν ὄμματ', ἕξαιρεῖ πόλεις.

Et eventus quoque iudicii idem est: nam servatur mulier morte dignissima, ut pestem in patriam non minus Menelaus quam Agamemnon et Neoptolemus reducat. Protracta e tentorio per Menelai ministros causam sic dicit, ut in deorum voluntatem culpam omnem conferat. Contra quae

Hecuba, accusatoris partibus susceptis, frustra ab ea deos praetexti libidini, ambitioni, socordiae ostendit: quibus cognitis Menelaus poena quidem affectum iri adulteram dicit, sed ducit nihilominus domum.

Summa philosophiae arcana in hac fabula Euripides aperuit, idque necessario: quippe atrocissimarum calamitatum remedia promenda fuerunt et vehementissimi dolores mitigandi. Cuius generis illud est, quod Hecuba constitutam in iudicium Helenam videns effatur: *ὦ γῆς ὄχημα κτλ.*, de qua sententia T. I. p. 96. exposuimus. Cum in Alexandri fabula noster deas ipsas Alexandrum convenisse et iudicium formositatis subisse finxerit, in hoc vero dramate absurdum esse talia opinari et divina natura indignum ostendat, apparet eum censuisse, Paridem more modoque Herculis Prodicii quasi in bivio constitutum ac deliberantem, quamnam potissimum viam vivendi ingrederetur, voluptatis viam pro ea, quae ad gloriam et potentiam duceret, delegisse, et sui animi errore, cupiditatibus obcaecati, non deorum fraude, ad prava amplectenda abreptum esse*). Idem Helenae in deos culpam conferenti ab Hecuba obiicitur, de qua sententia T. II. p. 15. disseruimus.

His actionibus postquam intermissio quaedam et intervallum paratum est miseriarum prospectumque, ne cumulatione malorum animi fatigarentur spectatorum studiumque languesceret, confestim deinde ad cumulum fastigiumque calamitatum abripimur, quibus haec tragoedia imitandis consummatur.

Quarto carmine chorus festa civitatis a diis proditae interisse et locorum amoenissimorum sanctitatem sublatam esse conqueritur. Tum se nondum sepultis maritis a liberis abstrahi et in alienam terram duci reputantes mulieres optant, ut Menelai navis, qua Helena, caussa malorum, mundo ornata deliciisque circumfluens, vehatur, fulmine medio in mari icta deflagret.

Sequuntur Astyanactis exsequiae, cuius corpus Tal-

*) In versu 968. legendum esse suspicor:

*καὶ παιδιαῖσι καὶ χλιδῆ ἠμορφῆς πέρι
ἦλθον πρὸς Ἴδην.*

thybius, sicut promisit, ipse reportat, simul nuntians Neoptolemum, quod Peleum ab Acasto e patria eiectum esse audierit, citius, quam vellet, profectum esse, cuius festinatione Andromachen, quo minus filio iusta ipsa faceret, prohibitam, Hecubae corpus cum scuto Hectoris, quod esset et pro cedrino feretro et pro saxeo monumento, sepeliendum mittere. Non minore prudentia, quam qua Timanthes pictor, cum in immolanda Iphigenia tristem Calcham, moestio rem Ulyssem, moerentem Menelaum exhibuisset, obvolvendum caput Agamemnonis esse vidit, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari (Cic. Orat. 22, 74.), Euripides lugendi componendique Astyanactis munus non Andromachae, sed Hecubae delegavit*). Id quoque scitum et humanum est, quod fecit a praecone hostium corpus crudelissime interfecti lavari et sepulcrum ab eodem parari. Gravius vero nihil fingi potest Hecubae oratione. „O maiore armorum, quam prudentiae, laude florentes Achivi, quid hunc metuentes puerum novam caedem patrastis? Ne scilicet Troiam everSAM restitueret! ergo nihil eratis, cum, Hectoris florente virtute et infinitis copiis pro nobis pugnantibus, nihilominus periimus, capta vero urbe ac deleto populo hunc infantem timuistis. Non laudo metum iudicio carentem. O carissime, quam infelix tibi fatum obvenit! Nam si obisses adultus, matrimonium et regnum, quo mortales diis aequantur, adeptus, beatus fuisses, si horum quicquam beatum est. Nunc vidisti quidem opes domesticas, sed usus es nullo modo. O miserabile caput, quam te sauciarunt moenia patriae, monumenta Apollinis! Quam studiose saepe coluit comisitque caesariem mater et oscula decerpit, ubi nunc con fractis ossibus vulnus hiat! O manus, quam dulcem patris imaginem referentes artibus haeretis solutae! O amabile os, quam multa quondam iactasti frustra que promisisti, cum lecto meo incidens, o mater, dixi-

*) Schol. ad v. 1119: κομψὰ δὲ ταῦτα πάντα πεποίησε· παρήγητο δὲ τὸ τραγικὸν κατασκευάσασα. Ἐλπεε γὰρ παρῆν ἢ Ἀνδρομάχη, οὐκ ἐπὶ τὸν ἄνδρα ἐγένετο τὸ πάθος θρηνησῆς αὐτῆς τὸν ἴδιον παῖδα.

sti, largos tibi cincinnos abscindam et aequalium choros ad tumulum tuum ducam et grata dabo alloquia. Iam non tu me, sed ego te, puerum avus, extorris, orba, miserum funus sepelio. Hei mihi, multa illa suavia et nutritio et labores perierunt! Quonam carmine inscribere debeat poeta sepulcrum tuum? „Puerum hunc Argivi quondam metuentes interfecerunt.” Turpis sane Graeciae inscriptio! Sed qui paternorum bonorum expers es, habebis tamen, in quo sepeliare, scutum aere munitum. O scutum, quod pulcherrimam quondam Hectoris manum tuebaris, optimum tui custodem amisisti! Quam dulcia in manubrio tuo sunt vestigia impressa et sudor in polito umbonis ambitu, qui fronte Hectoris exstillabat laboribus fungentis, quem scutum mento obtenderet. Obferte misero corpori ornatum eum, quem praesens sors concedit. Non enim ad decus et magnificentiam deus fortunam nostram comparavit. Stultus autem est quisquis mortalium felicitate utens eam perpetuam fore sperat: more enim hominis parum sobrii modo huc modo illuc transilit.”

Allatis interim a captivis spoliis vestibusque, quibus corpus decoretur, Hecuba illud in scuto componens hoc innumerabilium victoriarum auxilium alloquitur: Coronator, inquit, neque, quamvis cum defuncto sepeliaris, morieris: multo enim, quam Ulyssis improbi arma, dignius es honore. Tum vulnera fasciis ligans, curaturum illa patrem apud inferos dicit. Inter haec chorus et inferias dat et naenias canit et plangit mortuum cum Hecubae oratione alternans. Postremo „Nihil ergo,” inquit, „praeter miseriae meas apud deos fuit, et Troia prae omnibus civitatibus iis invisa fuit, frustra que immolavimus. Verumtamen nisi subvertisset nos deus et ad inferos demisisset, obscuri ignotique fuisset, non celebrati carminibus, neque ullam poetis materiam praebuisset.” Hoc quid vult aliud, quam laboribus virtutem manifestari? neque enim ipsae miseriae carminibus dignae sunt: quam sententiam hoc ipso dramate declaravit Euripides. Quanto enim atrociorum malorum finxit multitudinem magnitudinemque, tanto enixius curavit, ut ii, quibus evenirent, animorum magnitudine illa superarent.

Posuit haec Hecubae lamenta Longinus fragm. VIII.

numero eorum, quae miserationem movere vehementissimam valerent*). Talthybius autem, postquam corpus humavit et hastam in sepulcro fixit, in scenam reversus duces iubet manipulorum, ad hoc paratos, faces ardentes in urbis tecta conicere, captivas autem signo tuba dato ad naves se conferre; simul Ulyssis ministri adsunt, qui Hecubam abducant, quae in incendium se praecipitare volens a Talthybio prohibetur. Flagrante urbe et cum fragore corridente, sonantibus tubis, Hecuba cum choro alternis ululatibus deos paternos et manes interfectorum et urbem iamiam deletam valere iubentes e conspectu decedunt. Haec est illa fax, quam quondam in somnis parere sibi visa est Hecuba.

Multum huius tragoediae compositio dispar a reliquarum est. Non enim rerum alius ex alia nascentium implicationem, sed paene una natarum imitationem continet, quo in genere praeierant Aeschylus in Persis et Phrynichus in *Μιλήτου ἀλώσει*. Rarius poetas eo usos esse credo non ideo, quod a theatro alienum esset et minus idoneum, sed quod difficilius tractatu esse intelligerent. Praeterquam enim quod implicationibus rerum facilius homines tenentur atque delectantur, ne varietate quidem iucunda distingui facile potest drama in describendo rerum eventu, quamvis graviter animos movente, occupatum. Cum varietate autem consociatio rerum inter se pugnantium seque invicem dissimilitudine illustrantium amittitur: quibus absentibus rebus tollitur vigor actionis atque animorum oblectatio. Eiusmodi materiam tractandam fuerunt qui per imprudentiam a nostro poetarum prudentissimo sollertissimoque sumtam esse crederent obicerentque ei, quod cumulando mala eiusmodi, quae non modo obsistendo, sed ne ferendo quidem a miseris vinci possent, animos spectatorum fatigaret. Qui incredibile est dictu quanta cum vecordia hanc tragoediam legerint: nulla enim pars eius non contrarium efficit, nulla non ad

*) Καὶ ἡ Ἐκάβη τὸν Ἀστυάνακτα τοῦτον πενθεῖ τὸν τρόπον κεφαλῆς τε αὐτοῦ ψάουσα καὶ χειρῶν καὶ τοῦ λοιποῦ σώματος.

contemptum eorum, qui inferunt mala, et admirationem eorum, qui patiuntur, spectat, nulla non „vae victoribus!” et „macti gloria victi este” clamat, ita ut etiam a surdis putentes audiri posse. Praeter fortitudinem enim plane nihil in victoribus est, quod laudari vel cui invideri possit, qui *μείζον' ὄγκον δορός ἔχοντες ἢ φρενῶν* (v. 1148.) obcaecatis animis praemia se inutilissima et perniciosissima ferre factorum iniustissimorum atque crudelissimorum non vident, et insuper omnes morti destinati sunt et malis longe Troianorum mala superantibus succubituri. Nam quidquid opum a Troia avehunt, in mari interiturum est, quidquid mulierum captivarum nudi naufragique retinebunt, aut inutile futurum est aut etiam ipsos cum familiis perditurum. Hoc enim et Cassandra et Andromache et Helena aliae alia ratione effecturae sunt, et in hac re ostendenda plurimum poeta elaboravit. Paridis igitur libidinem et caecitatem animi libido Graecorum aequare videtur. Redi-turi autem sunt paucissimi: plerique enim aut in peregrina terra iacent interfecti aut in mari extincti sepultura sunt carituri. In longa vero absentia res domesticae omnium vel perturbatae vel eversae sunt. Itaque neque aliena, quae sectabantur, tenuerunt et amiserunt sua. His ita comparatis, quis non mala in Graecos a Troianis conversa esse intelligit? Victi contra inferiores sunt fortuna, ceterum feliciores tanto, quanto honeste occumbere, quam turpiter vincere, praestantius est. Quoad enim vixerunt, uxorum, liberorum et propinquorum consuetudine utentes quotidie delectabantur, morientes autem pro patria occumbebant et a suis apud suos componebantur. Quid? quod Graecorum invasioni debent rem omnium praestantissimam, quod gloriam apud posteros relicturi sunt. Constat enim, gloria proposita, vel brevissimam vitam et laborum plenissimam praefendam esse longissimae; neque sane neglectus a diis est, cui, quamvis reliqua omnia ademerint, hoc concesserunt, ut virtute rebusque gestis nobilitaretur.

Hoc sentientes reputantesque mulieres Troianae, et maxime Hecuba, cuius persona quasi omnium expressa effigies est, magis magisque animis confirmantur et se

ipsae consolantur. Non amplius humi corpus abiicit regina, non obmutescit dolore, non stupet nantarum instar superante tempestate, sed erigitur conscientia virtutum magnoque animo fert acerbissimum dolorem nepotem in scuto Hectoris componens; non clamat, non eiulat, non saevit dolore, sed mansueto animo et meditatione sententiarum gravissimarum subacta iniurias fortunae et superba hostium facinora recenset. Vix igitur in ulla tragoedia tam multa tamque gravia philosophiae praecepta contraria opinionibus, quibus vita humana perturbari solet, cum theatro Euripides communicavit. Ad quod faciendum nulla permovebatur contradicendi civibus cupiditate, nullo Diagorae Protagoraeque patrocini studio, sed mero sapientiae amore, ut in qua sola tantis malis, quanta haec tragoedia repraesentat, tantaeque aegritudini medicinam paratam esse intelligeret.

Neque ab hac tantum parte tragicæ arti poeta egregie satisfacit, sed varietate quoque et compositione rerum inter se oppositarum materiem simplicem exornavit. Primum enim omnibus prostratis afflictisque Cassandra prodit divino furore in ipsis malis triumphans. Tunc contemplatione virtutis probitatisque eorum, qui succubuerunt, animi eriguntur, quæ virtus duobus præstantissimis exemplis, summi viri Hectoris et probissimæ feminae Andromachæ, sub oculos ponitur. Ab his patriæ decoribus ad communem Græciæ Troiæque pestem spectandam avocamur, ad quam accusandam Hecuba et spe ultionis et indignatione incitatur. Postremo ad luctum fabula redit omnisque omnium dolor ad unius pueri mortem deplorandam convertitur, donec extremum dolorem afferant urbis incendium atque ruinae.

Quod si res, quæ eveniunt, minus alia ex alia pendunt atque nascuntur, non erit vituperandum in eo dramate, quod ad consummanda perficiendaque ea, quæ prioribus tragoediis inchoata erant, compositum est, et cuius fere singulæ partes singulis illarum respondent. Nam colloquio Minervæ et Neptuni ad effectum adducuntur quæ in fine Palamedis prædicta sunt; Cassandreae læta in rebus perditis vaticinatio opposita est tristi eiusdem, qua

quondam laetitiam Troianorum interruptit; Helenae accusatio accusationi respondet Alexandri, nec minus illa, quam hic, formae pulcritudine omnes capit et periculo capitis liberata suis perniciosa est; Hecubae Astyanax lugendus est eadem ratione, sed digniore moerore, quam quondam Alexandrum luxit morti obiectum; denique finis cum principio congruit, quoniam incendium urbis hoc praedicitur, illo spectatur. Est autem haec tragoedia ex genere eo, quod omnium summum et praestantissimum esse veteres communi iudicio decreverunt, simplex illud et patheticum appellantes, recentiores vero, impatientes grandium, quum mollem quandam civilemque dei optimi maximi mentem esse fingant, aversantur. Fuerunt autem qui non implicatione tantum, sed etiam simplicitate hoc drama carere putarent: nihil enim primum, nihil medium, nihil extremum esse, sed tenorem rerum miserarum nulla inter se necessitate iunctarum. Ex quibus quaero, quidnam fabularum primum, quid medium, quid extremum esse velint. Primum sine dubio est suspensio animorum et exspectatio rerum gravium, quas necessario venturas esse intelligimus, medium appellamus quo illa, quae exspectaveramus, ad exitum adducuntur, extremum denique consummationem eorundem et compositionem rerum restitutamque pacem atque quietem. Iam quomodo horum quidque in hoc dramate se habeat videamus. Reliquiarum gentis Troianae sors agitur: quarum duae quasi partes sunt, altera feminae cum liberis, altera urbs. Pueri ad utramque partem aequaliter pertinent: etenim in iis communis et matrum, quae pepererunt, et patriae, pro qua pugnantes patres eorum occubuerunt, spes vindictae nititur: itaque non prius, quam his extinctis, penitus Troia deleta esse videri potest. Singularum partium quasi effigies quaedam in conspectu sunt positae, et feminarum quidem tres introductae nobilissimae: Cassandra virgo, Andromache, Hectoris uxor, Helena adultera. Accedunt regina et chorus, verum sic, ut simul civitatis personam sustineant: itaque iis et lugendi Astyanactis, cum quo spes restituendae Troiae una extincta est, et incendiū tectorum urbis deplorandi munus delegatum est, Astyanactem autem conspicientes reliquos

Troianorum pueros una nobis conspicere videmur et communem omnium sortem miseramur. Incipit drama ab expectatione eorum, quae utrique parti, quam diximus, eventura sunt: nam fumantia ex nocturno incendio tecta Troiae conspiciens Hecuba exterretur, et distribui se pro praeda ducibus scientes pavent mulieres. Perficitur deinde illarum rerum prius ea, quae minoris est momenti minusque misera, quum sortitio qualis facta sit ostendatur, et ad novos dominos abducantur primum Cassandra, deinde Andromache, tertio loco Helena. Hanc dramatis partem mira arte variavit distinxitque poeta, et amplificavit episodiis sic, ut universi belli rationem, causas eventusque ob oculos poneret, et fructus laborum, virtutum vitiorumque omnes, non solum quos victi, sed etiam quos victores vel percipiunt vel percepturi sunt, cognosceremus. His transactis sequuntur illa, quae quasi culmen et fastigium rerum constituunt, mors et exsequiae Astyanactis, quae cum sit eadem gentis Troianae extinctio atque internecio, incendium urbis continuo adiungitur: qua conflagrante feminae eiulantes ad naves abstrahuntur, ancorae tolluntur, classis undis ventisque committitur, quo facto quid deinceps secuturum esset prooemio praedictum est.

Duorum populorum res gestae fataque in hoc dramate exhibentur. Tantaе magnitudinis amplitudinisque argumentum ad simplicitatem eam, quam leges traditae praescribebant, revocavit Euripides.

A ternis fere actoribus personas, quotquot erant, agentibus fabulas constat exhibitas esse: qui actores nominibus a numero ductis *πρωταγωνιστής*, *δευτεραγωνιστής* et *τριταγωνιστής* appellabantur. Et primarum partium actorem eum fuisse probabile est, qui eandem personam per totam fabulam sustineret, a duobus reliquis plures agi mutatis vestibus personas solitas esse: velut in hac tragoedia Hecubae personam ei, qui primas partes, Minervae, Cassandreae, Andromachae, Helenae personas ei, qui secundas, denique Neptuni, Talthybbii et Menelai ei, qui tertias agebat, tributas esse consentaneum est*). Hecubae rem non

*) Cf. Hermannum Gottingensem in disputatione de distributione personarum inter histriones p. 18 et 53.

magis quam Andromachae aut cuiusvis reliquarum mulierum Troianarum agi perspicuum est; populorum fortuna in discrimine est posita, quemadmodum etiam in Phoenissis ad populi et domus regiae vel salutem vel interitum omnia diriguntur: quod ubi accidit, non potest persona ea, cuius primae sunt partes, tanti esse momenti, quanti volunt qui de antiquorum poetarum arte ex nostrorum sententia iudicant. Primas partes olim chori fuisse, donec Aeschylus, secundo histrione adiecto, eas a choro sive chori duce ad actorem transferret, Aristoteles tradidit memoriae*). Atqui chori natura ea est, ut plerumque non propriam rem, sed vel communem vel publicam agat et fungatur muneribus ad ipsum haud plurimum pertinentibus. A qua profecta origine persona primaria apta erat communibus muneribus suspiciendis.

Digni tragoedia et magnifici sunt personarum, quae introducuntur, mores omnium praeter Helenae. Huic placere et in amorem viros pellicere primum est, cui reliqua omnia postponuntur. Praeterea more hominum Lacedaemoniorum Asiaticam luxuriam ex frugalitate Spartana lubentissime amplexa est. Cuius supplicium in aliud tempus differens Menelaus aperte tergiversatur, captus nimirum mulieris venustate. Choro hoc potissimum tribuit muneris poeta, ut circa expugnationem urbis mente et cogitatione versaretur et diceret ea, quae sentire eum, qui talia vel patiatur vel praesens spectet, necesse est. In reliquis partim suam ipsius sortem deplorat partim adest iis, quibus studium suum operamque consecravit.

Dicendi genere plerumque gravi usus est. Tum lyricis numeris nulla fabula locupletior est: nam et diverbia insunt dochmiis antispastisque insignia ad commotionem animorum conditionem significandam, et canticum sive monodia a Cassandra agitur furibunda, et chorus praeter ea, quae medios actus intercinit, etiam naeniam cantat, et postremo flagrante urbe clamorem eiulatusque tollit, quibus ὄρθιος νόμος conveniebat, succinente Hecuba.

*) Cf. Hermannum l. l.

His non vulgaria atque aequabilia metrorum genera adhibentur, qualia sunt glyconeï versus, sed varia et multiplicia, quae lege soluta dixit Horatius. Haec autem omnia non ad aurium solam delectationem quaesita sunt, sed propter argumenti naturam necessaria.

Atheniensibus hoc drama spectantibus non potuerunt non in memoriam revocari crudelia facinora paucis ante mensibus ab ipsis patrata, cum Melon insulam, nulla iniuria affecti, invadentes, expugnata urbe, puberes omnes interficerent, mulieres autem cum pueris in servitutum abducerent et in agros pro colonis mitterent (Thuc. V, 116.). Nec minore crudelitate in Plataeenses, in Mytilenaeos, in Scionaeos antea saevitum erat (Thuc. V, 32.). Sic hoc quoque drama ad pudorem civibus incutiendum comparatum fuit: et Aethrae quidem a filiis liberatae reductaeque in Atticam nullam noster fecit mentionem*), contra quaecunque ad invidiam Graecorum pertinebant diligenter exornavit. Hoc minus mirandum est, quod ignobilissimo poetae a certaminis arbitris est postpositus. Ceterum illud populiscitum, quo Melii ad internecionem delati sunt, Alcibiadem habuisse auctorem traditur**). Idem ad reddendos infestos inimicosque Athenienses Spartanis et renovandum bellum omnia consilia sua contulit nec abhorruit a fraude malitiosissima atque impudentissima, qua efficeret, ut horum legati ad sanandas discordias missi eaque potestate praediti, ut de omnibus decernerent, tanquam fraudulentis bilinguesque repudiarentur***). Quamobrem non dubito, quin ad illum potissimum verba in Ulyssis contumeliam dicta pertineant.

Iudicia a veteribus de hoc dramate facta relaturus initium facio a scholiasta, quem antiquiorum quorundam commentariis usum esse inde colligo, quod ad v. 1165. Eratosthenem citat grammaticum. Is igitur plura reprehendit, sed levia neque summam rem tangentia, atque ea, quae facile possint refutari. Primum igitur in proemiis

*) Schoell. p. 60. Schol. Troad. v. 31.

***) Plutarch. Alc. c. 16. Andocid. c. Alc. p. 153. §. 23.

****) Thuc. V, 45. Plut. Alc. c. 14.

Euripidis quaedam minus necessaria inesse et varietate eadem carere indicavit*). Eiusdem generis est, quod ad v. 856. superflua esse scripsit verba: *Μενέλαός εἰμι*. Deinde iniquissime reprehendit, quod humi iacens Hecuba a Neptuno ostendatur: praestitisse enim illam lamentantem producere**). Quasi non hoc ipsum paullo post eveniat, et quasi non vehementius saepe moveat dolor obmutescentium, quam conquerentium. Reminiscendum est eorum, quae Aristophanes dixit, Aeschylum saepius eo usum artificio collaudans:

ἔγὼ δ' ἔχαιρον τῇ σιωπῇ καὶ με τοῦτ' ἔτερεπεν
οὐχ ἦττον ἢ νῦν οἱ λαλοῦντες.

Idem scholiastes ineptum esse dicit, quod Talthybius Cassandram increpet furibundam, id quod vanum est. Non enim Cassandram increpat, sed Agamemnonem reprehendit, quod concupiscat concubitum talis feminae, qualem quilibet sanus vitaturus sit. Deinde ad v. 636. vituperat, quod Andromache philosophetur***). At nullum inveniri solatium potest, quin ex philosophia depromatur, nec fatigamur easdem sententias saepius accipientes, dummodo rebus accommodatae sint et sanandis animis aptae. Concutiuntur et labefactantur vulgares opiniones de rebus humanis deque deorum natura susceptae, quum homines probi cumulatis calamitatibus opprimuntur et ad desperationem adducti frustra a se deos cultos neque quicquam in iis praesidii auxiliique esse sibi persuadent: qui animorum habitus non vulgaribus remediis, sed penitus ex arcanis philosophiae petitis sanandus est. Iure improbaret scholiasta orationum contentionem, qua Hecuba cum He-

*) Ad v. 1: ὁλος ἐπὶ τοῦ θεάτρον ὁ Εὐριπίδης, πρὸς ὃ ἀφορῶν τοὺς λόγους νῦν ὁ Ποσειδῶν ποιεῖ, παρῶν ἐν τῇ ὑποθέσει. Πολλαχῶς δὲ τοιοῦτος, ὡς ἐν ταῖς Βάκχαις ὁ Διόνυσος· ἦ καὶ Διὸς παῖς τῆ νυκτε Θηβαίων χθόνα.

**) Ἀμεινον ἦν ἀπὸ τῶν πραγμάτων παραγέσθαι ὀδυρομένην τὰ παρόντα· οὕτω γὰρ ἡ τραγωδία τὸ πάθος εἶχε· νῦν δὲ ψυχρῶς τῷ θεάτρῳ προσδιαλέγεται.

***) Οὐ στοχάζεται τῶν ὑποκειμένων προσώπων· καὶ γὰρ νῦν ἡ Ἀνδρομάχη (τὰ) αὐτὰ φιλοσοφεῖ καὶ ἔμπροσθεν ἡ Κασάνδρα.

lena decertat*), si otiosa esset ea certatio neque partim ut varietate et remissione quadam reficerentur spectatores partim ut de caussis rerum deque Helenae moribus edocerentur interponeretur. Quod autem inconstantiae Hecubam arguit, ut quae, cum paullo ante vel adspectum Helenae Menelao fugiendum esse dixerit, nunc etiam purgationi eiusdem aures praebere iubeat, satis hanc vituperationem ipsa diluit dicens:

συντεθείς δ' ὁ πᾶς λόγος

κτενεῖ νιν οὕτως, ὥστε μηδαμῶς φυγεῖν.

Levius est, quod argumentorum, quibus Hecuba utitur, quaedam minus probabilia esse arbitratur**). Turpiter labitur Menelai interrogationem: τί δ' ἔστι; μείζον βροῖδος ἢ πάροιθ' ἔχει (v. 1043.), ad verbum interpretans ob eamque rem ridiculam esse dicens. Mox decantatum illud de mulierum odio Euripidis profert, quam criminationem, sicut etiam reliquarum plerasque, Aristophanes huic hominum generi praeivit. Denique quod (ad v. 1119.) efficacius putat fuisse ad miserationem movendam futurum, si Andromache ipsa praesens filium suum luctibus et querimoniis prosecuta esset, id qua de caussa facere Euripides noluerit, supra a nobis demonstratum est.

Habitam esse Troadum fabulam a veteribus numero praestantissimarum et Aelianus in iis, quae de universa scripsit tetralogia, et grammaticus quidam in Rhett. Gr. VII. p. 1330. testantur, cuius haecce sunt verba: ἀντίκα γοῦν Εὐριπίδης Ἀνδρομάχην καὶ Τρωάδας ἐποίησε τὰ πολυθρόύλλητα δράματα, χορηγίαν τραγωδίας ἐξ Ὀμήρου λαβών. Aristophanes quibusdam verbis ex hymenaeo virginis furibundae abusus est in eo hymenaeo, quem fecit ab Avibus in fine fabulae cantari. Primum eiusdem traegodiae versum Menander in Nauclerum transtulit:

*) καταφέρεται εἰς τὸ νόσημα τῶν ἀντιθέσεων· ἡ γὰρ πρότερον λέγουσα „ὄρα μὴ σε ἔλῃ” νῦν φησιν „ἄκουσον αὐτῆς.”

***) Ad v. 1003. Ea verba corruptelis obscurata sunt: καθόλου νῦν παρὰ τὸ πρέπον ἢ Ἐκάβη δικαιολογεῖ, ὥς φησι Νικτὸ ποιητής· „εἰσὶ δὲ αἱ τοιαῦται ἐπιχειρήσεις ἀμαρτοπίστεις.”

ἤκω λιπὸν Αἰγαῖον ἄλμυρον βάρδος

Θεόφιλος ἡμῖν, ὦ Στράτων κτλ.,

qui poeta Euripidem omnium maxime admirabatur eundemque studiosissime imitabatur. Nonnullos versus Aristoteles (983 et 1044.), Plutarchus (877 — 881.), Athenaeus (1163—1167.), Clemens Alex., Plotinus, Aristides aliique veterum auctorum citaverunt; ad alios (457. 879. 1159.) respexerunt Cicero (ad Att. VII, 3. N. D. I, 11. Tusc. I, 26.) et Plato (Rep. p. 568. B.); unus (1044.) teste scholiasta in proverbium abierat. Latinam hanc fecerant fabulam Attius et Ennius, quarum imitationum illius collecta fragmenta haecce sunt:

1. „*Nocturna saxo frugem frendens torridam* *),”
de servitutis miseria dictum ab Hecuba videtur, conferendum cum Eurip. v. 496.

2. „*Nam neque pretio, neque amicitia, neque vi impelli, neque prece*

Quita sum”

Helenaе verba sunt, Deiphobo se restitisse affirmantis; cf. Eurip. v. 950 seq.

3. „*Sed utrum terrae motus, sonitus inferum
Pervasit aures inter tonitra et turbines?*”

Cf. Eurip. 1317 seq.

Enniani carminis reliquiae cum reliquiis fabulae Andromachae permixtae haecce esse videntur:

1. — „*annos multos longinque ab domo
Bellum gerentes summum summa industria*”

cf. v. 376 seqq.

2. „*Rapit ex alto naves velivolat;*”
cf. v. 1116.

3. „*Nam ubi introducta est, puerum, uti laverent,
locant*

In clupearum.”

Cf. v. 1140 seqq.

Imitatus est tertius Romanorum Seneca sic, ut huius dramatici argumentum cum Hecubae argumento misceret.

*) Vulgo: *Nocturnam saxo fruges franges s. frendas torridas;*
cf. Both. p. 247.

Recentiorum Grotius Latine vertit. Obtreclarunt laudi illius iidem, qui reliqua Euripidis opera diffamarunt, quarum criminationum partem ante me Schoell. l. l. et Raumerus in enchir. hist. anni 1841. p. 178 seqq. repulerunt.

D. Sisyphus vel Autolycus secundus.

Hygin. c. 201. haec tradidit memoriae: „Mercurius Autolyco, ex Chione quem procreavit, muneri dedit, ut furacissimus esset nec deprehenderetur in furto, ut quidquid surripuisset in quamcunque effigiem vellet transmutaretur, ex albo in nigrum vel ex nigro in album, in cornutum ex mutilo, in mutilum ex cornuto. Is cum Sisyphi pecus assidue involaret nec ab eo posset deprehendi, sensit eum furtum sibi facere, quod illius numerus augebatur et suus minuebatur. Qui ut eum deprehenderet, in pecorum unguis notam imposuit. Qui cum solito more involasset et Sisyphus ad eum venisset, pecora sua ex unguis deprehendit, quae ille involaverat, et abduxit. Qui cum ibi moraretur (Sisyphus), Anticleiam, Autolyci filiam, compressit, quae postea Laertae data est in coniugium, ex qua natus est Ulysses. Ideo nonnulli auctores dicunt Sisyphidem*). Ob hoc Ulysses versutus fuit.” Dramatis Euripidei hoc fuisse argumentum Tzetzes Chil. VIII, 442—460. testatur, referens partim eadem partim alia, quibus Hygini narratio suppleatur: „Mercurii filius erat Autolycus, pater Laertis, avus Ulyssis. Qui quum pauperrimus esset, a Mercurio impetravit artem furandi. Furans igitur etiam permutabat res, alia reddens pro aliis, ut viderentur sibi qui accipiebant sua recipere neque recipiendo alia decipi. Equum igitur optimum furatus asino scabioso reddito fecit, ut illum reddidisse videretur; virgine autem formosa surrepta Silenum aut Satyrum aut seniculum spurcum, obtuso naso, edentulum, calvum, mucosum reddidit, et parens hunc filiam suam esse credi-

*) Vulgo „Hypsipylon.”

dit. De quibus in Autolyco, dramate satyrico, copiose omnia exposuit Euripides." Eiusdem fabulae argumentum Suidas s. v. Σίσυφος retulit: „Sisyphus fuit Corinthiorum rex vaferimus. Qui unguibus et unguulis animalium suorum singulas inscribebat litteras (μονογράμματα ὀνόματα). Autolycus autem illis temporibus praestabat furacitate et periurio, idemque quidquid surripuisset in aliam figuram transmutabat*). Qui quum etiam Sisyphi armenta surrepta permutasset, tamen non latuit illum: agnovit enim ex litterarum signis. Propter quae ille, ut Sisyphum placaret, hospitio excepit et filiae suae Anticleiae copiam ei fecit. Gravidam ex eo factam puellam Laerti in matrimonium collocavit, unde Ulyssi nomen est Sisyphides**)." Denique ad hoc drama respexit Ovidius Met. XI, 312 seqq.:

„Alipedis de stirpe dei versuta propago
Nascitur Autolycus, furtum ingeniosus ad omne,
Qui facere assuerat, patriae non degener artis,
Candida de nigris et de candentibus
atra."

Certorum fragmentorum praeter unum verbum nil servatum est. Hesych.: ἐλίσσω· πλέκων, ψευδόμενος, οὐκ ἐπὶ εὐθείας λέγων ἢ κινῶν. Εὐριπίδης Σισύφω. Incertorum non dubito duo huc referre, n. 191. et 213. Matth.:

οὐχ ἐσπέρας γάρ, ἀλλὰ καὶ μεσημβρίας
ταύτην ἀφεστήκασιν ἡμέραν τρίτην***).

De animalibus, quae non redissent ad stabula, quam furto Autolyci surrepta essent, haec dicta esse arbitror. De sene autem mucoso, qui virgo esse simularetur, hoc dictum esse videtur:

γλώσση διαψάλουσα μυκτῆρων τόπους†).

*) Cf. Hom. Od. τ, 394.

***) Serv. Aen. VI, 513: „Anticleia mater ante Laertis nuptias clam cum Sisypho, Aeoli filio, concubuit." Cf. Sophocl. Philoct. 415. cum schol. Eurip. Iphig. A. 514. (525.) et Cycl. 104.

****) Vulgo οὐχ ἐσπέρας φάσ', ἀλλὰ κ. μ. τούτους ἀφεστήκασιν κ. τ. λ.

†) Etym. M.: διαψάλειν Εὐριπίδης ἐπὶ τοῦ καθαίρειν κτλ.

Non potuerunt in ulla Sisyphi fabula locum habere versus, quos Suidas s. v. *χαίρω* servavit:

*χαίρω τέ σ', ὦ βέλτιστον Ἀλκμήνης τέκος,
ἐλθόντα τόν τε μισρόν ἐξολωλότα.*

Nam Sisyphum ab Hercule occisum esse nemo scriptorum retulit*). Unde non dubito, quin *Συλεῖ* Suidas scripserit, pro quo *Σιδύφω* scribae imprudentes reposuerint.

Veteratorem a veteratore superatum exhibens haec fabula egregie cum Palamedis fabula congruebat. Multam autem ad ridendum materiam praebere potuit ludificatio Sisyphi, qui rerum repetundarum caussa ad Autolycum venerat, et mira rerum transmutatio. Satyros ab hoc dramate non abfuisse inde suspicari licet, quod quosdam eorum cum virginibus permutatos esse Tzetzes testatur. Extrema fabulae pars comessionem habuit, Autolyco Sisyphum convivio excipiente atque etiam filiae formosissimae hospiti copiam faciente. Hunc rerum eventum a Mercurio ipso in principio dramatis praedictum esse suspicor: nam Ulyssem, summum virum, ex stirpe duorum hominum callidissimorum procreari satis erat magna res, ut vel deus ei efficiendae merito operam daret.

Longe diversa ab hoc dramate fuit Sisyphi tragoedia, quam Critias scripserat tyrannus, quam quidem Plutarchus perperam Euripidi asseruit, verum auctorem Sexto Empirico demonstrante**). Eius fabulae argumentum Hyginus c. 60. reddidisse videtur. Ad eandem sine dubio Aristoteles Poet. 18, 6. respexit. Sisyphi prudentiam post Homerum Plato (Apol. Socr. p. 40. C. Cic. Tusc. I, 41, 98.), Aristophanes (Acharn. 390.) aliique celebraverunt; de impietate eiusdem deque supplicio apud inferos imposito neque hi neque Euripides cogitasse videntur.

*) Cum Scirone Sisyphum permutantes quidam (velut schol. II. I, 180. VI, 153. et schol. Stat. Theb. II, 380.) hunc a Theseo sublatum esse scripserunt. Ea permutatio in Euripidem, ut qui Scironis fabulam ipse exornasset, minime conveniebat.

***) Cf. Matth. p. 323 seqq.

XVII. De aemulis Euripidis.

Ciceronem miror, quid sentiens iocos Aristophanis non petulantes obscenosque esse iudicaverit. Haec enim in officiorum lib. I. c. 29. scripta inveniuntur: „Duplex omnino est iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt multaue multorum facete dicta, ut ea, quae a sene Catone collecta sunt, quae vocant *ἀποφθέγματα*. Facilis igitur est distinctio ingenui et illiberalis ioci. Alter, si tempore fit, remisso homine libero dignus, alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscenitas.” Atqui neque rerum ulla turpitudine neque verborum obscenitas ab antiqua illa comoedia abest, longeque illud genus iocandi a Socraticorum scriptorum lepore atque facetiis discrepat. Novam igitur comoediam Ciceronem dixisse necesse est, neque, quin removendum ex illo loco sit verbum antiqua et pro eo reponendum nova, dubitabis collatis Aristotelis verbis in *Ethic. Nicom. IV. c. 8, 6.*, quae Romanus orator imitatus est. Haecce enim summus ille philosophus de iocandi generibus disseruit: „Qui ridiculis immodice student, scurrae (*βωμολόχοι*) videntur esse sordidique (*φορτικοί*), facetias ubique affectantes magisque risum captare quam decora dicere et vitare molestiam studentes. Atqui increbrescentibus ridiculis, ubi plerique ludibriis gaudent et cavillando magis, quam par est, delectantur, etiam scurrae faceti appellantur, quasi lepidi; sed distare eos, et quidem longissime, ex iis, quae diximus, apparet. Dexteri autem est hominis ea et dicere et audire, quae decoro et liberali convenient. Multum enim inter ingenuum et servile, inter eruditum et rude iocandi genus interest: id quod ex antiquae et novae comoediae diversitate intelligitur: illa enim risum obscenitate verborum

movebat, haec tectis sententiis, id quod ad decorem valet plurimum." Eadem Euripidis sententia fuit, quam in Menalippae vinctae fabula professus est; cf. fragm. 29. Difficile est factu, ut obscœnis et quaecunque belluinae sunt naturae ii, qui risum sequuntur, plane abstineant, sed cum pudore iis utendum est, ut significantur modeste, non vaste depingantur. Meritissimo vero, ne contumeliis laederet neve maledictis morderet, comoediae interdictum est, iudice Horatio:

„sed in vitium libertas excidit et vim

Dignam lege regi: lex est accepta chorusque

Turpiter obticuit sublato iure nocendi."

Deserit enim officium suum poesis laedens eos, quos delectare debet, et privatae irae gratiaeque inserviens*). Recto igitur iudicio utens Phrynichum tragicum populus Atheniensium, quum expugnationem Mileti sic docuisset, ut propriorum malorum dolorem excitaret, pecunia multavit simulque, ne quis postea eiusmodi tragoedias in scenam deferret, interdixit. Idem populus comicos in eam partem peccare nunquam sustinisset, nisi gravissimos quosque et clarissimos viros plebis invidiae, penes quam erat summa imperii, poetae ambitiosi propinassent. Ceterum hi nunquam maiore usi sunt honore quam eo, quo dignae sunt Baubones. Testatur enim Aristoteles vix dignam habitam comoediam esse, quae chorum publice impetraret. Testatur Aristophanes (Equit. v. 418.) caducam fuisse poetarum gratiam, et Cratinum fame sitique confectum miseram senectutem traxisse, a popularibus contemptum. Ipse autem Aristophanes palam se in theatro, inspectantibus civibus et plaudentibus, castigatum verberibus per Cleontem esse fatetur, et tum quidem adulando hostem mitigasse, postea rursus momordisse. Denique Plato, quem falso credunt pectus Aristophanis plenum leporis epigrammate quodam praedicasse, servilis esse ingenii censuit ridicula imitari, et longe ab ingenuis naturis alienum, cuius verba haec sunt: „Turpium imitationem spectare quidem et cognoscere necesse est, quoniam sine

*) Adstipulatur Plato in Legg. XI. p. 935. E.

ridiculis severa, sicut omnium contrariorum contraria, intelligi nequeunt; facere autem idem nemo potest, qui vel paullulum sit honestatis particeps, sed ipsorum caussa cognoscenda sunt, ne quis per ignorantiam ultro faciat dicatque quae sint ridenda. Quamobrem servis aut peregrinis mercenariis, ut talia imitentur, imperandum est, ingenuorum autem hominum nemo unquam, neque vir neque femina, operam iis dare neque addiscere debet;" cf. Legg. VII. p. 816. E. Idem in Rep. III. p. 395. A., cum Aristotele consentiens, quae cuiusque naturae congrua essent, eadem unumquemque dicit imitari, graves quidem gravia, turpes autem turpia: quamobrem fieri nullo modo posse, ut idem poeta tragoedias et comoedias componat. Planum igitur est Socratem, qui est in symposio Platonis, cum cogeret Aristophanem ad concedendum, debere unum poetam et tragoediis et comoediis scribendis idoneum esse, hoc egisse, ut, damnata prisca comoedia, formam eam, quam postmodo Menander excoluit, solam probandam esse illi persuaderet. Sic non ii soli, qui ab ingenio saeculi, quo floruit antiqua comoedia, alieni erant, sed ipsi Aristophanis aequales et aequissimi quique iudices atque prudentissimi sententiam confirmant Plutarchi breviario comparationis Aristophanis cum Menandro copiose expositam; cf. Plutarch. opp. T. II. p. 853. (446.). Is autem cum alia tum illud recte effatus est, vafritiam illius non esse civilem, sed malignam, rusticitatem non simplicem, sed stolidam, risum non festivum, sed procacem, amores non amoenos, sed lascivos, neque cuiquam illum modesto scripsisse, sed foeda quidem et obscoena protervis, opprobria autem et maledicta invidis atque malignis. Idem Lucianus, Aelianus aliique iudicarunt; cf. T. I. p. 239. Horatius autem, quamvis Aristophanem in scribendis satyris imitaretur, tamen improbavit hominum quasi trivio conceptorum et educatorum stercore mores cum dictis immundis atque ignominiosis:

„Offenduntur enim, quibus est equus et pater et res,
Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emptor,
Aequis accipiunt animis donantve corona.”

Nostra demum aetate, plurimorum monstrorum parente,

eo quidam processerunt recordiae, ut multo graviores Aristophanis fuisse quam omnium eorum, quos ille contumeliose tractasset, auctoritatem dignitatemque vulgo persuaderent. Quod iudicantes non liberalium scriptorum, sed grammaticorum quorundam, litteratorum illorum quidem, sed plebeiorum, sententiam secuti sunt.

Dixit Aristophanes se foeda, quibus risum aemuli excitare studerent, spernere; dixit idem se omissis vilibus hominibus potentissimos quosque forti animo invadere, scilicet saluti patriae unice studentem: quod utrumque mentitus est. Cleontem autem et Socratem et Euripidem quod arripuit, civium parte magna et quidem potentium fretus erat atque optimatum factioni operam locaverat. Ab optimatum autem partibus etiam Aeschylus steterat, cuius ille causam suscepit contra Euripidis auctoritatem defendendam, iisdemque Sophocles tutus erat*). Ceterum Euripidis conditio cum Aeschyli collata eadem erat, quae Horatii comparata cum Lucilii. Etenim hic, quamvis saepe rudia atque incondita antiquiorum scriptorum carmina esse argueret, quamvis politiora ipse componendo quid rectum esset exemplis ostenderet, tamen nunquam, quoad vixit, potuit ineptam priscorum admirationem e popularium animis evellere; mortuo demum ipso sententia mutata est vicitque veritas. Quanta enim veneratione Aeschylum Athenienses defunctum prosecuti sint, inde intelligitur, quod fabulas eius correctas in certamen deferre posterioribus poetis permiserunt, ac filium eius Euphorionem patris tragoediis certantem quater coronaverunt, idque fecerunt praestantissima Euripidis carmina postponentes; cf. T. I. p. 328. Cuius iniquitatis causam partim tarditatem fuisse seniorum, quorum mores Aristophanes in Vespis depinxit, partim optimatum pertinaciam facile est intellectu.

*) Cf. quae C. F. Hermann. in annal. critt. Berolin. 1843. p. 556. seqq. acutissime explicavit. Athen. XIII, 81: τὰ δὲ πολιτικὰ οὔτε σοφὸς οὔτε ἑκκλήσιος ἦν, ἀλλ' ὡς ἂν εἰς τις τῶν χρηστῶν Ἀθηναίων. A Cimone principio auctus rempublicam saepius et legatus et praetor administravit. Post cladem in Sicilia acceptam superantibus optimatibus πρόβουλος fuit; cf. Aristot. Rhet. III, 18, 6.

Hos enim comicus facit *μινυρίζοντας μέλη ἀρχαιο - μελι - σιδωνο - φρονιχ - ἤρατα* (Vesp. 220.), hos dicit ab histrionibus reis demulceri recitandis pulcerrimis quibusque Niobae locis, quam Aeschylus scripserat fabulam (v. 585.); tum Philocleontem facit ebrium priscorum tragicorum carmina per totam noctem saltare nugasque esse recentiorum tragoedias dicere; item Strepsiadem, qui est ex eadem disciplina, inducit a filio, ut aliquid Aeschyli canat, petentem: quo spernente poetam plenum strepitus, incongruum ac turgidorum pompa verborum gloriosum, ille graviter dolens vixque temperans irae admodum acerbe: „Tu iam,” inquit, „recentiorum istorum aliquid, qualiacunque sunt illa sapientia, recita” (Nub. 1364 seqq.). Hic fuit maiorum natu civium in Aeschylum Euripidemque animus, prorsus similis ei, quo Augusti temporibus Romani priscos admirantes aequales scriptores contemnebant:

„*Hos ediscit et hos arto stipata theatro*

Spectat Roma potens, habet hos numeratque poetas.”

Subiicit causam favoris Horatius:

„*Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt,*

Vel quia turpe putant parere minoribus et quae

Imberbes didicere, senes perdenda fateri.”

In pari igitur causa non est mirandum, quod pariter indignans Euripides a reprehendendo Aeschylo parum abstinuit, id quod tribus in tragoediis factum esse videmus. In Supplicum enim fabula septem illos, qui in Thebis oppugnandis occiderint, respiciens Theseum fecit ex Adrasto virtutes singulorum hisce verbis seiscitantem: „Dic, ut prudentior, iunioribus horum popularium: gnarus enim rerum es. Vidi autem eorum maiora, quam verbis dici queat, facinora, quibus capere urbem conabantur. Illud tamen unum non interrogabo, ne sim ridiculus, cum quo quisque in pugna contulerit pedem, vel cuius adversariorum hasta vulneratus sit. Vanas enim tales sunt orationes non minus iis, qui audiunt, quam iis, qui dicunt, si quis, qui stetit in pugna, crebris ob oculos ictibus commean- tibus, pro certo nuntiet singulorum virtutes. Quare neque quaerere talia queam neque fidem habere narrantibus. Etenim vix aliquis ipsa necessaria cernere stans contra ho-

stes possit." Eandem fabulam rursus in Phoenissis perstringit, ubi Eteoclem induxit haecce dicentem: „Hinc ad moenia profectus ad septem portas totidem collocabo duces, pares paribus opponens. Nomina autem singulorum recensere multa foret mora, hostibus in ipsa iam moenibus haerentibus; sed ab eo, ne ab opere cessent manus*)." Manifestissime vero in Electrae dramate ridet quae inepte ab Aeschilo seniore inventa fabulae insunt inferias mittentium, ubi senem quendam decrepitem quasi delirum fingit cincinnum in tumulo Agamemnonis inventum afferre Electrae eamque monere, ut cum suis crinibus componat: nam si idem sit color, fratris de capillis illum cincinnum desectum esse scilicet planum fore arbitratur. Cui Electra: „Vix homine prudente digna loqueris, si metu Aegisthi clam fratrem meum animosum in hanc putas terram profectum esse. Capillus vero capillo quomodo congruat, alter viri liberalis palaestra cultus, alter mulieris pectine? At impossibile est! Multis insuper videas pares esse capillos, qui non sint consanguinei." His auditis senex etiam absurdus: „At tu," inquit, „vestigium tuum calcei in illius vestigio ponito, ut pedum forma an congruat explores." Quasi vero in solo duro pedum imago exprimatur! et si vel maxime exprimeretur, duorum germanorum pedes, viri et feminae, nunquam sunt aequales, sed masculus superat. Sic refutatus, absurdissimum omnium fingit senex, adfore Orestem veste, in qua expositus esset, indutum, unde potestatem fore agnoscendi. Tum Electra: „Non reputas me, quo tempore solum vertit Orestes, etiamtum teneram fuisse; si autem texuissem, quomodo vir eadem veste, qua puer, uti potest, nisi forte cum ipso corpore simul crescunt vestes?" Profecto illa Aeschyli inventa crassae sunt negligentiae hebetisque ingenii, neque sufficit excusatio, quod animos dicunt anxios curisque depressos etiam ex vanis saepe rebus spem captare. Alia enim vana atque absurda sunt; absurda autem

*) Schol.: πεφύλκται τὰς ὀνομασίας αὐτῶν εἰπεῖν, ὡς φησι Δίδυμος, διὰ τὸ ὑπὸ Ἀισχύλου εἰρησθῆναι ἐν τοῖς ἐπιτά ἐπὶ Θήβαις; cf. Aesch. Sept. c. Th. v. 375 seqq.

sola Euripides arguit. Eiusmodi rebus omnes Aeschyli fabulae refertae sunt, ut non solum spectatores stupefacere rerum horrendarum vastitate, sed stupere revera etiam ipse videatur. Contra Euripides non tantum subtilissimus, sed etiam diligentissimus scriptorum multique laboris erat. Quod intellexit Dio Chrysostomus, nihil apud eum neglectum esse dicens (οὐδὲν παρ' αὐτῷ παραμελημένον). Ac de lucubratione sua Euripides ipse gloriatus esse traditur. Nam quum apud Alcestorem, tragicum poetam, quereretur, quod eo triduo non ultra tres versus potuisset maximo impenso labore deducere, atque is se centum perfacile scripsisse gloriaretur: „Sed hoc,” inquit, „interest, quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficient.” Subiicit Valerius Maximus, qui haec memoriae prodidit (III, 7. ext. 1.), alterius fecundi cursus scripta intra primas memoriae metas corruisse, alterius cunctante stilo elucubratum opus per omne aevi tempus plenae gloriae velis ferri. Eodem redeunt pleraque eorum, quae arguit Aristophanes: nam varium, vastrum versutumque esse Euripidem ait, personarum, quas effinxit, mores in ipsum transferens, Aeschylum autem crassum, vastum importunumque, item illum diligentem, acutum, subtilem, argutum, neque haec in actionibus solis, verum etiam in carminibus conspici. Itaque eum scorto cuidam duodecim utenti concubitus figuris similem esse (ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον Κυρήνης μελοποιῶν) et ab universis meretricibus, a Mileti scoliis, a Caricis tibiciniis, naeniis, choreis petita carmina conguessisse, fecitque olla fictili pro lyra utentem de halcyonibus garrientibus, de araneis textentibus, de delphinis argute stridentibus, de spiris pampinorum deque omnibus rebus subtilibus canentem, cum Aeschylum exhiberet arma et monstra, cithara perpetuo fastidiosum illud τοφλαττόθρατ obstrepente, crepantem. Quarum criminationum haec quidem, quae ad choros pertinet, iis, quae Aristoteles in problem. XIX, 48. scripsit, repellitur: quo loco docet magnificentiora scenicis personis, ut regibus vel heroibus, familiaria autem choro, ex plebeis constanti, convenire, eamque ob ipsam rem subdorium quidem concentum, ut magnificum et gravem, monodiis

sive canticis, choris autem tranquilliores modos ac flebiles, ut humaniores, destinatos esse: esse enim chorum clientem quendam otiosum, et benevolentiam dumtaxat iis, quibus adsit, praestare. Ad reliquum autem scribendi genus quod attinet, pleraque in Euripidem conveniunt eorum, quibus Cicero (Orat. 23.) verum illud et sincerum Atticorum genus depinxit: „Submissus est,” inquit, „et humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re plus quam opinione differens. Itaque eum qui audiunt, quamvis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se posse dicere. Nam orationis subtilitas imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experiēti minus. Etsi enim non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut, etiam si illis maximis virtutibus careat, sit (ut ita dicam) integra valetudine. — Ut mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipsum deceat: sic haec subtilis oratio etiam incompta delectat. Fit enim quiddam in utroque, quo sit venustius, sed non ut appareat*). Removetur omnis insignis ornatus quasi margaritarum, ne calamistri quidem adhibentur. Fucati vero medicamenta candoris et ruboris omnia repelluntur (*ληκύθιον ἀπόλεσεν*): elegantia modo et munditia remanet. Acutae crebraeque sententiae ponuntur et nescio unde ex abdito erutae atque in hoc oratore (poeta) dominantur etc.” Hac igitur fretus valetudine Euripides patienter tulit comicorum depravationes, cum Gallorum tragici, Racinius et Voltarius, eadem affecti iniuria, spumas agentes in ore, furentes ira, vim sibi fieri clamitarint; neque ille habuit, quod cum La-Mottio quereretur carituras fabulas vi movendi, ex quo risus iisdem rebus excitatus esset: durarunt enim adversus impetum hostis omnium, qui existere potuerunt, gravissimi, ut ne illud quidem eveniret, quod hic, quum mortuum interficere studeret, minatus est, extincta cum ipso fore carmina Euripidis: recentes enim a spectaculo Ranarum Athenien-

*) Longin. de subl. 17: διόπερ καὶ τότε ἄριστον δοκεῖ τὸ σχῆμα, ὅταν αὐτὸ τοῦτο διαλανθάνῃ, ὅτι σχῆμά ἐστιν.

ses eodem honore, quo quondam Aeschylum, illum dignati sunt, ut fabulas defuncti filio docere permitterent. Idque tribuerunt ei poetae, qui parum se popularium voluntatem curare palam professus erat, de qua re haecce scripsit Valerius Maximus III, 7. ext. 1: „Ne Euripides quidem Athenis arrogans visus est, cum, postulante populo, ut ex tragoedia quandam sententiam tolleret, progressus in scenam dixit se, ut eum doceret, non ut ab eo disceret, fabulas componere solere. Laudanda profecto fiducia est, quae aestimationem sui certo pondere examinat, tantum sibi arrogans, quantum a contemptu et insolentia distare satis est.” Plane ac perspicue his Euripides se, quale esset officium poetarum, intelligere ostendit. Idem significavit, cum Hygiaenonti sive Hygiaeneto, a quo in lite de antidosi instituta improbitatis arguebatur, quod in Hippolyti fabula posuisset illud *ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ'*, *ἡ δὲ φρῆν ἀνώματος*, respondit iniuste eum facere, ex Dionysiaco certamine iudicia in forum traducentem. Ibi enim se reddidisse rationem, et redditurum iterum, si vellet accusare. Idem contra Aristophanem dictum esse puta. Diligentiam autem et lucubrationem quod cavillabantur adversarii, licuit ei idem, quod Demosthenes Pythaeae respondit, dicere: „scio lucernam meam vobis molestam esse.” Non minus enim, quam hic, sublimitatem cum subtilitate coniunxit, vitato tumore, ut idem limatus et incitatus, enucleatus et sublimis, acutus et ardens appareret, id quod et difficillimum et perfectissimum esse recte iudicavit Crantor philosophus, Euripidem cum Homero unice admirans, operosum enim esse censuit servata proprietate magnifice simul et cum effectu scribere, idque Homero et Euripidi maxime omnium contigisse. Convenit igitur in Euripidem quod Longinus de subl. 18. scripsit: *ἀγχι τὰ παθητικὰ τότε μᾶλλον, ὅταν αὐτὰ φαίνηται μὴ ἐπιτηδεύειν αὐτὸς ὁ λέγων, ἀλλὰ γεννᾶν ὁ καιρός.* Idem hic, quanquam eum minus natura sublimem esse iudicavit, tamen leoni illi similem esse dixit vulnerato, quem depinxisset Homerus (Il. XX, 166): „Is primum quidem negligens incedit, at postquam iuvenum aliquis hasta percussit, contrahit sese rictu hiantē, spuma cir-

cum dentes tumente, pectore firmo intus gemente; tum cauda latera et inguina utrimque verberando se ad pugnandum ipse incitat." Itaque ille inflammationem animi sive affectum furoris divini (*ἐνθουσιαστικὸν πάθος*) minime Euripidi defuisse censet, cuius magnificentiae exempla ex ipsius scriptis plurima profert (cf. T. I. p. 320 seq.). Idem, „Aeschylo," inquit, „species tentante maxime illas quidem heroicis, sed interdum rudes, illaboratas crudasque, non est deterritus Euripides, quominus per aemulationem pericula eadem adiret."

Tertius occurrit aemulus Sophocles, in quem Euripides, si epistolarum, quae sub eius nomine feruntur, auctori credimus, non similiter semper affectus fuit, neque tamen unquam eum odio habuit. Quum antea perpetuo admiratus esset, sed quominus aequaliter amaret suspicione obtreactionis prohiberetur, lubentissime in amicitiam recepit ultro se offerentem et solvi simultatem cupientem. Inde ab eo tempore inter se amare nunquam desierunt. Haec confirmantur versu quodam Aristophanis, quo Sophocles praedicatur facilis commodusque non minus inter mortuos quam antea inter vivos esse (Ran. 82.):

ὁ δ' εὐκολος μὲν ἐνθάδ'; εὐκολος δ' ἐκεῖ.

Neque reprehensio aemuli inest verbo, quo Sophocles diversa ratione se atque illum vera imitari significavit. Nam quod comicus eum fecit affirmantem se, si Aeschylus ex certamine discessisset superior, quieturum esse, sin Euripides vicisset, cum hoc de principatu contenturum, his ille magis suam, quam Sophoclis, sententiam demonstrasse videtur. Certe enim hic in fine aetatis, quum tantopere eum Euripides gratia vinceret, quanto vicisse ex Ranis Aristophanis intelligitur, liberum se obtreactione esse signo minime ambiguo declaravit: nuntio enim de Euripidis obitu allato, non tantum ipse pullatus luxit amicum, sed etiam chorum atque actores iussit, cum tragoediis certaret, lugubribus indutos vestibibus prodire*). Meritis laudibus non destituitur Goethii Schillerique amicitia: quanto

*) Append. vitae Eur. ab Emsl. editae in mus. Rhenano anni 1833. p. 297.

enim magis et naturis et sententiis discrepabant quantoque acrior intercedebat gloriae aemulatio, tanto praestantior apparet sapientia, tanto sublimior animorum magnitudo, qua concordiam, missa obtrectatione, iunxerunt. Non minus magna Sophoclis Euripidisque diversitas fuit neque minus difficilis conciliatio, et caussa quoque diversitatis similis fuit. Nam Euripides quidem tum philosophiae et poeseos coniunctione, tum morum severitate, tum industria ac labore, quo suam ipse naturam superare studebat, tum eo, quod virtutem ex voluntate magis liberoque arbitrio, quam ex natura, pendere censebat, quodque perfecta virtutis exemplaria non ex rebus externis magis, quam ex generosis animorum consiliis provenientia effinxit, his, inquam, aliisque rebus, quas recensere longum est, similitudinem quandam prae se fert Schilleri. Contra Sophoclis natura naturae Goethii multis modis respondet, quod indolis bonitati magis quam industriae confidens neque ipse invita natura quicquam molitus est neque personas exhibuit supra naturam suam contentione virium elatas, quod nimia omnia aversatus temperamentum quoddam rebus verbisque adhibuit et ad modum modestiamque priorum vasta et insolentia revocavit. Descendendo enim ex cacuminibus nimis in sublime fastigatis hic, Euripides vero enitendo ex campo rerum vulgarium atque evehendis exaggerandisque consuetis ambo in gradu constiterunt eo, qui dignitati cothurni tragici accommodatus est. Adde, quod venustate Sophocles et dulcedine praestat orationis, magisque aequabili verborum gravitate, quam sententiarum luminibus, tenet spectatores. Gravissimum vero est, quod hic fatali necessitati homines induxit succumbentes et perferendo exspectandoque irae finem divinae nanciscentes, Euripides vero nihil usquam virtute divinius esse censuit, neque fato magis, quam conspiratione bonorum et lege quadam perpetua atque aeterna, imperante recta prohibenteque contraria, duce vitae et magistra officiorum, res humanas administrari: qua in re et ipsa cum Schillero consensit, cuius est celeberrimum illud: die Weltgeschichte ist das Weltgericht. Itaque Sophoclis gravissimae quaeque tragoediae comprobare videntur sententiam, quam

Goethius in opere eo, quo citharoedum, alterum Oedipum Sophocleum, effinxit, professus est:

Wer nie sein Brod mit Thränen aß,
 Wer nie die kummervollen Nächte
 Auf seinem Bette weinend aß,
 Der kennt euch nicht, ihr himmlischen Mächte.
 Ihr führt ins Leben uns hinein,
 Ihr laßt den Armen schuldig werden;
 Dann überlaßt ihr ihn der Pein:
 Denn alle Schuld rächt sich auf Erden!

Contra Euripidis et carmina universa et perfectissimae quaeque virtutis imagines docent ea, quae Posa Schilleri factis dictisque ostendit:

„Ob er vollende oder unterliege,
 Ihm einerlei! Er lege Hand an!“ etc.

Promethei quidam sunt et consiliorum audacia et animorum magnitudine personarum Euripidis eae, quas tanquam exemplaria, quae imitaremur, proposuit; neque tamen contumacia et confidentia, sed virtute, magnificentia studiorum, libertate animorum cum diis contendunt. Nimia vitia nimiasque animorum perturbationes ab eo exprimi poeta, qui nimias virtutes depinxit, et furoris affectum amorisque eundem frequentissime imitari, qui sapientiae praestantia quanta esset ostendere voluerit, plane necesse est. Apud Sophoclem vero neque virtutes neque vitia modum excedunt et dominatur mansuetudo quaedam epicis magis quam tragicis rebus idonea. Comparatis utriusque poetae laudibus, neutrum alteri praefendum esse veteres communi fere consensu iudicarunt, a quorum aequitate longe abfuerunt recentissimi nostratium, qui audire debuerunt Ciceronem haec in lib. de orat. III, 7. disserentem: „Natura nulla est, ut mihi videtur, quae non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quae tamen consimili laude dignentur. Nam et auribus multa percipimus, quae, etsi nos vocibus delectant, tamen ita sunt varia saepe, ut id, quod proximum audias, incundissimum esse videatur; et oculis colliguntur paene innumerabiles voluptates, quae nos ita capiunt, ut unum sensum dissimili genere delectent, et reliquos sensus volupta-

tes oblectant dispares, ut sit difficile iudicium excellentis maxime suavitatis. At hoc idem, quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes. Una fingendi est ars, in qua praestantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus, qui omnes inter se dissimiles fuerunt, sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. Una est ars ratioque picturae, dissimillimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles, neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua deesse videatur. Et, si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum, quanto admirabilius in oratione atque in lingua? quae quum in iisdem sententiis verbisque versetur, summas habet dissimilitudines, non sic, ut alii vituperandi sint, sed ut ii, quos constet esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur! Atque id primum in poetis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius Attiusque dissimiles, quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quanquam omnibus par paene laus in dissimili genere scribendi tribnatur.”

Naturae ipsius lege hoc praescriptum esse videtur, ut ternorum fere principum contentioni singularum artium spatia sufficerent utque emensis spatiis, quae fata destinarunt, eadem a summis perfectionis fastigiis rursus relabentes degenerarent. Proximum tamen illis triumviris tragicis locum Agathon, id quod omnium constat testimoniis, occupavit. Etenim ipse Aristophanes, quum antea eum, ut familiarem Euripidis intimaque cum eo amicitia iunctum, contumelia affecisset, in Ranis (v. 84.) dixit esse

ἀγαθὸν ποιητὴν καὶ ποθεινὸν τοῖς φίλοις.

Amicitiae autem Euripidis plura exstant testimonia: quid, quod etiam corporis tactus pulcritudine flagrasse amore iuvenis et fabulam Chryssippi componens suum affectum in Laium transtulisse putabatur? quorum hoc falsum esse, praecunte Welckero, affirmare non dubitavi T. I. p. 135. Neque idem pro certo retulit Aelianus II, 21., sed fama divulgatum esse testatus est. Eiusdem generis est, quod dicitur Euripides, quum una cum Agathone apud Archelaum, regem Macedonum, versaretur, amasium qua-

draginta annos natum barbatumque in convivio osculatus esse et quaerenti Archelao, num amabilis Agathon etiam nunc illi esse videretur, respondiisse venustorum non ver solum, sed etiam autumnum pulcrum esse; cf. Aelian. V. H. XIII, 4. Plutarch. Amat. p. 320. (770.) et Apophth. regum ducumque p. 106 — 107. (93 — 94.).

Electrae causa hanc disputationem praemisi, quam fabulam una cum Helena et Andromeda commissam in certamen esse non minus confidenter affirmarim, quam si didascaliarum testimonio constaret. Andromedam autem octavo anno ante Ranas Aristophanis doctam esse dicit schol. Aristoph. Ran. v. 53: *ἡ γὰρ Ἀνδρομέδα ὀγδόῳ ἔτει προῆκται*. Unde, quum Ranas anno 405. doctas esse constet, Andromedam anno 412. sive hieme Olympiadis 91, 4. commissam esse intelligitur*). Accedit alterum testimonium schol. Arist. Avv. 348., Andromedam, quo tempore Aves docerentur, i. e. Ol. 91, 2. (anno 414.), nondum fuisse editam (*μηδὲ διδαχθείσης τραγωδίας*). Una cum Andromeda Helenam doctam esse schol. Thesmoph. v. 1012. declarat: *συνδεδίδακται γὰρ (ἡ Ἀνδρομέδα) τῇ Ἑλένῃ*. Electram quoque cum Helena coniunctam fuisse, et quidem sic, ut illa in principio tetralogiae posita praecederet, haec sequeretur, nemine dicente, ex hisce colligo indiciis. Praedicitur enim novae illius Helenae**) adventus in fine Electrae hisce verbis:

— — Πρωτέως γὰρ ἐκ δόμων
ἦκει λιποῦσ' Αἴγυπτον, οὐδ' ἦλθεν Φρύγας·
Ζεὺς δ', ὡς ἔρις γένοιτο καὶ φόνος βροτῶν,
εἶδωλον Ἑλένης ἐξέπεμψ' εἰς Ἴλιον.

His verbis ad expectandam proximam fabulam animi commode praeparabantur, id quod profecto non erat superfluum. Nemo enim unquam de Aegyptia illa Helena

*) Recte Zirndorfer de chronol. fab. Eurip. p. 75. not. 8. „Mimime,” inquit, „anno 413., quem Samuel Petitus Misc. III. p. 167. statuit: quia tum dixisset *ὄντῳ ἔτεσιν*, ut v. g. schol. ad Vesp. 1326. *ἑπτὰ ἔτεσιν*.”

***) Aristoph. Thesm. 850: *τὴν καινὴν Ἑλένην μιμήσομαι*; cf. Fritzschiū notam.

cogitaverat praeter Archilochum, qui morbo laborans avertere daemonis iram studuit retractando revocandoque quae in Helenam congesserat probra; neque Euripides ipse aut antea aut postea, quam novam hanc Helenam in vulgus ederet, ullam eius mentionem fecit, in accusanda Troica Helena omnium constantissimus.

Idem tempus tragoediae huius in certamen demissae Bergkii apud Welckerum p. 1587. ex Dioscurorum verbis coniecit pronuntiantium, se in Siculum mare ad servandas naves (Atheniensium scilicet) abituros esse, simulque violati iurisiurandi poenas a scelestis exacturos:

νῶ δ' ἐπὶ πόντον Σικελὸν σπουδῆ,

σῶσοντε νεῶν πρώρας ἐνάλους κτλ.

Idem vir doctus, quod crimen periurii ad unum Alcibiadem pertinere putavit, errasse videtur. Parum enim opportuno tempore in illum Euripides invectus esset, neque minus iuste Syracusani, quam cives, accusabantur. Reminiscendum enim est illorum, quae Thucydides VII, 82 seqq. memoriae prodidit: „Gylippus et Syracusani denuntiant primum, si quis ad se transire vellet insulanorum, liberum fore. Transierunt aliquot, nec tamen multae civitates. Mox deinde reliquis omnibus, qui cum Demosthene erant, oblata est conditio, si traderent arma, neminem eorum morte affectum iri aut violentia aut vinculis aut inopia rerum ad victum necessariarum. Atque ita dedidere se ipsos cuncti, numero sex millia, omnemque pecuniam, quam habebant, deposuerunt effusam in scuta resupinata, qua pecunia quattuor scuta replevere, statimque in urbem a Syracusanis deducti sunt.” Hi deinde non minus, quam Niciae milites, qui nulla pactione in hostium potestatem pervenerant, in lautumias sunt missi, ac Demosthenes quoque cum Nicia interfectus est. Addit Thucydides: „Ad interneccionem, ut aiunt, et peditatus et classis et omnino omnia interierunt, et pauculi e multis domum reversi sunt.” Horum, qui etiamtum servitutem serviebant, vel mendici inter hostes errabant, servandorum spem ostendunt Dioscuri:

— — τούτους χαλεπῶν

ἐκλύοντες μόχθων σώζομεν.

Reliquos autem propter improbitatem atque iniustitiam vel suam vel eorum, quibuscum navigavissent, interisse significant

οὕτως ἀδικεῖν μηδεὶς θελέτω
μηδ' ἐπιόρκων μετὰ συμπλείτω.

Ad Alcibiadem haec quin pertineant, non dubitabis, si quae in Troadum didascaliam insunt ad illius consilia et expeditionem eius impulsu susceptam spectantia reputabis. Ceterum, hoc excepto loco, noluisse Euripides amplius vituperare extorrem videtur, recordatus sine dubio virtutes non minus, quam vitia, viri in perniciem tum ipsi tum patriae cessisse, et multum reipublicae consilia eius profutura fuisse, nisi esset inimicorum invidia prohibitus. Nam quod et animi corporisque dotibus et fortunae bonis vulgarem modum excedebat, parum commodus esse aequalitati imperii popularis et imminere ceterorum libertati videbatur: unde factum est, ut plerique affligi rempublicam mallent, illo a gubernaculo civitatis in tempore maxime necessario remoto, quam, eodem administrante, vinci hostes et patriam triumphare. Et insolentia Alcibiadis ipsa inde nata erat, quod neminem in ulla re sibi parem esse intelligebat. Ceterum nihil dum mali patriae ex moribus eius illatum erat, contra ex ingenii sollertia plus commodi, quam omnibus prioribus proeliis effectum. Ingens enim ab eo fuit res perpetrata, ut qui paene universam dissociasset et concussisset Peloponnesum, atque uno die tot legiones ad Mantineam Lacedaemoniis obieciisset certamenque iis et periculum remotissime ab Atheniensium finibus conflasset, in quo illi non multum operae pretium facerent, si superiores discessissent, sin victi essent, vix possent esse incolomes. Post illud proelium idem potentiam Argivorum iis, qui populari imperio et rebus Atheniensium studebant, restituit, utque longis muris ad mare deductis civitatem Atheniensium urbi annecterent, auctor fuit. At proceres Atheniensium execrabantur eum et metuebant ingenium eius, ut tyrannicum atque monstrificum. Quorum invidia quamvis flagraret Alcibiades, tamen plebis favore tutus erat. Largitiones enim ludorumque exhibitiones et munificentia in civitatem, quibus addi nihil poterat,

tum claritas maiorum, dicendi vis, corporis et decor et robur cum militaris rei coniunctum peritia et virtute efficiebant, ut in reliquis conniveret et moderate ferret vitia populus, cuius quinam in Alcibiadem animus fuerit, egregie dicit versus Aristophanis:

ποθεῖ μὲν, ἐχθαίρει δέ, βούλεται δ' ἔχειν.

Itaque quum insigni utens calumnia factio optimatum, ut accusandi Alcibiadis materiam perdendique potestatem nancisceretur, Hermas noctu truncandos curasset, ne sic quidem quae voluit assecuta est, una voce et nautis militibusque Atheniensium et sociis illum imperatorem poscentibus. Et prodiit in concionem Alcibiades postulans, ut de se sine mora iudicium fieret, durum enim esse, relictis criminibus, periculo suspensum se cum tanto exercitu in expeditionem mitti, ac decere aut multari se, si purgare crimina nequisset, aut, si insons compertus esset, liberatum calumniatorum metu operam hostibus dare vincendis. Nec tamen inimici a consilio absentem aggrediendi destiterunt: quem ab exercitu removentes et patria pellentes, quid aliud quam classem maximis civium sumtibus exstructam cum amplissimo exercitu ipsi pessumderunt et fecerunt patriam hostibus succumbere!

Confer cum Alcibiade Helenam: cuius primum quidem mira formae praestantia in perniciem et Graecis et Troianis vertit; tum infamia atque invidia insons flagrat, et a patria exsulans potestate caret criminum purgandorum; denique omnis vita eius et fortuna monstri instar est et consuetum modum moremque excedit (cf. v. 260.). Insons erat Alcibiades eorum, propter quae patria exulabat. Videtur igitur Euripides optasse, ut restituto potestas fieret tum diluendorum criminum tum benefactis priorem famam abolendi: et poterat solus ille ad restituendam rem perditam idoneus esse videri.

Sunt autem Electrae et Helenae fabulae quodammodo continuatio tetralogiae, quam tribus ante annis in certamen commissam esse docuimus. Quinque igitur noster vel sex tragoediis fabulas ad bellum Troianum pertinentes illustravit, quas quidem tragoedias in duas didascalias sic distribuit, ut similia argumenta cum similibus coniungerentur.

Nam feminae praestantes virorum fortium virtute et inopinato adventu a malis et contumeliis liberatae omnibus tribus tragoediis, quas haec complectitur didascalica, exhibentur. Atheniensium conditio quin his fabularum argumentis per similitudinem quandam significetur, non dubito. Etenim illi clade Siciliensi ab egregia spe deiecti et hostium superbiam et sociorum perfidiam metuebant: e quo discrimine non videbantur, nisi inopinato auxilio viri alicuius talis, qualis Themistocles fuerat, servari, qui exhaustis civitatis viribus sui ingenii opibus mederetur et a fortitudine peteret ad restituendam rem perditam subsidia. Spem igitur et desiderium civium imitatus esse his fabulis Euripides, ut erigeret animos afflictos imaginibus, quibus solis poterat, videtur.

A. E l e c t r a.

In terminis terrae Argolicae scena dramatis constituitur; prodit ante lucem ex aediculis, in quibus habitat, operarius pauper, sed ingenuus, cui nuptum data est Electra. Is igitur ad spectatores conversus rerum statum exponit haecce narrans. Agamemnon, quum victor ab eversa Troia reversus spolia barbarorum in templis Argivis fixisset, dolo uxoris, manu Aegisthi iugulatus est. Quo regnum obtinente, Orestes furtim per paedagogum patris Strophio est Phocensi traditus, Electrae autem necem Aegisthus machinatus est, timens, ne cui nobili prolem pareret, quae caedem ulcisceretur. A primoribus enim Graeciae viris matrimonium eius expetebatur. Intercedente matre, operario eam nobili quidem stirpe nato, sed egeno, collocavit: qui quum et ingenuis moribus esset et continens modestusque, infortunio virginis insultare noluit, sed integram servavit reditum Orestis exspectans, quem frustra Aegisthus aurum pollicendo, si quis occidisset, de medio tollere conabatur.

Mortem igitur Electra simulato matrimonio effugit sicut apud Goethium filia illa spuria, et est utriusque virginis

eadem conditio, sponte iure suo cedentibus maritis. Eam continentiam hominum praecepta philosophiae sequentium si qui minus verisimilem esse iudicant*), „hi se prava suae mentis regula alienam virtutem metiri sciunt ipsosque ab honestate alienos esse.” Plane incredibilia Sophocles finxit, licuisse viragini feroci et contumaci in domo tyranni per plura lustra degere, quum quotidianis lamentis, opprobriis, maledictis et ipsum et matrem vexaret neque iracundiam atque ulciscendi cupidinem unquam celaret; tum repente placuisse illam carcere vivam includi, scelere minime necessario. Quod vitium cum aliis, quibus Sophoclis carmen laborat, noster emendavit. Non est in ipsum oppidum Orestis fugitivo neque in domum tyranni a satellitibus, ut par est, custoditam intrandum; non in media urbe atque in vico frequentissimo consilia sunt secreta agitanda, neque Electrae ante ipsas regiae fores clamores tollendi, dum agnito fratre laetitia effertur; non securus tyrannus vitam agit, quem timidum esse ac suspiciosum decet, neque temere domum parum munitam deserit, nulla vel abeundi vel redeundi caussa apparente; nulla persona sororis inducitur nulli rei utilis, nisi ut sua molitiae monstrum viraginis commendet; non temere tragoedia excitatur, cuius excitandae quovis die tantumdem caussae fuerit quantum hodie; denique non disputationibus maior dramatis pars conficitur, neque otiosum est initium, actuosus finis, sed perinde prima, media, postrema factis eventibusque temperata sunt.

Boves in agrum acturus ad arandum prodiit operarius. Qui quamvis tanti habeat Electram, ut nihil ab ea operum, quae sint Agamemnonis filia indigna, suscipi velit, tamen haec, ne generositate ab illo superetur, domestica gnaviter administrat, levare labore studens hominem deorum instar pro beneficiis colendum. Itaque ipsa quoque sub crepusculum surrexit urceo capiti imposito aquam de fonte petitura. Vacuefacta scena Orestes cum Pylade prodit, a tumulo patris veniens, quem hac nocte et comae

*) Vehementer eam miratus est et plane incredibilem esse iudicavit Victorius.

primitiis et lacrimis et maciata ove donavit. Confinia terrae adiit, unde statim, si quis cognosset speculatorum, fuga in aliam terram se reciperet, rerum, quae in urbe gererentur, statum exploraturus simulque sororem quaerens, quam connubio iunctam ibi habitare audivit, ut eam nactus sociam consilia cum ea communicaret. Quae ex obviis sciscitaturus, postquam Electram conspexit ancillarum more de fonte redeuntem, de via decedit et in propinquo loco occultatur.

Flens Electra progreditur, memor suorum malorum, memor patris iugulati, memor fratris exulantis. Tum deposito urceo naenias patri defuncto nocturnas magna voce cantat, miserum indignumque eius interitum deplorans. Cum prima deinde luce virgines viciniae Electram adeunt, ad sacra Iunonis publica forte indicta invitaturae, monentque, ut vestibis auroque venuste ornata, choris adiuncta, communis laetitiae particeps, pellat aegritudinem. Quibus illa longe suas res a festis chorisque abhorrere ostendit, neque comam horridam et vestium pannos cum mundi deliciis congruere: ac dudum se suosque a diis negligi, patre clarissimo occiso, fratre inter externos errante, ipsa procul a domo paterna in egestate degente, matre coniugio parricidae utente.

Haec parodus multo quam Sophoclis elegantius est inventa; haec Electra longe quam illius Electra et amabilior et miserabilior est. Medeus ille quasdam feroces, atroces, contumaces effinxit, quum vellet virgines pietatis officiis reliqua omnia postponentes imitari, monstra feminarum, qualia neque fuerunt unquam neque futura sunt. An nihil interesse putamus inter pietatis sensum Antigonarum Electrarumque et iracundiam Medearum pellicibus postpositarum? Quid autem, obsecro, sibi volunt insani illi clamores virginum ex cubili mane prodeuntium, nulla nova re excitatarum ac ne somniorum quidem visis perterritarum? An tanto cum tumultu per duo lustra quotidie Electram de lectulo surrexisse ille nobis persuasurus est? Exiguus invenitur numerus poetarum, qui mulierum ingenia ad veritatem naturae humanae expresserint,

et tragicorum trium, qui principes habentur, solus Euripides huic rei idoneus fuisse videtur.

Oreste cum Pylade e latebris prodeunte, pavet Electra a latronibus se oppressam putans: qui pavor in laetitia mutatur, ubi ille se nuntium dixit ab Oreste missum venisse. Deinde partim alternis versibus ad interrogata respondens partim continua utens narratione et de rerum statu et de sua voluntate nuntium, quem putat, edocet: in squalore se atque egestate degere, carentem festis choreisque, neque matronarum neque virginum numero adscriptam, Castoris, cui desponsa fuerit, connubio fraudatam; matrem autem inter spolia Phrygia Asiatica luxuria circumfluere, patris cruore per tecta putrescente; adulterum sceptrum interfecti et currum obtinere; corpus Agamemnonis eiectum obrutumque necdum libaminis nec myrtorum neque ullius honoris participem esse; tumulo eum, qui occiderit, insultare et petulanter dicta in Orestem iactitare. Haec audiens vidensque Orestes partim miseretur sororis partim gaudet paratum eius ad ulciscendum animum cognoscens. Etenim illa mori se velle ait, ubi sanguinem matris effuderit; manibus et lingua et mente, quin etiam deformata corporis specie et capite raso orare, ut tandem aliquando Orestes subveniat, ut unum hominem, quum sit filius eius, qui Troiam deleverit, minime paveat. Interim quum redisset colonus, edoctus, quinam essent peregrini et cuius rei causa venissent, statim, quamvis sit egenus, in domum eos iubet cum pedisequis intrare, ut, quantum valet, hospitaliter excipiat. Amat noster homines eiusmodi inducere, quorum ex moribus intelligatur virtutem neque a nobilitate neque ab opibus neque a corporum firmitate neque ab ulla re externa pendere, quam sententiam hoc loco uberius explicat; eaque valde et philosophica et popularis est: „En unquam,” inquit, „sapietis qui in opinionum perversitate versamini, et tandem aliquando ex vita ac moribus aestimabitis honestatem? Eiusmodi enim homines bene et rempublicam et domos administrant, corpora vero illa ratione vacua statuac sunt fori, eademque ne in proeliis quidem fortius, quam imbecilliora, hostium impetum sustinent.” Talia docendo Euripides

plurimarum opinionum pravitatem sustulit et, cum proferret fines, quibus priscorum hominum cognitio circumscribatur, ad veriore[m] doctrinam accipiendam animos praeparavit. Receptis autem hospitibus Electra, quoniam deest, unde epulae parentur, ad alumnum patris, qui eiectus urbe greges in confiniis pascit, maritum, ut simul laeto nuntio senem laetificet simul moneat, ut huc aliquid in coenam afferat, proficisci iubet. Hoc colloquium aptissima finitur sententia, divitiarum quodnam sit pretium, declarante.

Carmine, quod sequitur, circuitione quadam Agamemnonis gloria extollitur hoc consilio, ut caedem per uxorem factam magis indignemur. Ostenditur enim, qualium ille virorum dux fuerit, et loco omnium Achilles ante oculos ponitur. Huius autem virtus et magnitudo hac maxime re demonstratur, quod arma a Vulcano mira arte facta a Nereidibus ei Troiam proficiscenti oblata sint, quae arma non minus, quam altera, quae Patroclo interfecto spoliatoque idem Vulcanus Thetidi donavit, variis aptisque signis distincta fuerunt.

Venit senex, magnum rerum facturus momentum. Nam qui et Agamemnonem et liberos eius nutrit, qui Orestem servavit, idem dux futurus est ad interficiendos eos, a quibus ille interfectus est. Et statim quidem, postquam Orestem conspexit, ex cicatrice quadam agnoscit. Quod priusquam fiat, acerbius Aeschylus stupor reprehenditur, de qua vituperatione supra disseruimus. Refutavit easdem coniecturas Sophocles, sed sine contumelia, ut qui iisdem, quibus Aeschylus, in republica partibus faveret, neque eorum, qui insano studio hunc admirabantur, iniquo iudicio premeretur. Ceterum hoc colloquium et satis rebus personisque convenit neque tragoedia indignum est, nisi forte Aeschylus ipsius inventa indigna sunt. Ad senem enim a virgine credulitatem transtulit Euripides, illum „ex vanis rebus spem captare” minus, quam filiam Agamemnonis, dedecere arbitrans; hanc maiore esse animi constantia voluit, quam ut ex futilibus signis vel potius nullis de re gravissima ei persuaderetur. Ceterum cognoscere vel ex hoc exemplo licet, quantum utilitati Eu-

ripides tribuerit, quum tollendi receptos errores, evellendi opiniones perversas, corrigendi prava iudicia nullam omitteret opportunitatem.

Postquam satis laetitiam et soror et alumnus significarunt, statim Orestes ad deliberationem de vindicanda nece paterna convertitur. Quo in negotio a sene docetur facultatem aggrediendi in oppido tyranni atque in regia praesidiis munita nullam esse. Sed cum maxime illum cum famulis extra moenia ad sacra quaedam Nymphis obferenda profectum esse. Quamobrem si Orestes istac via quasi fortuito incedens obviam sacrificanti se obtulerit, fore, ut ad epulas sacrificii, sicut mos sit, invitatus rei gerendae nanciscatur opportunitatem. Quo probato consilio quum ducem se fore senex dixisset, Electra eundem inde continuo in urbem ad matrem se conferre iubet et nuntiare se prole mascula esse puerperam: fore enim, ut ad lustrandam puerperam cum simulato dolore veniat invitata; inde illam, ubi domum intrarit suam, illico in Orcum descensuram esse. His constitutis rebus, preces ad deos patrios et manes patris, ut adsint miseris faveantque coeptis, mittunt liberi. Profecto Oreste, Electra, dum abest frater, gladium manu tenens eventum exspectat hoc consilio, ut, si ille occubuerit, statim se transfodiens subsequatur. Sic rebus componendis poeta hoc, quod maximum est, nactus est, ut Clytaemnestrae caedes ab Aegisthi caede separaretur. Neque enim idem est alienum ab alienis et matrem a liberis occidi, neque recte et Aeschylus et Sophocles uno quasi impetu utramque caedem perpetrari fecerunt. Nam quae in sentiendo iudicandoque separamus, eadem in effingendo, ut vario modo afficiantur animi neve alterius rei momenta altera obscurentur, segreganda sunt.

Thyestis filius est Aegisthus: itaque patris ulciscendi causa Agamemnonis uxorem abalienavit ipsumque occidit. Necessario igitur, dum ille ab Oreste interficitur, emulationem Atrei Thyestisque et mutuas eorum insidias cum diris epulis, quas sol cum sideribus aversatus sit, chorus in memoriam revocat, simul Clytaemnestrae adulterium cum Aeropes adulterio componens, quod carmen tum vi-

vida rerum adumbratione tum verborum splendore et magnificentia vere lyrica inter praestantissima est, quae Musa Euripidis procreavit.

Eventus certaminis primum clamore significatur, deinde ab uno famulorum, qui interfuit, verbis exponitur. Somnio quodam territus Aegisthus sacrificare Nymphis instituit; hoc declarat Orestis se insidias timere dicens, eodemque et preces et quod exta inspicit pertinent. Qua in re sacra quod ab eo ipso, ad quem arcendum deos in auxilium vocat, eodem cultro, quo caesa est hostia, eo temporis momento, quo voluntatem deorum explorat, pro victima ipse occiditur, deorum praesentium numine magis, quam Orestis manu, poena a scelerato exigi videtur. Haec similia quidem sunt iis, quae et Aeschylus et Sophocles finxerunt, sed multo evidentiora et ad movendum aptiora. Omnia autem et sollerter sunt inventa et exponuntur tam perspicue atque copiose, ut coram res conspiceret et quasi iis interesse nobis videamur. Ea cum plausu et laetitia, ut par est, accipiuntur; Orestes autem ipse ac Pylades reversi tanquam victores Olympici coronae honore ab Electra afficiuntur. Corpore interfecti in medio posito atque arbitrio virginis permissio, haec, quamvis invidiam vereatur, probante fratre, quaecumque in vivum, si quando metu libera esset, pridem effundere probra cupiverat, in mortuum effundit. Ea tamen neque saeva neque atrocia sunt, sed talia, qualia hodie quilibet eorum, qui se pios mansuetosque haberi volunt, si minus diceret, certe sentiret. „Occubuit qui magnum Graecorum imperatorem interfecit; regno cum vita ipse exutus est qui nos orbos reddidit; qui nulla iniuria lacessitus patre ac patrimonio nos privavit, neque beate vixit et fructum scelerum moriens amisit. Quomodo enim beate vixit, qui, corrupta aliena uxore impudicam ipse ducere coactus, turpem se esse et turpi uxore uti intelligebat; qui dignitate destitutus erat sic, ut et ipse Clytaemnestrae vir appellaretur et liberi Clytaemnestrae liberi; qui ingenii bonis naturaeque carens in divitiis vanis se fluxisque iactabat? Neque adultera illo felicior fuit, quae virgineo praeditum vultu quam virili ingenio virum habere maluit, ex quo liberos peperit in choreis dumtaxat decoros, ceterum imbelles.

Ambo vero imprudentes vicisse sibi visi sunt, antequam metam contigerant." Potest tota haec oratio superflua esse videri, quasi ex docendi monendique libidine nata. Sed solet in Euripidis tragoediis nemo sine exprobratione scelerum vel accusatione poena aut supplicio affici. Aegisthi autem accusatio quominus ante supplicium institueretur, absentia illius et genus vindictae obfuit. Neque ante multam an post eam crimina exprobrentur multum refert, quippe quum non tam iustitia supplicii, quam caussa ipsa personarum exponenda sit. Instituitur enim illa iudiciorum fori imitatio ea maxime caussa, ut sit facultas mores personarum et facta prolixius explicandi: qua in re quod sententiosis uti orationibus solet Euripides, minime vituperandum est, quippe quum hoc genus et gravissimum et idem utilissimum sit.

Corpore Aegisthi remoto, Clytaemnestra adveniens procul conspicitur, quae ad sacrificium ipsa quoque profectura est ac deos una cum viro scelesto scelesta propitios reddere studet; sed antea invitationi filiae obsequens in laqueos devenit. Qua conspecta dubitatio Orestis iniicitur, an recte deus matrem a se occidi iusserit: adeo enim facinus, quod parat, naturae humanae repugnat, ut merito, ne larva quaedam fuerit vel maleficus genius (*ἀλάστωρ*) oraculi auctor, vereatur. Sed mox sororis verbis confirmatus, ad perpetranda dira in domum se sine mora confert. Immani furore apud Sophoclem in caedem matris fertur Orestes, neque dubitatione ulla, antequam faciat, neque poenitentia ulla, postquam fecit, commovetur: quod etiamsi credibile esset, quemquam non repugnante natura patrare quae sunt contra naturam, tamen non aequae poeticum, non aequae movendis docendisque hominibus aptum est, quam haesitatio illa animi reluctantis, quam spectantes in intimum eorum, qui talia meditantur, pectus nobis penetrare videmur. Neque dedecuit Orestem mollities animi, quae Iovem illum Homericum non dedecuit, qui, quotiescunque duri aliquid, quamvis pridem decretum constitutumque, effecturus est, denuo versat cogitatione et an sit necessarium haesitat; cf. Il. XXII, 168 seqq.

Pompa et magnificentia Clytaemnestrae, famulis, quas

a Troia capta Agamemnon adduxit, stipatae, multum discrepat ab habitu filiae servis ipsis miserioris. Cuius discrepantiae ostendendae parum esset facultas, nisi diversis locis filia atque mater habitarent et ad sacrificium adulteri sollemne regina proficisci fingeretur. Instituitur deinde caussae dictio neque inopinata, quum post longum intervallum in mutuum conspectum feminae redierint, neque non opportuna, quum ante ipsum sontis supplicium fiat. Purgat se Clytaemnestra oratione optime composita argumentis utens captiosis, quibus iure interfectum esse Agamemnonem satis probaretur, si omnino ius esset feminis viros interficiendi. At primum modestae est mulieris viro quidvis concedere; deinde ne verae quidem sunt caussae, quas illa praetexit: qui praetextus acutissime ab Electra arguuntur, et solam libidinem caussam fuisse conjugis interficiendi documentis e vita illius moribusque petitis oratione et gravi et ad persuadendum idonea ostenditur. Non minus saepe Sophocles, quam Euripides, imitatione est usus iudiciorum, neque idem indicta caussa Clytaemnestram fecit ab Electra ad supplicium tradi. Qui quam dramati inseruit contentionem si cum Euripidis orationibus componas, de huius ingenio iudicare facilius erit. Diligenti subtilique hic utitur morum descriptione, et lineamentis quam maxime propriis habitum animorum denotat. Vitas hominum studiose observavit, affectuum naturam penitus perspexit, aetatis cuiusque, sexus generisque mores, studia, voluntates recte cognovit, eorumque indicia acute notavit: unde factum est, ut ad effingendos homines tales, quales revera sunt, omnium maxime idoneus esset, quae subtilitas imitationis et dulcissima contemplantibus et utilissima est. Hanc igitur morum notationem quum primus ostenderit Euripides, videtur primus poesin, sicut Socrates philosophiam, in domicilia hominum atque in vitam communem introduxisse et plane novam scribendi viam ingressus esse. Sed eam morum vulgarium imitationem indignam esse censent heroum persona. Sit sane ab heroibus aliena, dummodo ne is, qui homines tales, quales revera sunt, non quales priores tradiderunt, imitetur, maxime poetarum tragicus esse desinat.

Formam autem quod attinet, sunt orationes illae ad leges artis prudenter compositae: praemittuntur prooemia ad mitigandum odium conciliandumque favorem apta, exponuntur res perspicue ac probabiliter, confirmantur propria, evertuntur adversaria partim validis partim speciosis argumentis, neque facile quicquam, quod insit causae, omittitur, denique peroratio movendis animis idonea additur, neque fere deest clausulae sententia, quae feriat auditores. Haec tamen ars tam callide dissimulatur, ut, nisi si quis dedita opera attendat, nemo facile animadvertat.

Ad Clytaemnestram redeo. Huius quoque ingenium probabilius Euripides quam Sophocles effinxit. Neque enim credibile est ullam mulierem, tanti sibi flagitii consciam, omni vacare poenitentia, quin etiam ferocire atque ultro increpare liberos patrem interfectum lugentes, neque satis habere eos vitam servis miseriorem degere e bonis paternis eiectos atque contumeliose tractatos, nisi etiam in solitudinem proiecti, lumine solis privati, cum cruciatibus interficiantur. Quanto naturae humanae melius conveniunt quae finxit Euripides, nolle matrem liberos ab adultero interfici, ignoscere dolori illorum iustissimo neque scelere, quod impudenter commiserit, gaudere.

Ad sacra diis obferenda in domum mulier squalidam splendida intrat, ad altera sacra inde profectura. Haec meditans a liberis tanquam victima super adulteri corpus immolatur. Quod dum fit, chorus indignam Agamemnonis mortem in mentem revocans imaginem caedis tanquam praesentis depingit. Audiuntur deinde voces letali plaga affectae; mox liberi matris respersi sanguine, signo victoriae infelicissimae, in scenam animo consternato redeunt, simulque patefactis aedibus gemina ostenduntur corpora humi prostrata, iure quidem ambo interfecta, sed non liberorum manu matri mors inferri debuit. Merito igitur illi, trucidatam a se matrem, quae genuit, intuentes, vehementi afficiuntur dolore, et se propter facinus impium ac detestabile omnibus mortalibus merito odio fore intelligunt. Accusat Orestes Phoebum, qui iusserit, accusat sororem, quae hortata sit: versatur enim ob oculos

imago miserae mammam ostendentis, humi fusae, genua amplectentis, mentum manu prensantis, miserabiliter clamantis: „o fili, supplex te oro, matrem ne occidas.” In tali adspectu non est mirandum, quod telum manu Orestis excidit; sed confirmatus voce sororis, obiecto oculis pallio, redditum ab illa ferrum in cervicem matris fortiter deiecit: sic facinus miserrimum patratum est. Iam non amplius ferentes adspectum misere trucidatae vestibus corpus contegunt. Gravior et ad movendum validior narratio rerum intus gestarum fieri nulla potuit. Sophocles vero neque exponere talia curavit neque ullam doloris vel poenitentiae significationem in matris interfectores cadere iudicavit, ut sensu humanitatis ipsum non minus, quam personas, quas effinxit, destitutum fuisse putes. Quid, quod a matris caede continuo ad alteram caedem patrandam carnifices pergunt? Tanta animorum durities si illius saeculi hominibus infuit, ut possent parricidarum victoria gaudere neque repugnante natura comprobare quae naturae repugnant, magnis profecto laudibus extollendus est Euripides, qui insitam gentis feritatem mitigavit et humanitatis sensu animos hominum immanium primus imbuerit. Sed pridem Graeci duritiam, quae priscis infuerat hominibus, deposuerant: pridem enim credere parricidas a Furiis agitari coeperant, solusque Sophocles accusandus est, quod saevioris quam mansuetioris saeculi mores imitari maluit.

Finem luctui Dioscuri, matris fratres, imponunt subito apparentes, iidemque res componunt. Patria carendum est parricidis, insuperque Oresti Furiarum impetus et cruciatus sustinendi sunt. Ceterum Electra Pyladi nupta vitam reliquam beatam actura est; Orestes agitantibus Furiis Athenas profectus auxilio Apollinis et Minervae tutus erit et liberatus supplicio urbem Orestiam apud Alpheum flumen conditurus est. Cum his praedicatio religionum institutorumque Atheniensium coniungitur. Miser est Orestes, qui quum post longum tempus vix patriam et sororem viderit, protinus conspectu utriusque denuo privatur in perpetuum iis cariturus. Cuius moesta saluta-

tio et tristissimus discessus, appropinquantibus Furiis, finem dramatis efficiunt.

Si vera sunt quae in Lysandri vita Plutarchus c. 15, p. 441. memoriae tradidit, huius potissimum dramatis admiratione Spartani moti sunt, ne servorum more tractarent Athenienses apud Aegos flumen victos neve urbem solo aequarent. Hac enim sententia in hostium consilio, quum duces una epularentur, proposita, inter pocula Phocensis quidam de Euripidis Electra chori ingressum cantavit, cuius hoc est exordium:

Ἀγαμέμνωνος ᾧ κόρα,

ἤλυθον, Ἡλέκτρα, ποτὶ σὰν ἀγρότεραι ἀύλᾱν.

Quo cantu audito fracti sunt omnes atque indigna res visa est tam claram civitatem, talium virorum alumnam, delere atque excindere. Tanta igitur laus poetae fuit praestantissimi, ut et opprobria Spartaefrequentissima et popularis imperii commendationem Spartani optimates gloriae Graeciae ab illo auctae condonarent. Et defendit Euripides in hac ipsa fabula pauperum humiliumque hominum iura, virtutem docens non certis ordinibus quasi hereditate tradi, sed omnibus mortalibus communem studio ac disciplina acquiri, a qua aequitate iudicii longissime omnium aberant Spartani. Manavit haec sententia, prioribus hominibus inaudita, ex philosophia, quam duce Euripide Socrates vitae communis usui adhibuit (cf. Xenoph. Comment. I, 2, 56 seqq.), qui dicitur in theatro sedens, cum illi versus recitarentur, delectatus esse, sed aegre tulisse, quod in medio illam quaestionem relinquendam esse diceret Euripides (*κράτιστον εἰκῆ ταῦτ' ἔαν ἀφειμένα*, v. 379., quae verba in proverbium abierunt; cf. Longin. c. 44, 12.): ridiculum enim esse mancipium, si abisset, dignum inquisitione iudicare, virtutem autem temere subtrahi permittere; cf. Diogen. Laert. II, 33. Singulae sententiae singula testimonia, ut ait Cicero, visae sunt saeculo eruditionem magis quam robur adamanti. Itaque Cleantes ea, quae de divitiarum usu Euripides v. 426—431. disseruit, immutavit sic:

πόρνας τε δοῦναι, σῶμά τ' εἰς νόσον πεδόν

δαπάναις ἐπιτρῖψαι; cf. Plut. de aud. poet. p. 33.

Contra eadem comprobavit Dio Chrysost. p. 117. B. Alii scriptores ad alios huius dramatis locos respexerunt, velut Sextus Emp. ad v. 943., Galenus ad v. 126., Aristoph. in Ran. v. 1317. ad v. 435. et plurimis Stobaeus cum grammaticis usus est. Ex quibus indiciis satis patet neque vulgo neque eruditis hoc drama inferius esse visum, quam aut Sophoclis aut Aeschylis dramata in eadem materia occupata.

Partim naturam partim populi iudicia secutus noster, quid ubique rectum verumque esset, melius quam ullis eorum, qui se intelligentes haberi volunt, praeceptis intellexit. Falluntur enim quicumque, quid sequendum vitandumque sit poetis, ex praeceptis disci arbitrantur, quae errantium deverticula quam ducum scientiam verius appellaveris.

Grau, theurer Freund, ist alle Theorie,

Und grün des Lebens goldner Baum.

Unum virtutis carminum testimonium est, si hominibus, quibus sunt scripta, probata sunt, si cum vita, moribus sententiisque popularium ita coaluerunt, ut non possent nisi cum interitu populorum ex mentibus eorum divelli. Effatus hoc est ipse ille, qui Electram Euripidis iniquissime vexavit*), et tamen idem non dubitavit poetam, cuius fabulae, quoad theatra Graeca Romanaque steterunt, doceri nunquam desierunt, contumeliosissime tractare et criminationibus indignissimis diffamare. Qui sicut Schilleri, quem contumelia affecit, et aliorum in aliis operis partibus scrinia compilavit, ita in iis, quae de Euripide effutivit, Iacobsii iudicium temere iteravit, quem virum revera venerandum, qua est animi mansuetudine, non miror Goethii Iphigenia mollissima magis quam Euripidis fabulis delectatum damnasse quaecunque a placidissima

*) Aug. Guil. Schlegel in libro de poesi scenica scripto T. I. p. 6: „Innere Vortrefflichkeit allein entscheidet: wo diese vorhanden ist, soll man sich nicht an Aeußerlichkeiten stoßen. Auf die Wurzel unseres Daseins muß alles zurückgeführt werden: ist es da entsprungen, so hat es auch unbezweifelt seinen Werth; ist es aber ohne einen lebendigen Keim nur von aussen angehängt, so kann es kein Gedeihen noch wahren Wachsthum haben.“

illa tranquillitate abhorrent. Schlegelium autem rursus Gruppe imitatus insolentius etiam maledixit poetae, quem antiquitas erat venerata; iamque eo ventum esse videtur, ut omnes, qui ubique sunt insipidi, eruditionem se testificari credant in Euripidis cineres mingendo. Ceterum Schlegelius argumenta Electrarum Euripidis, Sophoclis Aeschylisque narrando nil aliud ostendit, quam se properante oculo carmina illa semel legisse, ut qui gravissima quaeque rerum momenta neglexerit *). Qua re gesta, miratur, quid sororem Orestes ludificet, antequam quis sit aperiat? Idem, cur Sophoclis Orestes dolorem sorori acerbissimum dedita opera paret, cur apud Aeschylum idem illam errare diutius patiatur, non quaerit. Reprehendit, quod coloni rus profecti mentionem Euripides postmodum nullam iniiciat; quod autem Electrae Aeschylus in fine dramatis plane oblitus est, negligit. Electram quod egenam Euripides re factisque ostendit, vituperat; quod eundem virginis habitum Aeschylus atque Sophocles vestibus eius dictisque significant, non vituperat. Benignitatem in Aegistho et liberalitatem appellat quae religio appellanda fuit, quod sacris adhibet hospites obvios, quos dii ipsi ad epulas suas sunt deducere visi. Matris a liberis, quos peperit, interfectae neminem putat misereri debere: itaque Orestis Electraeque poenitentiam ex corporum ait, non animorum, sensu proficisci. Oraculi Delphici pari atque pontificis Romani admiratione stupet, qua in re quod saniosem se praestitit Euripides, non multum abest, quin pro haeretico damnet. In domum ductus funestam, conspectis parentum a liberis trucidatorum cadaveribus, conspectis Furiis, videns liberos ex domo patriaque per illas insanos pelli, laetari se dicit, et videri sibi nuptiarum celebrationem in domus vastitudine parari.

Satis diu iste erroribus populares imbuit, et in nostris quidem poetis aestimandis sperni istius auctoritas

*) Unum documentum pro plurimis proferam. De Aegisthi caede inter sacra perpetrata haecce refert: „Sogleich kommt ein Bote, welcher den Untergang des Aegisth weitläufig mit mancherlei Scherz berichtet.“

nuper coepit, in veteribus vero, quibus minime debuit, cum dedecore eorum, qui operam illis litterarum studiis navant, etiamnunc regnat. Utile igitur fore arbitror non disserendo tantum, sed etiam imitando, iniquitatem istam, quae plurimis probata est, coarguere. Facilius enim qualis sit intelligetur, si eadem ratione, qua ab illo Euripidem, etiam Aeschylum Sophoclemque concidi lacerarique posse ostensum erit. Aeschylus igitur ad horrorem commarum omnia paravit, nil modici, nil credibile aut verisimile finxit. Quis ferat homines a mane ad vesperam sanguinem profusum profundendumque crepantes? quis credat licuisse catervae ancillarum in ipso tyranni oppido, quin etiam ante aedes regias stanti per integrum diem caedem regibus minitari, diras imprecari, deorum opem implorare, lamentari, clamare, ululare, importunos affectus importunis vocibus manifestare? Et quo tandem pertinent illae in immensum multiplicatae preces, illae mortuorum evocationes, illae caedis volutationes et trucidandi imagines copiosissime pictae? Utrumne sensum conscientiae illis ululatus sopire volunt qui ultionem moliuntur? an surdos auditores non minus quam mortuorum manes esse putavit poeta? nonne timendum fuit, ne torpentibus inferis certe civitas concitaretur? Simplicitas vero regis et reginae etiam brutorum stuporem superat. Boves sic immolantur e stabulis detracti, non tyranni timidi, ignavi, per vim et nefaria scelera imperio potiti, infestis popularibus, invita familia, superstitibus liberis eorum, quos regno vitaeque spoliaverunt. Puerulis haec per nutrices narranda fuerunt, non Atheniensium populo, qui Themistoclis astutiam admirabatur, non Graecis hominibus, qui Ulyssis, qui Mercurii prudentiam imitabantur. Harum rerum Euripides unam, quae longe omnium insulsiestima est, verbis coarguit, reliquas rerum compositione ipsa correxit. Cuius antecessor Sophocles et varietate rerum et probabilitate drama utilissime temperavit; idem veritatis imitatione et cognitione naturae humanae Aeschylo se inferiorem ostendit. Qui Theoridas et Archippas amabat, qui puerorum amores per bella perque summa patriae pericula sectabatur, Minervas quasdam sibi imitandas proposuit, et austeritatem

mulierum ostendit, ubi pietas fuit depingenda. Ex more cauponum, oleum acetumque caulibus instillanda separata porrigentium, Antigonen Ismenenque, Electram Chrysothemineque, alteras fortitudinis imagines, alteras mollitiei, separatas theatro propinavit, solere utrumque animi habitum in feminarum ingeniis coniunctum inesse ignorans. Quid, quod matris sanguine avide hausto vomitum etiam firmissimis stomachis statim excuti, quin etiam taedium sanguinis perpetuum animis innasci adeo non intellexit, ut a talium epularum immanitate ad eundem cibum iterum sumendum continuo belluas, quas effluxit (non enim homines appellandi sunt qui talia concupiscunt), traduxerit? Sic bona sua Sophocles ingentibus vitiis compensavit. Contra nihil bonorum, quae Aeschylus invenerat, omisit Euripides simulque vitia eius omnia felicissime vitavit. Aegisthi caedem e conspectu removit, ne iteratis caedibus spectandis theatrum fatigaretur; in matris caede persequenda depingendaque sic immoratus est, ut et apparatus cum causae dictione et eventum cum conscientiae stimulis verissime copiosissimeque exponeret. Manus percussorum a diis praesentibus dirigi et omnes illorum conatus a numine divino adiuvari non fastidiose, sed perspicue ostendit. Libidini, ex qua illa scelerum, quae puniuntur, immanitas pullulavit, ex adverso posuit abstinentiam hominum candidorum, frugalium, simplicium, divitiis, honoribus voluptatibusque aequo animo carentium. Horrorem autem facinorum, quae patrantur, non verborum pompa, sed rerum temperatione et placidorum ac vehementium com-
positione exaggeravit.

B. H e l e n a.

Memphis, urbis Aegypti, vicus quidam castra vocabatur Tyrionum, in quo erat delubrum regis cuiusdam, qui Graecorum sermone Proteus appellabatur, eoque in delubro sacellum Veneris Peregrinae, quam eandem Helenen, Tyn-darei filiam, esse Graeci sibi persuaserant: quam opinionem

confirmantes sacerdotes Aegyptiorum narrabant Alexandrum cum rapta Helena per mare Aegaeum proficiscentem ventis iniquis in Aegyptum delatum esse; ubi quum in ostio Nili Canopico apud Herculis templum commoraretur, Proteum regem, cognita caussa et violati hospitii iniuria, ipsum quidem Paridem intactum dimisisse, Helenen autem cum bonis abreptis retinuisse hoc consilio, ut Menelao, si quando quaerens uxorem in Aegyptum pervenisset, integram restitueret; cf. Herod. II, 112 — 116.

Haec in favorem Graecorum ab Aegyptiis Tyriisque communiter inventa antiquissimis iam temporibus ad Graecos rumore perlata erant, quandoquidem iam Homerus Helenam fecit Paride quidem ducente in Phoenicen, Menelao autem ducente in Aegyptum vectam et magnas ex utraque terra opes domum utriusque reportatas esse. Itaque Stesichorus, quo melius discrepantes populorum narrationes conciliarentur simulque Helena, Iovis filia, probro liberaretur, finxit non veram Helenen, sed imaginem quandam eius, deorum fallacia effectam, Troiam abductam, veram autem in Aegypto servatam esse, donec inventam Menelaus domum reduxisset*). Quod inventum multis nominibus gratum nostro conveniensque esse visum est. Nam quum probrosos esse Troicae Helenae mores cum Stesichoro iudicaret, tum exemplar proponi venustissimae eiusdemque probissimae mulieris et utile et iucundum esse ducebat. Et solam eam venustatem, quae cum probitate iuncta esset, veram esse censebat venustatem, illam alteram autem speciem inanem, qua deceptos Graecos Troianosque decem annorum proeliis laboribusque toleratis nihil nactus esse commodi praeter virtutis exercitationem. Itaque Menelaum, quum antea falsa venustatis specie delectatus esset, ubi veram adspexisset, statim illam omisisse et hanc amplexum esse, ac tum demum liberatum erroribus beatum fuisse. Tanta enim, iudice Socrate vel Euripide, virtutis est pulcritudo, ut, si posset oculis conspici, omnes in amorem eius abriperentur. Quod autem ex aethere

*) De Stesichori carmine vide Fritzsche ad Thesmoph. Aristoph. p. 369 seqq. disserentem.

conformatam esse imaginem dixit Helenae, de qua Graeci Troianique inter se dimicarent, egregie convenit cum sententia Anaxagorae, animas hominum ex aethere delibatas mortalibus corporibus circumdari censentis; cf. T. II. p. 16. Agnoscimus in hac argumenti conformatione morem Euripidis, quo sententias philosophorum fabulis sic involvit, ut per pellucidum fictorum velamen vera ratio facile ab illis, qui essent acutiore iudicio, cerneretur. Ad argumentum ipsum explicandum inde me confero.

In Pharo igitur insula*) aedes regis et prope eas sepulcrum Protei conspicitur, cui supplex insidet Helena, cavens, ne in Theoclymeni regis lectum coniugiumque invita rapiatur. Non est enim Helena cum Alexandro Troiam profecta, sed Iunonis iussu, illum sperato potiri pretio nolentis, a Mercurio per aerem in Aegyptum avecta ac Protei regis, probissimi mortalium, fidei commissa, qui servaret intactam, donec Menelaus repeteret. Paridi autem imago quaedam Helenae ex aere conformata vitaeque praedita in manus tradita est, quam habens veram se habere opinatus est, itemque populi Iovis consilio decepti sunt de inani venustatis specie proelia atrocissima committentes et ad interuicium dimicantes. Verissima haec est Euripidis sententia. Belli enim Troiani naturam recte aestimabis, si illud expeditionibus, quas quondam Christiani homines contra Muhamedanos susceperunt, simile fuisse decreveris. Ficta pro veris utriusque amplexi sunt, neque quicquam ex laboribus commodi, quod quidem manibus teneri oculisque cerni posset, domum retulerunt. Verumtamen beati et Graeci et nostrates praedicandi fuerunt, quod in bella et labores, quibus et vilium hominum multitudo absumeretur et praestantium virtus manifestaretur, deorum beneficio praecipitati sunt: nam si Sinensium vitae illorum vita similis fuisset, nihil neque epopoeia neque tragoedia dignum tulisset**). Vera interim Helena,

*) Od. IV, 354: *νήσος ἔπειτά τις ἔστι — Αἰγύπτου προπάγοιθε, Φάρον δὲ ἔκ κικλήσκουσιν.*

***) Imitatus hanc est Euripidis sententiam, ut alias plurimas, Isocrat. Panegy. c. 23. §. 84. (57.).

quoad quidem Proteus vixit, tuta fuit ab iniuriis, hoc autem defuncto, filius eius Theoclymenus connubium eius invitae expetere coepit. Duos enim liberos Proteus ex Psamathe, Nerei filia, natos reliquit, Theoclymenum regem et Eido*) sive Theonoen, divinandi arte a Nereo praeditam. Helena autem, quum ipsi imputetur quidquid a Pseudo-Helena probri commissum, quidquid in Graecos Troianosque mali illatum est, dedecore atque infamia notatur, quod malum morte ipsa peius esse videtur ingenuis. Eius invidiae discutendae simulque recuperandi prioris matrimonii (id quod dii promiserunt) spes est nuptias Theoclymeni effugienti; sin hae subeundae sint, spes salutis in perpetuum abiit mulieri, cui insignis pulcritudo insignis infortunii fons tributa est.

Haec ab Helena ipsa in monumento Protei sedente explicantur. Potuit autem haec fabula, sicut reliquae Euripidis omnes, prooemio carere: nam quod sequitur Helenae et Teuceri colloquium satis per se docendo theatro idoeum est**). Teuceri adventum etsi adventus Menelai in imaginario dramatis tempore continuo subsequitur, tamen illum aliquanto prius accidisse cogitandum est. Nuntium eorum, quae interim Troiae gesta essent, ad Helenam pervenire plane necesse erat. Id si ante initium eorum, quae in scena exhibentur, factum esse finxisset Euripides, privasset se potestate duplicem rerum statum et mutatam Helenae sortem et quasi gradus sollicitudinis representandi. Tenendum est in similitudinem Odysseae hoc genus tragoediarum conformari. Itaque quum illius duae

*) *Ἐιδόθειον* hanc appellavit Homerus Od. IV, 366.

***) Operae pretium est verba Wielandi, quibus prooemia Euripidis a multis temere reprehensa comprobatur, transcribere: „Wir sehen, wie jeder Knoten vor unsern Augen geschürzt wird, und sind auf den Ausgang vorbereitet, ohne darum für das Gelingen der Anschläge, die man uns vertraut, weniger zu zittern oder uns ihres guten Erfolgs weniger zu freuen: so zart ist das Interesse, das er für seine Hauptpersonen einzulösen weiß, und so warm ist das Leben, das er den schönen Geschöpfen seiner Phantasie aus der Fülle seiner eignen gefühlvollen Seele mittheilt.“

sint partes, quarum altera mala eorum, qui domi manserunt tutore privati, altera reditus huius et vindicatio omnium ostenditur, tragoediae prior illa pars minime quidem omittenda, sed, quum sit finibus unius diei, imaginarii illius quidem, sed tamen non infiniti, adstricta, prologo tota absolvenda est, quo finito statim ad eventum festinandum et in medium rerum discrimen theatrum rapiendum est. Cuius rei efficiendae causa Euripides in Iphigenia quidem Taurica scribenda, cuius argumentum huic fabulae omnibus a partibus simillimum est, cum nuntii copia nulla esset, ad somniorum fidem confugit; in hac autem prudentissimo consilio Teucrum introduxit a patre, cum domum redisset, patria pulsum, cuius ipso adpectu reliquorum heroum, quicumque incertis itineribus per pontum errarent, admoneremur. Simul iis, quae hic cum Helena agit, de duplici Helena certiores fiunt spectatores et praeparantur animi ad expectanda ea, quae mox, Menelao Helenam conveniente, eventura sunt. Cognoscit autem ex Teucris sermone Helena praeter communia illa haec ad ipsam pertinentia: detestabilem Graecis omnibus Helenam, malorum causam, videri, et matrem illius ipsam, quod esset impatiens pudoris atque invidiae, suspendio vitam finivisse, fratres autem Dioscuros occidisse, de sorore dimicantes, et inter astra collocatos consecratosque esse; Menelaum denique uxore capillis ad navem tracta, cum in altum profectus esset, classe ventis disiecta, nusquam postmodo conspectum esse ac pro defuncto haberi. Septimum hoc ait annum esse, ex quo Troia expugnata sit: octavo enim anno Menelaum cum Helena ex Aegypto redisse Homerus, quem sequitur noster, testatur. Transtulit autem ad Teucrum noster partem eorum, quae de Menelao finxit Homerus (cf. Od. IV, 360 seqq.); simul Idothaeae sive Theonoe eam tribuit divinandi vim, qua apud Homerum Proteum, illius patrem, pollere videmus. Fecit igitur Teucrum, de itinere incertum, consilium ex oraculis virginis divinae petentem, sed desistentem conatu, ubi interfici a Theoclymeno Graecos, quicumque deprehensi essent, ex Helena audivit; hoc autem tempore rex abesse ac dare operam venationi fingitur. Quibus cognitis Teucer non

minus propere, quam venit, e terra perniciosa abit, mulieri peregrinae pro beneficio nuntii salutaris totidem fausta precans, quot Helenae, cuius illa speciem gerit, moribus dissimilis, dira ac perniciosa. Repressit Helena luctum praesente Teucro, quod timendum erat, ne, si qualis esset cognosset, abstraheret invitam; profecto autem illo plane desolata, in monumento lapideo quasi in vasti maris scopulis sedens, fluctibus calamitatum circum tumentibus*), Sirenum sorti suam sortem comparat, et lugubre carmen illarum vocibus acutis animosque vehementer pel- lentibus simile cantat**), defunctos cognatos, defunctum maritum, morituram se mox ipsam deplorans. Quibus clamoribus penetrabilibus ac miserandis percelluntur feminae, quae vestibus lavandis in maris littore operam dant, accurruntque anxiae, vim Nymphae alicui Panis libidine in antro inferri putantes. Captivae, Spartanae natione, hae regis esse famulae finguntur, id quod Atheniensium nemini mirum videri potuit, qui scirent, pluribus urbibus per illa belli Peloponnesiaci tempora expugnatis puberes quidem trucidatos esse, feminas autem cum pueris venditas, et servitutem inter barbaros servire. Narrante Helena cum planctibus et lamentis mala et recentia et priora, commiserante pariterque dolente choro, elegantissimum alternis carmen cantatur, brevium syllabarum continuatione aptum recentioris musicae vibrationi modorum et rotationi, quam licet formicarum trepidationem esse dixerit Aristophanes, tamen huic animorum habitui convenire intelligimus, neque est quod vituperemus modulos, quibus non, ut hodie fieri solet, obscurarentur verba, sed illustrarentur.

Quae deinde disserendo exponit Helena, his declaratur sententia gravissima, quam qui perceperint, summam

*) G. Hermannus neque metum gravem in hac tragoedia neque miserationem inveniri affirmat. Haec enim duo vocabula tanquam tesseram ab Aristotele traditam excubitor ex obviis exquirat.

**) *ὄρθιον νόμον* ad tibiam cantat, quem ferebantur Mysi, antiquissimi tibicines, invenisse; cf. Plutarch. de mus. c. 7.

in ea et tragoediarum et epopoeiarum consistere intelligent. Quaecunque supra vulgaria eminent, ea, ut gloriae, ita doloris fons sunt iis, qui habent, et solent praestantissima quaeque bona eximiis malis in vita mortalium compensari. Formae pulcritudine supra naturam humanam praedita Helena famae turpitudine praeter omnes insons laborat; ut monstrum a matre in lucem edita est ovum pro infante pariente, ita monstri instar vita eius ipsa et fortuna esse videtur. Utinam igitur deleta tanquam imago rursus turpiore forma pingeretur unaque deleta fama eius et sors restitueretur verior meliorque! Nam probro notari probos multo veritate miserius est. Deinde patria, amicis, cognatis privata et in peregrinam terram abducta servitutem pro libertate accepit: servi enim barbari et qui inter barbaros degunt omnes sunt praeter unum qui regnat. Tum qui unica fuerat salutis spes Menelaus occidit, occidit mater aegritudine confecta, orba degit filia Hermiona et caret viro, obierunt Dioscuri: nemine igitur superstite, qui ex clandestinis signis agnitam a Pseudo-Helena discernat, redire in patriam, etiamsi possit, non licet. Solum igitur relinquitur barbari divitis quidem, sed odiosi, connubium. Praestat mori, sed honeste, non temere. His auditis chorus monet, ne nimium hospitis fidei tribuat, sed quum domi habeat vatem et certam et ipsi benevolam, eam de coniuge, sitne superstes an obierit, consulat, tum demum ex re consilium capiat. Proinde relicto sepulcro Theonoen se comitante adeat: velle enim se illi in consulenda virgine adesse. Quo probato consilio Helena ad oraculum virginis quasi ad certam mortem proficiscitur et videtur sibi victima tribus deabus, quae de pulcritudine certarint, et Paridi, qui iudicavit, destinata esse, simulque formae suae praestantia luctum et feminis Troianorum et matribus Achivorum immensum peperisse. Multo igitur felicior fuit Callisto post Iovis concubitum*)

*) Scribendum est in v. 367. ἀπίβας pro ἐπίβας. Reliqua sic corrigenda esse censeo:

ὃ μορῶν θηρῶν λαχνογνίων,
 ὄμματι λάβρα, σχῆμα μιαινείας,
 ἐξαλλάξασ' ἄχθεται λύπης.

in turpem ursam transformata, ut aegritudinem simul cum venustate exueret; item felicior Meropis filia, priusquam perpetuam aegritudinem ex formae decore conciperet, in cervam a Diana mutata. Hoc praestantissimum canticum vocibus chori consolantis mitigantisque dolorem saepius interpellatur; finito autem eo omnes intro abeunt, ut vacuefacta scena temporis intervallum, de quo diximus, satis longum significetur. Sic in duas quasi partes drama dirimitur, quarum si prior iniuria temporum, sicut Rhesi fabulae, interisset, essent qui nullam unquam fuisse multis argumentis et probabilioribus quidem, quam in Rheso faciunt, defenderent.

Prodit deinde Menelaus naufragus, pannis navis eiecitiis male tectus, et ad theatrum faciens verba (cf. T. I. p. 323.) de rebus suis exponit. Maximas a se copias ad Troiam volentibus Graecis ductas esse, quas partim bello partim in undis periisse, paucos superstites esse: ipsum per totum tempus, ex quo Troia eversa sit, errare, ventis semper a patria ad deserta et inhospita Libyae littora reiicientibus, postremo fracta nave amissisque sociorum plerisque, ad ignotam terram ciectum esse. Cogere ciborum vestiumque inopiam ad victum sibi sociisque quaerendum, quos quidem in speluncae recessu cum Helena occultari, se autem, prohibente a frequentia hominum adeunda pudore, conspicatum domum magnificam opulenti cuiusdam viri, huc accessisse.

Graeca serva fores aedium regis custodit, quae, Graecos discrimen mortis adire nolens, repellere quicumque eorum adirent vi minisque decrevit; hoc vero tempore importunior est propterea, quod Helenae casu commovetur. A qua cum ferociter repellatur Menelaus, supra modum tolerabilem miseria eius augetur: nam quid naufragis perditis relinquitur, si quidem misericordiam ne ab hominibus quidem ullam impetrent? Merito igitur lacrimis palpebras rigat Menelaus. Caussam autem quaerens crudelitatis, accipit Helenam, Iovis filiam, Lacedaemone ante belli initium huc pervectam, apud regem degere et cum suspicione custodiri. Quo nuntio magnopere, ut par est, perturbatur. Tam certis enim verbis anus Hele-

nam, quam ipse habet uxorem, descripsit, ut de errore cogitare vix liceat. Ceterum necessitas, qua nihil cogit vehementius, ad experienda extrema quaeque impellit, et sperat regem, quamvis sit saevus, audito nomine suo per totum orbem celebrato cognitoque infortunio viri quondam opibus florentis, aliquid esse cibi solatiique sibi et sociis impertiturum.

Iam Ol. 88, 3. Aristophanes in Acharnensium fabula turbam mendicorum ex Euripidis tragoediis collectam facete cavillatus erat, neque tamen ex eo tempore Euripides numerum egenorum ex regibus factorum augere unquam desiit. Hoc reputent ii, qui illum maledictis scurræ motum esse et quaedam in tragoediis etiam immutasse affirmant. Quid autem curaret contumelias nebulonis nisi risum sequentis? Verissimum enim est quod ipse Euripidem fecit dicentem, tragoediam sibi eripi, si pauperes ex regibus factos ostendere vetaretur. Etenim miseri non habentur ii, qui nullius unquam boni possessione beati fuerunt, quae est caussa, cur non humilium hominum, sed regum fata tragoediis ostendantur. Iam quum bonorum duplex sit genus, alterum in virtute, alterum in fortuna positum, illud autem haud facile sine culpa amittatur, quumque acriorem moveant miserationem qui innocentes, quam qui noxii laborant, planum est inopiam eorum, qui quondam opibus floruerint, rem maxime omnium tragicam esse. Qui autem indignam personis heroum talem esse conditionem opinantur, ii melius scilicet se quam Homerum de heroum dignitate iudicare posse profitentur. Quid enim? Nonne hic Ulyssi mendici speciem habitumque tribuit in patriam et ad penates revertenti? nonne eundem naufragum cibum vestemque fecit a Nausicaa expetentem et in domo Alcinoi humi apud ignem foci admodum submisso consistentem? Haec ipsa autem Euripides in hac fabula imitatus est, et generosam effinxit personam Menelai, ab ea, quae reliquis inest fabulis, non minus longe diversam, quam est Helena Aegyptia a Troiana, eundemque ducem exercitus et eversorem Troiae fuisse voluit.

Redeunt famulae et Helena ex aedibus rebus omnibus

sic, ut sunt, a Theonoe apertis, vivere Menelaum et multa per maria ac littora vagatum in propinquo naufragum versari cum paucis amicis eiectionem. Diligentia Euripidis conspicitur in eo, quod addidit, Helenam quaerere de reditu in patriam prae gaudio omisisse. Prodiens autem e domo Helena statim conspicit Menelaum, quem, qua est cultus vestitusque deformitate, quum merito pro latrone habeat in insidiis collocato, ut in Theoclymeni nuptias a tumulo abstrahat, non segnius, quam equus aut Baccha, ad sepulcrum cursu contendit, Menelao insequente et retinere fugientem conante. Ubi autem monumentum nacti ambo constiterunt atque coram alter alterius vultum intuentes coniuges se invicem agnoverunt, Helena quidem amplecti maritum sine mora cupit, Menelaus autem spectro se eludi arbitrans arcet: qui scrupulus tantum abest ut eximatur animo, illa imaginem pro se Troiam ductam esse affirmante, ut illudere deos aegritudini suae opinetur et sine mora ad socios, relicta vera uxore, redire cupiat*). In hoc discrimine opportune eum convenit unus sociorum nuntians Helenam, quam e Troia duxerit, abisse in aethera ac, dum e conspectu tolleretur, aperuisse frustra fuisse certamina Iliaca, frustra labores mortesque virorum, et immerito Ladae filiam infamari: fraude enim Iunonis turbas illas omnes effectas esse. Quibus dictis nuntius Helenam in sepulcro commorantem conspiciens, illam huc ex antro volucrum aufugisse opinatur. Haec miracula tam similia veris efficta sunt, ut facile nos et ipsi suspicemur unam fuisse Helenam, eamque, fracta nave, quum prius, quam reliqui, in terram evasisset et ad Protei aedes pervenisset, ibi a rege retentam esse, postmodum autem inventam a marito ac reductam esse.

Merito Wielandus hoc Menelai Helenaque colloquium censuit tum argute dictorum acumine tum simplicitate et veritate egregium et paene omnium, quae Euripides composuisset, primum esse, maxime vero scitum esse illud, quod quibus documentis Helena certissime speraret dubitationem conjugis victum iri, iis ipsis illum, rideri se atque

*) Haec respicit refertque Sextus Empir. adv. logic. VII. p. 407.

illudi putantem, in fugam compelleret. Plus enim eum fidei iis, quae ipse expertus est, quam verbis peregrinae mulieris, tribuere aequum est. Eadem ubi ex satellitis narratione cognovit vana fuisse et fraude divina effecta, conspirare testimonia intelligens, tum vero repente ex desperatione in laetitiam transit. Mutuo igitur amplexu coniuges fruuntur, obliti malorum, quae in longo divortio perpessi sunt, nec minore gaudio, quam si nunc demum matrimonio iungerentur, afficiuntur reconciliati*); tum, ut fit, recordatione sive errorum sive factorum, quae caussa fuerunt disjunctionis itemque malorum, quae inde evenerunt, interpellatur quidem laetitia, sed confirmatur fides purgandis factis et removenda omni suspicionum materia. Haec inter oscula, amplexus et lacrimas alternis aguntur cantibus, id quod convenit incitatis animis et laetitia affectis. „Nihil neque venustius neque gravius inveniri potest, quam ardor ille animorum laetitia elatorum, quo fit, ut in cantum quasi sponte effundantur.” Movemur iis poetarum inventis, quae effigiem vitae humanae continent: cuius generis haec est actio, qua coniuges ad concordiam ex divortio revocati ac foedus coniugii instaurantes sic ostenduntur, ut in horum imagine communem coniugum causam expressam intueamur. Cuiusmodi reconciliations fieri nunquam possunt, quin errorem et obcoecationem animorum causam dissidii fuisse intelligatur; renovato autem amore, permutatus fuisse coniugum is, qui iniuriam fecit, videtur. Prope haec a ridiculis absunt; sed fere ut quaeque maxime tragica, ita maxime comicis vicina sunt. Nulla enim re nisi levitate et gravitate tum rerum tum hominum differunt. Gravissimi autem tum Helenae tum Menelai sunt casus atque labores et summa morum dignitas.

Reconciliatae coniugum gratiae ad familiam redundare felicitas solet. Adest famulus, qui quondam nuptia-

*) Notanda est Fritzschi scurrilitas, causam laetitiae, qua Helena effertur, his obscoenissimis verbis arguentis ad Thesmoph. Aristoph. p. 375: „Verum Helena triumphat gaudio atque tripudiat, quippe quae ad illum diem nullam ac ne *συντί- νην* quidem *ἐπίκουργίαν* habuerit.”

rum celebrationis particeps faces quadrigis praetulit, quibus cum Menelao insidens Helena deducta est. Is igitur communiter de mutata fortuna, de purgata dominae fama, de finitis laboribus gaudet: quibus in laboribus quum aniteretur Menelaus, nihil assecutus est; eidem summa felicitas iam sponte obtingit inopinato, et ne oracula quidem atque auspicia plus profuerunt, sed coeci fuerunt vates, vana auguria, sive quod vera dii aperire noluerunt, sive quod mendax omnino est divinatio. Praestat igitur, omissis vaticiniis, simpliciter bona a diis precari et consilio atque prudentia uti tanquam optima divinatione. Indocto hanc disputationem tribuit Euripides, quod volebat hanc cognitionem ad indoctissimos de plebe penetrare. Pudebat enim eum inscitiae et superstitionis popularium, qua in suscipiendo bello contra Syracusios plus hariolis, vatibus coniectorebusque, quam prudenter suadentibus, tribuerant; cf. Thucyd. VIII, 1. Ceterum mireris, quod divinationem Euripides damnet in ea tragoedia, in qua summi esse momenti voluerit responsa virginis divinae Theonoes. Sed talis ubique est, in argumentis dramatum ficta, in disputationibus vera exprimens curansque ipse, ne utriusque generis vim naturamque permutemus. Sed his dictis, quibus ingenuitatem animi satellites declarat, ad navem redit mandata domini illuc perlaturus. Expectare enim socios iubet Menelaus et ad se in liberanda abducendaque uxore adiuvandam paratos esse.

Sequitur deinde periculi imminentis declaratio et de salute deliberatio. Hunc Wielandus dialogum tanquam exemplar, quod imitentur, tragicis poetis omnibus vult ante oculos poni. Est autem haec colloquiorum singulis versibus contextorum vis, ut quasi certantibus inter se argute, stricte acriterque dictis crebrius percutiantur animi et quasi citato cursu decurrente colloquio abripiantur. In hoc vero colloquio verborum nervis rerum accedit gravitas, consiliorum magnitudo, animorum fortitudo, morum praestantia. Per decem igitur annos bello, per septem erroribus functus Menelaus, inventa tandem uxore, cuius gratia labores illos omnes toleravit, necem sibi imminere videt ab eo, cuius domum naufragus misericordiam imple-

raturus adiit. Helena autem, quum tam longo tempore intactum servarit torum cum desiderio exspectans maritum (cuius rei certissimum testimonium est supplicis sedes), postquam recepit, in necessitatem adducta est fugam ei, ne vita privetur, celerrimam suadendi: interficiendi enim regis potestas nulla est, tentare autem quae effici nequeunt, stultum est. Sed Menelao mori, antequam uxore cedat, certum est, et audentem aliquid, quam dantem manus mori suavius esse decernit. Hac cognita coniugis voluntate spes quaedam Helenae affulget, si possint Theonoe persuadere, ne Menelaum adesse fratri aperiat. Quodsi preces mulier divina repudiarit, mori una eodem gladio ambo percussi constituunt. Sed acri antea certamine conflictaturus est Menelaus neque Troicam laudem dehonestaturus, tum demum in tumultu Protei prius coniugem, deinde se ipsum occisurus. Nam fortes vi hostium oppressos levi terra contegunt dii, ignavos in duras abiciunt cautes. Admiratus est Wielandus hanc maxime partem colloqui:

Helena.

At iuro sanctum iusiurandum per tuum caput.

Menelaus.

Quid ais? te morituram neque unquam permutaturam conubium?

Helena.

Eodem quidem gladio, ut tuo adiaceam corpori.

Menelaus.

Tange meam dextram, ut rata sint haecce.

Helena.

Contingo, mortuo te me hanc relicturam lucem.

Menelaus.

Et ego orbatus te finiam vitam.

Helena.

Quomodo igitur moriemur, ut honeste moriamur?

Menelaus.

In sepulcri dorso te caesa me interficiam:

„Si tales erunt,” inquit, „et ea praestabunt, quae decet, actores, si constantiam, pietatem, virtutem satis poterunt imitari, ut tantam praestantiam heroum Graecorum, quanta

est Menelai Helenaëque, digne exprimant declarentque, necesse est his paucis verbis acrius theatra, quam ullo alio tragoediarum, quascunque novi, loco permoveri. Sed universa actio exemplar est artis illius rarissimæ nec nisi summis concessæ ingeniis, perfectas morum species simpliciter perinde atque vere, lineamentis nervose effectis propriisque, tanquam certorum hominum formas, mentibus spectatorum oculisque proponendi. Quodsi Euripidis præter hanc dramatis partem nihil ad hanc durasset ætatem, sufficeret ad intelligendum illum numero principum poetarum, quicunque omnibus sæculis floruerunt, fuisse. Propter tales enim carminum virtutes monuit iuniores poetarum Horatius, ut exemplaria Graeca et nocturna manu et diurna versarent."

Strepunt aedium valvae et foras ad stupentes metuque perculsos egreditur virgo veneranda, paene divis scientia rerum tum absentium tum futurarum aequalis. Imaginem sapientium talium, quales et Aegyptii quondam coluisse traduntur et Indi etiam nunc venerantur, Theonoe effinxit Euripides. Nam quum virtute mortales ad deorum præstantiam eniti Graeci censerent, illi populi sanctitate et caeremoniis et vitando contactu corporum, quæ pro impuris habebantur, et expiandis religiose vitiorum maculis homines ad tantam credebant tum potentiam tum rerum abditarum scientiam evehi, ut ipsum deorum regem aemularentur, quin etiam, pulso eo, imperium inter deos possent occupare. Huius generis est Theonoe, quæ quidem, quacunque incedit, ignem iubet ex aedium penetralibus petitem præferri et sulphuris suffitu aerem, quem spiritu haurit, impleri, viam autem, quam ingreditur, si uspiam improborum sit vestigiis contaminata, facibus concussis lustrari. Eadem potentiam ex sanctimonia tantam consecuta est, ut non solum quæ in terris geruntur omnia tanquam præsentia perspiciat, sed etiam quæ in deorum consilio aguntur cognoscat. Comperit Menelaum adesse, abisse falsam Helenæ imaginem, deliberare deos de reditu coniugum, bene iis cupiente Iunone, adversante Venere: metuere enim hanc, ne per fraudem emisse palmam pulcritudinis arguatur; in se autem ait positum esse momentum, sive velit fratri rem prodendo

Veneris consilium sive celando Iunonis ratum facere. Opinionum commentis philosophiae placita noster involvit: quod enim plerique et philosophorum et poetarum fatum vel providentiam deorum esse volebant, eius ille momenta esse in hominum consiliis posita censebat; cf. T. II. p. 16.

Oblatam vides occasionem contentionibus orationum decertandi, quo certamine quae carent tragoediae vix solidae absolutaeque esse videntur, quippe quum caussarum dicendarum, morum describendorum, casuum factorumque explicandorum, voluntatum deciarandarum in solis illis contentionibus copiosior obferatur facultas. Et solent veteres momenta caussarum non aliud post aliud in pugnam quasi singularem deducere, sed in unum collecta universa, tanquam acie constituta, in certamen committere. Quamobrem quod Wielandus censuit, partem argumentorum tanquam secundam aciem in subsidiis collocandam fuisse, monendum est hoc a more et consuetudine eiusmodi iudiciorum abhorruisse.

Primum et antiquissimum sine dubio Theonoe est fratrem eundemque regem adiuvare, idemque ipsi tutissimum. Ab altera autem parte et pietas exsequi iubet quae pater defunctus voluit et humanitas servare miseros, probos ab iniustitia ac libidine tyranni defendere. Haec persequitur Helena, dum genibus virginis divinae advoluta orat, ne ipsam cum marito, post longum tempus vix recepto, proditos fratri per ambitionem pessumdet. Odit deus, inquit, iniustitiam et rapinam, ut qui commune coelum, communem terram mortalium domiciliis et victui concesserit, ut abstinentes alienis possideant iuste et per laborem quaesita. Atqui se a Mercurio ea lege traditam esse Proteo, ut marito, ubi venisset, restitueretur: quod pactum violari, si Menelaus interficiatur, simulque iniuriam Proteo fieri in deorum numerum recepto, si irrita fiat defuncti voluntas. Plus igiturtribuendum esse patri probo, quam fratri temerario. Tum turpe esse vati ac divina colenti, dum superstiti gratificetur, pietatem erga defunctum violare; turpe esse divina omnia tum praesentia tum futura scienti ignorare iustitiam. Praeterea, tanquam rem extra caussam positam, etiam suam sortem

inspicere iubet. Esse se mortalibus omnibus odiosam, quippe cum arguatur prodito marito ad Phryges divites abisse. Ea se infamia liberatum iri, si reversa domum fraudem deorum aperiat; tum facultatem fore filiae elocandae et finitis miseriis re familiari secure fruendi. Quodsi coniux procul interfectus esset, minus id futurum miserum fuisse, quam eundem servatum e periculis se inspectante interire. Quod noli, inquit, o virgo, committere, sed patris naturam probissimi imitare: id enim liberis decus pulcherrimum est.

Haec et apte et graviter dicuntur in sepulcro eius viri, cuius causa non minus quam superstitum agitur, praesertim coram sacerdote eius populi, a quo constat sanctissima religione sepulcra esse defunctorum et honores coli solitos. Omnium vero, quae unquam in atrocissimis causis dicta sunt, et gravissima et dignissima et sublimissima oratio est Menelai. Non supplicat virgini, non lacrimat, non demisso conspicitur animo, gloriam rerum gestarum et prioris vitae splendorem dedecorans. Quid enim? si iusta non impetrarit, hanc ultimam calamitatem sicut priora tolerabit, illa autem sacerdos impie fecerit. Contra simul se digna atque ea, quae huius fodient animum, dicit ad tumulum regis sepulti accedens et uxorem fidei illius commissam reposcens: quod idem est, ac si filiae eius supplicaret: non potest enim haec committere, ut pater, qui vivus laudabatur, male audiat ab inferis excitus. Nec Proteum solum, sed universum Orcum invocat, ut aut restituat corpora, quae pro Helenae reditu quasi immolata acceperit, aut Theonoe ad praestandam fidem paternam cogat. Postremo docet iurasse se, si uxore privetur, aut cum rege manum conserere aut in tumulo se simulque uxorem interficere: id perpetuum Theonoe dolorem et patri eius opprobrium fore. Abducturum se utique uxorem, si minus in patriam, certe ad inferos, et cum gloria occubiturum.

Profecto nil potest ad persuadendum efficacius (*δραστήριον*) inveniri, quam haec est oratio, cui quidem Theonoe, etiamsi fratrem iniustitia aequaret, tamen resistere nullo modo posset. Sed molestum est, quod Menelaus, ad thea-

trum non minus, quam ad Theonoe dirigit orationem, loco poetae ad docendum pronus, hanc dicendi rationem ipse commendat. Improbatur igitur noster lacrimas et abiecti animi speciem in iis, qui causam capitis dicerent, et validiora eos dicere quam miserabiliora iubet.

Perfectae sapientiae speciem Euripides quum reliquorum vatum plerosque tum Theonoe esse voluit, et placita philosophorum haud vulgaria huius fecit ore enuntiari. „Inest in natura mea magnum iustitiae delubrum a Nereo traditum. Servabo igitur Menelaum, suffragabor Iunoni, missa Venere, quae opto quidem ut propitia mihi sit, sed nihil unquam mecum habuit commercii, tradam patris loco Helenam marito, curabo, ut poenas iniustitiae et viva et mortua evitem: etenim animae defunctorum, quamvis careant vita, non carent sensu, immortalis aetheri admistae. Simul hac ratione fratri ipsi, quoniam eum pius esse cogo, benefecero. Itaque ego quidem e medio digressa silebo, vos autem diis supplicate, ut consilia vestra propitii adiuvent; tu vero, o pater, nunquam, quantum in me est, impius pro pio vocaberis.”²²

Potuit, haec sentiente Theonoe, hoc totum episodium a tragoedia abesse; sed quis pulcherrima carminis parte, quamvis eam minus necessariam esse intelligat, vellet carere? Certe enim non facta neque rerum impeditio, sed affectus, qui ex rerum difficultatibus existunt, finis sunt tragoediae: his enim solis insunt ea, quibus teneantur moveanturque animi, his solis exprimendis vis poetarum manifestatur: nam factorum quidem implicatorum turbam nugaeque canoras invenire non est summum neque difficillimum. Hoc voluit Aristoteles, affectus a factis non separans, neque idem improbavit episodica minus necessaria, dummodo plena affectuum essent et materiam contentionum facultatemque virium ingenii expromendarum tum poetis tum actoribus praebent. Ceterum, quamvis egregia sit Theonoe sapientia, tamen Aegyptia est mulier, quae gens religionibus et caeremoniis plus quam innocentiae animorum et vitae integritati tribuat. Quid igitur mirum, quod monenda fuit, ne in religionibus colendis iustitiam negligeret?

Viam deinde salutis deliberando quaerunt Helena et Menelaus: quo ad fortiora, sed minus tuta consilia promptiore, illa suadet, ut mortuum se dici, malum omen minus verens, patiatur et simulet se socium fuisse Ulyssis in naufragio solumque ex periculo servatum, cui rei fidem esse vestis squalidae laeeraeque habitum facturum. Helena autem rasura capillorum et lamentis lugens defunctum petitura est a tyranno, ut tumulo inani eum, qui fluctibus sit obrutus, sepelire liceat et in altum evectae inferias in maris profundum (id enim Graecorum moris esse) demittere. Nave autem accepta, Menelai et sociorum fore negotium barbaros interficere. Unum restat, ut dii ventis secundis conata adiuvent: itaque Helena sublatis ad coelum manibus precatur, ut Iuno quidem miseros adiuvaré ne dedignetur, Venus autem tandem aliquando quietem satis vexatis concedat, aut, si extinguere utique velit, certe in patria terra mori patiatur; quod si fraudibus et cruentis illecebris abstineat, nullum deum aequè ait mortalibus suavem iucundumque fore. His dictis Helena quidem in domum abit ad luctum simulatum corpus compositura, Menelaus autem, ut a vi et insidiis regis tutus sit, in monumento sepulcri considet.

Perventum est ad catastrophén, qua ex misero rerum statu in laetum tragoedia, ut aliae plurimae non Euripidis solius, sed veterum tragicorum omnium, convertitur. Dignitatis detrimentum nullum Menelaus atque Helena faciunt dolo potentiam hominis iniusti et libidinosi eludentes, neque tragoediae sublimitas tollitur, cum ostenduntur homines ex malis in salutem tum deorum benignitate tum sua virtute vindicati. Nulla enim talibus eventibus levitas inest, sed talia, qualia, ut insperata, admiremur; sublimia autem sunt quaecunque opinione maiora animum percellunt, non minus laeta quam misera.

Nullò chori carmine series actionum longissima, ex quo primum in mutuum conspectum Helena et Menelaus redierunt usque ad id tempus, quo viam salutis ingressi sunt, interpellatur: eademque actionum continuatio Iphigeniae inest et ceterarum fabularum quibusdam. Iam venustissimo carmine mala ex mentium errore et ficta He-

lenae specie nata deplorantur. Non potuerunt Athenienses non propriae cladis reminisci, canente choro illa: „Multi Achivorum hastarum et saxorum ictibus percussi ac misere extincti in luctum coniuges suas coniecerunt orbaruntque domus, multos in reditu unus vir fallaci sublata face sustulit, saxis illisos Caphareis.” Neque minus sententiam Atheniensium afflictorum haecce imitari videntur: „In tanta rerum humanarum inconstantia, in eventibus spei et rationi contrariis, quis dicat se, quum ad fines remotissimos scrutando procederet, quid esset deorum consilium, quid non, invenisse?*) Errores enim mortalibus immittunt dii et saepe miseriis ipsos deorum liberos vexari videmus; sed stulti sunt qui gloriam per bella quaerunt, stulti qui armis mala sanare student, cum verbis lites componere liceat: bello enim si disceptentur, nunquam caedes cessabunt: cuiusmodi contentionum qui sit finis, Troianorum sors ostendit, interfectis hominibus, tectis autem igne, tanquam Iovis fulmine, vastatis: ex quibus calamitatibus miserrimis dolores super dolores in Helenam redundant.”

Rediens a venatu Theoclymenus primum quidem manes patris in vestibulis sepulti tanquam penates religiose salutatur: quo facto statim dicit accepisse se Graecum quendam hominem advenisse et fefellisse speculatores, qui timendum esse ne Helenam furtim abducere conetur. Cui dum mortem minatur, illam abisse a sepulcro videns, reserare iubet claustra, expedire currus, adducere equos, ut mulierem, quam abductam putat, recuperet. In hoc impetu repente Helenam conspicit ex aedibus prodeuntem, lugubri indutam veste, detonsis capillis, ore lacrimis opleto. „Qui exinde conseritur regis Helenaeque sermo, perfectum artis opus est, summa diligentia perpolitum,

*) Scribendum est v. 1149:

*τί τὸ σαφές, ὃ τι ποτ' ἐν βροτοῖς
θεῖον ἔπος ἀλαθὲς εὔρον;*

in antistropha autem:

*ἐπὶ δὲ πάθειά πάθεισι φέρεις
ἀθλίους ἐν συμφοραῖσιν.*

et in quo aestimatorum acumen nihil, quod reprehendat, invenire possit. Singula, ne longus sim, intelligentibus recensenda relinquo, neque tamen possum, quin etiam atque etiam iuniores poetarum, qui in scenico genere elaborabunt, moneam, ut Euripidem, quo nemo melius colloquia temperasse videtur, versare imitarique ne unquam desinant, donec deprehenderit perceperintque artem dicta responsaque omnia tum moribus, sexui locoque eorum, qui colloquuntur, tum consiliis vel apertis vel occultis, et animo, quo quoque erunt tempore affecti, denique causae eorum accommodandi, quibus rebus fit, ut illa propria ac peculiaria existant, simulque sic alia aliis aptandi, ut a natura esse conformata videantur, neque quidquam, quod sit minus probabile, intercurrat aut in quo aliter rem dici agique debuisse sentientes spectatores offendantur. In ea autem arte, quanto magis quisque in animos personarum, quas effinget, se quasi induerit penetraveritque, tanto excellet facilius." Haec Wielandus. Accedit autem, quod legibus tragici tenebantur iis, quibus difficultas componendorum scite colloquiorum augeretur, cuius generis est, quod singulis singula dicta versibus includenda erant, quod male ominatis verbis omnibus abstinendum erat iis, qui mentiebantur, quod nil nisi verum enuntiandum et sola ambiguitate orationis fraudes peragendaerant. Refert igitur Helena, dominum appellans regem, tanquam et Theonoes divinatione et ex nuntio, qui praesens adfuerit, compertum, occidisse sibi Menelaum, quibus dictis statim annectit ambiguum precationem, ut sic, ut optet, redeat. Demonstrat deinde nuntium, foeda squalentem illuvie, quasi ex fluctibus, quibus ille prope Libyae littora perierit, a nautis quibusdam exceptum servatumque, et subiicit, putare se suum sic maritum se habere, et male pereundum ibi, ubi dicat, non Menelao fuisse. Miseretur Theoclymenum Troianorum, miseretur etiam Menelai insepulti; sed mox, ne non vera sint quae ut vera sint vehementer cupit, veretur. Ea suspicio facile dissolvitur ad Theonoen provocando, quae falli nequeat. Tum sine mora ille nuptiarum iniicit mentionem. Respondet Helena, admodum afflicta specie: iam tu eris

nuptiarum mearum arbiter; obliviscere priorum, et in gratiam mecum redi: ego vero per genua tua te supplex precor, ut defunctum virum sepelire mihi liceat. Annuente rege et de ratione sepeliendi quaerente, morem esse ait Graecis in pontum iis, qui in ponto perierint, inferias demittere. Promittente rege se omnia pro facultate largiter praebiturum, illa inscitiam eorum, quibus opus sit, simulans, quaerere ex Menelao iubet. Hostiam igitur hic primum postulat et quidem generosam, deinde lectum stratum corpore vacuum, tum arma, ut militari viro convenientia, denique frugum, quas terra fert, pulcherrima quaeque. Navi praeterea et remigibus opus esse, ut in alto maris, unde ad terram fluctibus reiici nequeant, inferiae demittantur. Haec omnia laetus lubensque rex concedit, aegrius vero Helenae ipsius manu sacra peragi patitur; sed affirmante Menelao coniuges a coniugibus et cognatos a cognatis solis rite sepeliri, id quoque assentit homo caeremoniis, neglecta probitate et iustitia, unice intentus, et conducere sibi ipsi, piam magis quam infidam alere uxorem, intelligens; insuper Menelaum, cuius sit nuntio factus compos voti, vestibus cibusque recreat. His actis gratulantur sibi, adstante rege, Menelaus et Helena sic, ut illi gratulari et unice obtemperare videantur. Sic barbarus, ut callidus et suspiciosus ita cupidine et suspicione coecus, circumvenitur: quod quis non gaudeat, potentiam cum iniustitia, superstitionem cum improbitate coniunctam eludi?

Postquam omnes intro abierunt, chorus, ne prodant secreta, simulacro utens priorem Helenae dolorem et praesentem eiusdem laetitiam depingit: fabulam enim Idaeae matris filiam abreptam, comitantibus Minerva ac Diana virginibus, cum summo moerore quaerentis, postea autem Veneris, Gratiarum Musarumque saltatione exhilaratae, carmine celebrat elegantissimo. Praeterea res ipsae, quae narrantur, primariam illam sententiam, quae quasi tragoediarum fundamentum est, declarant, tutiora ac feliciora esse mediocria quam eximia. Neque enim summae laudes facile sine superbia atque invidia habentur. Itaque Helena, dedecorari venustatem suam putans, si hinnuleo-

rum pellibus, hederâ thyrsoque ornata baccharetur, domi se tenens per festos Bacchi dies, tibiam, qua ad tripudia feminae incitantur, combussit: quod faciens deorum suavissimum, quo ad hilaritatem ex moestitia afflicti revocantur, per quem quondam Idaea mater ipsa recreata simulque fames ac pestilentia a mortalibus depulsa est, repudiavit. Tantum igitur abest, ut pro intercalari (*ἐμβολίμῳ*) aut alieno hoc carmen habendum sit, ut vix ullum ulli dramati magis necessarium esse videatur. Imaginem autem continet verbis depictam, qua venustiore[m] ullam ex antiquitate servatam esse negat Wielandus, dignam, quam summi artifices, qui Raphaelis vel Michaelis Angeli laudem aemulentur, magnifica aliqua et copiosa figurarum complexione imitentur.

Redit ex aedibus Helena et omnia feliciter cessisse declarat: adiutam a Theonoe fraudem esse, Menelaum optimis quibusque armis arreptis, scilicet pro inferiis ad mare delaturum, corpus instruxisse, ut vel maximo barbarorum numero manibus consertis par esse possit; simul eum et lavacro et novis vestibus sua manu ornatum esse. Unum restare, ut famulae silentio consilia adiuvent, salutem, si fieri possit, silentii quondam pretium accepturae. Ibi novum infertur impedimentum, rege Helenam, quod timet, ne in undas corpus proiciat, remanere iubente: nimium enim defuncti desiderium vehementia luctus declarare videtur, quibus lacrimis et augetur venustas eius et accenditur amor regis, ut hic impatiens morae deducere eam ipse ad navem et exsequias priori marito una ire cupiat. Haec declinat Helena summa calliditate, verba dat regi summa ambiguitate, denique amorem ex grato scilicet animo natum et a priore marito ad illum conversum sic significat, ut nihil tamen nisi Menelai amorem consciis declaret. Neque declinat tantum incommoda, sed alia insuper commoda lucratur, persuadens regi, ut Menelao obedire remiges iubeat. Quibus actis, statim rex nuptias apparare iubet, invitare principes, adesse choros, qui hymenaeos cantent; simul Menelaum monet, ut peractis sacris reducere domum coniugem suam ne cunctetur. His editis

mandatis in aedes redit. At ille Iovis deorumque opem implorat, ut adiuvare consilia sua et e malis tandem aliquando miseros liberare velint.

Spatium longissimum, quo ea, quae praeparata sunt, perficiuntur, carmine satis brevi expletur: cuius prima stropha continet navigationis per mare tranquillum secundantibus ventis factae imaginem tantae amoenitatis, quantam effingere potuit is, qui eam voluptatem saepius ipse perceperat. Antistropha Helena fingitur in patria terra ponens vestigia, particeps publicae laetitiae festorum, quibus vel Leucippides vel Hyacinthus colantur, revisens filiam diu desolatam. Venustissima vero est altera stropha: Utinam aves factae per aerem feramur, quae hiemem fugientes domicilia mutant, voci obtemperantes ducis, qui conspecta terra aprica et fructifera clamorem tollit. O volucres, quae cum nubibus curritis, evectae ad Pleiades et Orionem, nuntiate, cum ad Eurotam perveneritis, Menelaum, Dardani urbe eversa, domum reverti. His subiungitur precatio pro Helenae salute: Adsitis curru vecti Tyndaridae, qui sub astrorum micantium conversione templa habitatis coeli, servate Helenam per maris fluctus coeruleos ventos nautis prosperos de coelo mittentes, repellite a sorore ignominiam connubii barbari, nunquam illam Ilium adisse neque certaminum Troianorum caussam fuisse aperite.

Narratio rei gestae omnibus numeris praestans et perfecta est. Dum navem Aegyptii deducunt ornantque, socios arcessit Menelaus: quos venientes quasi ignotos salutatur et navigio recipit lacrimantes, aegre quidem ferentibus barbaris, sed, quod obedire illi iussi erant, silentibus. Deinde cum dona navi imponerentur, taurus mugiens, trucibus oculis, sublato dorso reluctabatur, quem, hortante Menelao, Graeci iuvenes correptum sublatumque humeris tabulato iniecerunt; equum ipse demulcendo cervicem frontemque, ut ingrederetur, permovet. Ultima Helena in navem ascendit et in transtris consedit. Occuparunt Graeci partim dextros partim sinistros parietes, vir iuxta virum sedentes, gladios sub vestibibus occultos habentes. Tum voce adhortatoris audita remis barbari incubuerunt,

et recessit terra. Quum satis longe navigatum esse videretur, Menelaus arrepto ense in proram progressus taurum immolavit nullius defuncti manes, sed Neptunum et Ne-reidas invocans, ut ad littus Nauplium salvum reducerent. Tum, cognita fraude, cum vertere cursum navis barbari vellent, hortantibus utrimque ducibus, gladios alteri promunt, alteri remis scalmisque manus armant. Pugna commissa barbari partim interfecti partim in mare praecipitati sunt, quorum unus feliciter a nauta quodam exceptus est. Graeci autem, adspirantibus ventis, domum cursum direxerunt. His auditis rex, inutilem esse persecutionem intelligens, in sororem iram effundere conatur, stricto gladio ad caedem eius properans. Opponit se chorus, qui iustitiae partes per totam tragoediam viriliter sustentans, cum nullo loco otiosum se spectatorem praebuerit, tum hoc tempore etiam mortis periculo se exponit. Postremo Dioscuri iidem, qui primae tragoediae finem imposuerunt, iram regis comescunt purgantque Theonoe, fata interpretantur, secundam navigationem sorori (quae, quamvis absit procul, tamen vocem deorum tanquam praesentium percipit) promittunt eidemque immortalitatem et divinos honores secum communes praedicunt, nec non etiam Menelao sedem in beatorum insulis futuram pollicentur. Quibus auditis Theoclymenus in deorum consiliis acquiescit et singularem Helenae probitatem modestiamque laudibus praedicat.

Argumentum haec fabula habet romanticis, quas dicunt, fabulis vicinum, quo genere, ab Euripide, ut opinor, primo invento, quantopere Graeci, qui tum erant, delectati sint, Bacchus Aristophanis testatur, lecta Andromeda gestiens voluptate ac paene insaniens. Alterum horum admirationis documentum apud eundem exstat: utramque enim, quam diximus, fabulam in Thesmophoriazusi imitatus est.

C. A n d r o m e d a.

Argumentum huius tragoediae rectissime Apollodorus II, 4, 3. et II, 1, 4. reddidit. Accuratus quaedam docet Eratosthenes in *Catast.* 15. et 17., cuius vestigia Hyginus pressit in *poet. astron.* II, 10. Accedunt imitationes Luciani *Dial. deor. mar.* 14., Philostrati *Im.* I, 29. p. 657. (774.) atque Ovidii *Met.* IV, 670 seqq. Latinam illam et Attius et Ennius reddiderant, quorum ex operibus depromta frustula exstant satis luculenta. Structurae dramatis cognoscendae concinnandisque reliquiis praeter Matthiaeum et Welckerum Fritzsche in commentario ad *Thesmoph. Aristophanis* scripto operam satis utilem navavit.

Prooemium trimetris conscriptum non minus huic, quam reliquis Euripidis fabulis, praemissum fuisse recte disputavit Fritzsche, non prohibitus ille quidem verbis scholiastae ad *Thesm.* v. 1065. scriptis: τοῦ προλόγου Ἀνδρομέδας εἰσβολή: nam εἰσβολὴν prologi non esse eandem atque ἀρχὴν sive principium intelligitur tum ex Strabonis quodam loco (XIII. p. 616.) tum ex Myrmidonibus Aeschyli*). Notum est prologos fabularum Euripidis ex duabus fere partibus constare, quarum prior sit prooemium sive oratio dicta ad spectatores, altera plerumque quidem colloquium, interdum autem, velut in Ionis fabula, etiam canticum sive monodia. Hanc posteriorem prologi partem εἰσβολὴν a veteribus appellari solitam esse ex Strabonis atque scholiastae, quem dixi, verbis intelligitur; vox autem ipsa interpositionem quandam, quae inter prooemium et parodum inseratur, significare videtur.

Elegantius quam gravius Echus persona usus esset tragicus, si latitantem post scenam audiri tantum, non conspicere eandem, fecisset et lusu delectasset theatrum tali,

*) εἰπεῖν Αἰσχύλον κατὰ τὴν εἰσβολὴν τοῦ ἐν Μυρμιδόσι προλόγου· „ὡὸ Κάϊνε Μύσαι τ' ἐπιόροαί.“ Incipiebat fabula Myrmidones a trimetris illis: τάδε μὲν λέύσσεις, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ. Huic orationi subiungebatur illa εἰσβολή: ὡὸ Κάϊνε κτλ. Cf. *Herm. opusc.* T. V. p. 139. Fritzsche l. 1.

qualem Ovidius in Met. III, 381 seqq. excogitavit. Introduxit ille Furorem (*Λύσσα*) humane admodum et moderate, quasi Sapientiae ipsius genium, dicentem: quidni igitur etiam Echus personam plana ac perpetua oratione utentem ab eodem poeta inductam esse credamus? idque factum esse satis perspicuis verbis Aristophanes declarat:

ἦπερ πέρυσιν ἐν τῷδε ταύτῳ χωρίῳ

Εὐριπίδῃ καὐτῇ ξυνηγωνιζόμενῃ,

cuius quidem imitatio ipsa (Echus enim persona Euripidem ipsum indutum induxit) coniecturam nostram confirmat. Idem testatur schol. R.: *ἐπεὶ εἰς ἡγάγε κακοστένακτον τὴν Ἥχῶ ὁ Εὐριπίδης ἐν τῇ Ἀνδρομέδῃ.* Misericordem Euripidis Echonem ait in deridentem sive ridicule imitantem (*ἐπικοκκάστριαν*) ab Aristophane mutatam esse, id quod res ipsa ostendit.

Ab Echus igitur persona prooemium actum esse coniiicio. Eius hoc fuit argumentum: „Cepheus, Phoenicis filius*), rex fuit Aethiopum. Cuius coniuX Cassiopea, corporis forma superbiens, Nereidum iram excitavit multo se illis formosiozem esse gloriando. Quibus morem gerens Neptunus Cephei regnum et inundatione et ceto immisso pervastavit: hic enim in terram egrediens et greges et pastores rapiebat**). Qua peste quum premerentur Aethiopes, Cepheus rex Ammonis oraculo monitus est tum demum tantae calamitatis finem fore, cum Cassiopea filiam Andromedam ceto devorandam proposuisset, ad quod faciendum rex etiam popularium vi compulsus est. Itaque Andromeda scopulo mari vicino, ut a monstro devoraretur, alligata est.” Speciem expositae his verbis describit Lucianus: *προκειμένην ἐπὶ τινος πέτρας προβλήτος, προςπεπαταλευμένην, καλλίστην, ᾧ θεοί, καθειμένην τὰς κόμας, ἡμίγυμνον πολὺ ἔνερθε τῶν μαστῶν.* Religati erant lacerti virginis, sed liberae manus. Fragmenta huius narrationis pauca exstant, sed satis perspi-

*) Hygin. Poet. astr. II, 9. et 10.

***) Philostr.: *πεξεῦον ἐπὶ τὰς ἀγέλας καὶ τοὺς ἐν τῇ γῆ ἀνθρώπους.*

cua. Prodiens in scenam ex rupium latebris Echo, quae-
nam esset, declaravit:

Ἦχὼ λόγων ἀντιφθόσ*) — — —.

Locum, in quo res geruntur, versus imitationis Livianae
hic describit:

*Confluges ubi conventu campum totum
inhumigant.*

Monstri autem marini adventum hicce Euripidis versus
declarat:

κῆτος θοάζον ἐξ Ἀτλαντικῆς ἀλός.

Hic cum esset rerum status, Echo excitatam se nuper
esse dicit acutis quibusdam vocibus et lamentis, et cum
propius accessisset, conspexisse virginem rupibus alliga-
tam, appositis cibis, id quod piaculi avertendi causa fieri
semper solebat, si quis vivus ad mortem vel includebatur
vel exponebatur:

ὄρῳ δὲ πρὸς τῆς παρθένου θοινάματα**).

Et moveri se ait conditione virginis adeo, ut non possit,
quin aequae dolendo et succinendo naeniis solitudinem de-
sertae consoletur, id quod testatur scholiasta, cuius verba
supra transcripsimus.

His expositis secuta est illa εἰσβολὴ προλόγου, quae
quum cantico unius hominis, eiusque solitarii, confice-
retur, interpositioni ei, quae est in Ionis fabula, simil-
lima fuit.

ANΔΡΟΜΕΔΑ.

ᾠδὴ νῦξ ἱερά,
ὡς μακρὸν ἵππευμα διώκεις,
ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ'
αἰθέρος ἱρᾶς
τοῦ σεμνοτάτου δι' Ὀλύμπου***).

*) Thesmoph. 1059.

**) Ὀρῳ pro εἶδον dictum esse testantur grammatici, qui hunc
versum attulerunt; vide Walzii Rhet. Gr. VIII. p. 576.

***) Vertit Ennius apud Varronem L. L. V, 19: „Itaque dicit
Andromeda nocti:

— quae cava coeli
Signitinentibus conficis bigis.”

HXΩ.

δι' Ὀλύμπου.

ΑΝΔΡΟΜΕΔΑ.

τί ποτ' Ἀνδρομέδα περιάλλα κακῶν
μέρος ἐξέλαχον, θανάτου τλήμων
μέλλουσα τυχεῖν; — — — —

ἐκθεῖναι κήτει φορβάν*);

Lacunae explendae servit fragmentum fabulae Attianae:

„*Misera obvallata*
Saxo, serpio, paedore aliguque
Et fame.”

Pergit Andromeda sic:

ποῖαι λιβάδες, ποῖα Σειρήν — —;

Cum Sirenibus virgo se comparat, quae in desertis scopulis habitantes perpetuis querelis resonare faciant solitudinem, nemine audiente**); cf. Hel. 166.

Redeunte luce, primum eam aequales virgines, paullo post etiam parentes visunt, quorum illis chori officium mandatum est. Itaque canticum parodo continuatur.

ΧΟΡΟΣ.

— — — —
συνάληθσον· ὡς ὁ κάμνων,
δακρύων μεταδούς,
ἔχει κουφότητα μόχθων***).

ΑΝΔΡΟΜΕΔΑ.

φίλαι παρθένοι, φίλαι μοι

— — — —
γοᾶσθέ μ', ὦ γυναῖκες

*) Cf. Asclepiadis notam ad Arist. Avv. 348: καὶ δοῦναι ὄγγει φορβάν. Versum ab Asclepiade temere fictum esse nullis idoneis ductus argumentis affirmavit Fritzsche p. 431.

**) In risum haec deflexit Aristoph. Lys. 962 seqq.

***) Inutiliter haec, ut alia plurima, tentavit Meineke (Alterthumswissenschaft 1843. p. 186.).

ἀπὸ δὲ συγγόνων ἄλλ'

ἄνομα πάθεια — —.

Mala recensebat virgo, quibus partim a diis partim ab ipsis parentibus cognatisque affecta erat. Cum his congruit chori responsum:

ΧΟΡΟΣ.

— — — — —
ἄνοικτος, ὃς τεκῶν σε τὴν

: πολυπονωτάτην βροτῶν

μεθῆκεν Ἴδιαν πατρίδος ὑπερθανεῖν*).

Non desierat Echo ultima quaeque verba Jamentorum iterare. Haic igitur Andromeda:

πρὸς Αἰδοῦς σε, τὰν ἐν ἄντροις,

ἀπόπανσον, ἕασον, Ἄχοϊ,

ἐμὲ σὺν φίλαις γόου πόθον λαβέσθαι**).

Tum rursus ad aequales conversa sic conquesta est:

ὄραξ; οὐ χοροῖσιν, οὐδ'

ὑφ' ἡλίκων νεανίδων

— — — — — ἔστηκ' ἔχουσα·

ἄλλ' ἐν πυκνοῖς δεσμοῖσιν ἐμπεπλεγμένη

κήτει βορὰ πρόκειμαι,

γαμηλίῳ μὲν οὐ ξὺν

παιῶνι, δεσμῶν δὲ

— — — — — φῶτά τε λιτομένα,

πολυδάκρυτον Ἴδιαν γόου φλέγουσα***).

ΧΟΡΟΣ.

— — — — — ὃς σ'

ὄλοδον ἄφιλον ἐκρέμασεν †) — —.

ΑΝΔΡΟΜΕΔΑ.

ὦ μοίρας ἄτεγκτε δαῖμον·

τίς ἐμὸν οὖν ἐπόψεται

πάθος ἀμέγαρον ἐπὶ κακῶν παρουσία;

*) Vulgo πατρὸς ὑπερθανεῖν.

**) Vulgo λαβεῖν.

***) Thesm. 1040 seq. Temere ibi a comico connexa esse parum cohaerentia intellexit Fritzsche.

†) Thesm. v. 1028.

— — — — —
 εἶθε με πυροφόρος αἰθέρος ἀστὴρ

— — — — —
 ἐξολέσειεν·

οὐ γὰρ ἔτ' ἀθανάταν φλόγα λεύσειεν

ἔστιν ἐμοὶ φίλον, ὧς — — — — —

λαιμότμητ' ἄχῃ δαιμόνων, αἰόλαν

νέκυσιν ἐπι πορείαν.

Haec finiuntur matris adventu, quae, cum caussa sit perniciiei filiae, nil nisi inanes secum adfert querelas*). Simul se ipsa accusat, quod insolentia elata, ferente forte occasione, Nereidas lacessierit:

„*Muliebri ingenium, prolubium, occasio.*”

Inde imbris instar molem malorum a diis immissam esse:

„*Cum ninxerit coelestium molem mihi.*”

Contra Cepheus non se otiosum spectatorem praebere, sed exercitu adducto belluam in virginem invadentem ex insidiis aggressurus est**). Itaque primum uxorem, impotentem mulierem et secundis perinde atque adversis rebus ferendis imparem, monet, ut missis lamentis domum se conferat:

„*Multi iniquo, mulier, animo sibi mala
 auxere in malis,*

*Quibus natura prava magis, quam fors
 aut fortuna, obfuit.*”

Deinde a Phineo, fratre suo, eodemque virginis sponso***), postulat, ut ad liberandam Andromedam exercitum et ipse adducat et certaminis periculum communiter subeat:

„*Nisi quid facultas tua tulat nobis
 opem.*”

Ibi homo infidus, ignavus timidusque nescio quid vel religionis vel difficultatis praetexit, quam officio suo dicit obstare:

*) Ovid. Met. 691:

„*genitor lugubris et amens*

Mater adest, ambo miseri, sed iustius ille.”

***) Lucianus l. 1.: ἢ ὁ Κηφεύς, καθάπερ δέλεαθ προθεις τὴν κόρην, ἀπέκτεινεν ἐπιών, λοχίσας μετὰ πολλῆς θυνάμεως;

****) Apollod. II, 1, 4.

„*Nec, quid te adiuter, invenio. Hortari piget,
Non prodesse, id pudet**).”

Quem praetextum quamvis arguat Cepheus et ignaviae fratrem accusare vix dubitet:

„*Nam quod dicam, aut metute aut segnitate addubitare, haud meum est,*”

tamen illum non pudet abire et fratrem cum sponsa in discrimine destituere. Interposito deinde choro, quo spem liberandae virginis omnem iam abisse conquestae sunt virgines, subito per aerem Perseus advolavit. Apollodorus: παραγενόμενος δὲ εἰς Αἰθιοπίαν, ἧς ἐβασίλευε Κηφεύς, εὗρε τὴν τούτου θυγατέρα Ἀνδρομέδαν παρακειμένην βορᾶν θαλασσίῳ κήτει. — Ταύτην θεασάμενος ὁ Περσεὺς καὶ ἐρασθεὶς ἀναιρήσειν ὑπέσχετο Κηφεῖ τὸ κῆτος, εἰ μέλλει σωθεῖσθαι αὐτὴν αὐτῷ δώσειν γυναῖκα. Ἐπὶ τούτοις γενομένων ὄρκων, ὑποστὰς τὸ κῆτος ἔκτεινε καὶ τὴν Ἀνδρομέδαν ἔλυσεν. Orationis, qua usus est Perseus per aerem adveniēns, plurima servantur fragmenta:

ὦ θεοί, τίς ἐς γῆν βαρβάρων ἀφίγμεθα
ταχεῖ πεδίλῳ; διὰ μέσου γὰρ αἰθέρος
τέμνων κέλευθον πόδα τίθημι ὑπόπτερον.

ἔα· τίς ὄχθον τόνδ' ὄρω περιζῶντον
ἀφοῶ θαλάσσης, παρθένου τ' εἰκότινα
ἔξ αὐτομόρφων λαῖνων τυκισμάτων**),
σοφῆς ἀγαλμα χειρός***) — —

*) Cf. Bergk. mus. Rhen. III, 79. Ovid. V, 23:

„*Et nullam quod opem patruus sponsusve tulisti.*”

**) Vulgo *τειχισμάτων*. Iacobsii emendationem, quamvis vulgatam Fritzsche et Thudich. apud Welck. p. 1592. tueantur, auctoribus Seidlerero et Monkio probavi.

***) Ovid. Met. 673:

„*nisi quod levis aura capillos
Moverat et trepido manabant lumina fletu,
Marmoreum ratus esset opus.*”

Cognoscit deinde errorem et virginem, non imaginem, propositam esse intelligit:

— — — — — παρθένον
θεοῖς ὁμοίαν ναῦν ὅπως ὤρμισμένην.

Vix adspexit, cum amare incipit:

— — — — — ἀνθρώποισι γὰρ νοσήματα
ἅπασιν ἔστιν· — — — — —
λύσαντά μ' αὐτήν — — — — —
πεσεῖν ἐς εὐνὴν καὶ γαμήλιον λέχος.

— — — — — ὦ παρθέν', οἰκτεῖρω σε κρεμαμένην ὄρω*

σιγᾶς; σιωπὴ δ' ἄπορος ἐρμηνεὺς λόγων.

Lacunis explendis serviunt verba Ovidii:

„Ut stetit: O, dixit, non istis digna catenis,
Sed quibus inter se cupidi iungantur amantes,
Pande requirenti nomen terraeque tu-
umque

Et cur vincla geras. Primo silet illa,
nec audet

Appellare virum virgo; manibusque modestos
Celasset vultus, si non religata fuisset.

Lumina, quod potuit, lacrimis implevit obortis.

Saepius instanti etc.”

Strictim virgo nomen fortunamque suam et causam calamitatis exposuit explanavitque ea, quae erant ante oculos posita:

— — — — — Ἀνδρομέδα, παῖς Κηφέως,

— — — — — οἷόν μ' ὁ δαίμων θηρίῳ συνώκισεν.

Videtur cetus non semel impetum minatus esse, sed perpetuo virgini assidens eam custodivisse. Simul his dictis virgo ex Perseo, quisnam esset, quaesivit:

— — — — — σὺν δ' εἶ τίς, ὅστις τοῦμόν ᾤκτειρας πάθος;

Respondet Persens haecce:

) Fritzsche, qui paullo ante ὡς ἐκρεμάσθην ne a cantico quidem abhorrere iudicavit, hoc loco in verbis κρεμαμένην ὄρω offenditur et festinationis Matthiaeum, qui probaverit, accusat.

Περσεὺς πρὸς Ἄργος ναυστολῶν, τὸ Γοργόνος
κάρα κομίζων.

Tum et salutem ei promittit et amorem significat:

ὦ παρθέν', εἰ σῶσαιμί σ', εἴσει μοι χάριν;

Tam temerarium promissum ludificationi quam veritati si-
milis esse videtur Andromachae. Cui Perseus:

τὰς συμφορὰς γὰρ τῶν κακῶς πεπραγόντων
οὐπώποθ' ὕβρις', αὐτὸς ὀρθώδων παθεῖν.

ἦ που τὸ μέλλον ἐκφοβεῖ καθ' ἡμέραν,
ὡς τοῦ γε πάσχειν τοῦπιδὸν μείζον κακόν;

Paullatim fidem facit, id quod his verbis virgo declarat:

μή μοι προτείνων ἐλπίδ' ἐξάγου δάκρυ·
γένοιτο δ' ἂν πόλλ', ὧν δόκησις οὐκ ἔνι.

Postremo, cognita viri virtute, spes virginis confirmatur
adeo, ut ad preces ipsa se convertere et salutem suppliciter
orare non dubitet:

ὦ ξένε, κατοίκτηιρόν με τὴν παναθλίαν·
λύσόν με δεσμῶν.

Ubi servata sit, nullam non conditionem se accepturam
esse pollicetur:

ἄγου δέ μ', ὦ ξεῖν', εἴτε πρὸς πολὺν θέλεις
εἴτ' ἄλοχον εἴτε δμωῖδα.

Quo accepto promisso, sine mora ille Cepheum patrem
praesentem adit: cui, quis sit et unde veniat, quaerenti res
gestas exponit*), cuius narrationis argumentum Lucianus
atque Apollodorus reddiderunt. Reliquiae autem colloquii
exiguae exstant:

νεότης μ' ἐπῆρε καὶ σθένος τοῦ νοῦ πλέον.

Haec ad temeritatem spectant adolescentis, qua caput
Gorgonis se pro symbola allaturum esse pollicitus est.

ἡπειρον εἰς ἄπειρον ἐξεπλεύσαμεν**).

„Quot luna circos annuo in cursu institit.“

*) Lucianus: ταῦτα γὰρ ἤκουσα διηγουμένου αὐτοῦ πρὸς τὴν
Ἄνδρομέδαν καὶ πρὸς τὸν Κηφέα ὕστερον.

**) Fragm. inc. 210.

εὐκλειαν ἔλαβον οὐκ ἄνευ πολλῶν πόνων,
ἀλλ' ἠδύ τοι σωθέντα μεμνησθαι πόνων.

„*Suavis laborum est praeteritorum memoria.*”

Cephei dicta haec servantur:

ὦ τλήμων, ὥς σοι τὰς τύχας μὲν ἀσθενεῖς
ἔδωχ' ὁ δαίμων, μέγα φρονούσι δ' οἱ λόγοι.

Expositus scilicet et in mare abiectus Perseus a piscatore quodam paupere exceptus et pro filio eiusdem educatus fuerat. Eodem pertinet versus Attii:

„*Nam postquam parvos vos oppressit famulitas.*”

Plane contraria Cephei est conditio, opibus quidem abundantis, sed fortitudine carentis et auxilio in rebus perditis destituti:

— — — — —
χορήμασιν γὰρ εὐτυχῶ,
ταῖς συμφοραῖσι δ', ὥς ὄρεῖς, οὐκ εὐτυχῶ.

Egenus igitur atque humili loco natus iuuenis, sed idem rerum gestarum gloria elatus ac tum fortitudine sua tum deorum favore fretus uxorem petit filiam regis potentissimi, ditissimi, generis nobilitate splendidissimi. Cogente necessitate Andromeda Perseo a patre spondetur, insuperque promissum iureiurando confirmatur*).

„*Liberum quaesundum caussa familiae matrem tuae.*”

His compositis Perseus ad certamen se ineundum accingit, Cupidinem, a quo impellitur, in auxilium advocans**):

σὺ δ', ὦ τύραννε θεῶν τε κἀνθρώπων Ἔρωσι,
ἢ μὴ δίδασκε τὰ καλὰ φαίνεσθαι καλά,
ἢ τοῖς ἔρωσιν, ὧν σὺ δημιουργὸς εἶ,

*) Ovid. 703:

*Ut mea sit, servata mea virtute, paciscor.
Accipiunt legem: quis enim dubitaret? et orant
Promittuntque super regnum dotale parentes.*

**) Philostr.: καὶ γὰρ εὐχὴν ἀνεβάλετο τῷ Ἔρωτι ὁ Περσεὺς προ τοῦ ἔργου, παρεῖναι αὐτὸν καὶ κατὰ τοῦ θεοῦ συμπέτεσθαι. Antiphilus epigr. (Anthol. II, p. 670.): ἄθλον ἔρωτος κῆτος. Cf. Welck. p. 658.

μοχθοῦσι μόχθους εὐτυχῶς συνεκπύουσι·
καὶ ταῦτα μὲν δρωῶν τίμιος θνητοῖς ἔσει *),
μὴ δρωῶν δ' ὑπ' αὐτοῦ τοῦ διδάσκεισθαι φιλεῖν
ἀφαιρεθήσει χάριτας, αἷς τιμῶσί σε.

Profecto Perseo, chorus et quae in conspectu fiebant
verbis exprimebat et quae in propinquo loco gerebantur,
strepitu significata, opinione anticipabat:

ὁ πετόμενος ἱερὸν ἀνὰ Διὸς
αἰθέρα γοργοφόνος **).

Certaminis ratio eventusque ab aliquo pastorum, qui e
littore spectaverant, expositus est:

„Rursus prorsus reciprocatur fluctus fera***)“

„Scrupeo investitae saxo atque ostreis
squamae scabrent.“

„Corpus contemplatus, unde corporaret
volnere“ †)

„Circum sese urvat ad pedes, terra oc-
culit

Caput“ ††) — — — —
τὸ μὲν τέθνηκε σῶμα, τοῦτο δ' ἀναβλέπει †††).

*) Vulgo θεοῖς ἔση. Dobraci emendationem admisi.

**) Ovid. 711:

„Quum subito iuvenis, pedibus tellure repulsa,
Arduus in nubes abiit.“

***) Ovid. 706:

„Ecce, velut navis praefixo concita rostro
Sulcat aquas.“

Ennii sunt fragmenta ad certamen pertinentia pleraque.

†) Corporare est in funus (corpus) mutare sive interficere.

Ovidius v. 725:

„Quaque patent, nunc terga cavis super obsita
conchis,

Nunc laterum costas etc.“

††) Ovidius v. 721:

„Vulnere laesa gravi, modo se sublimis in auras
Attollit, modo subdit aquis.“

†††) Schol. Troad. 634. Lucianus: τὸ δὲ τέθνηκεν ὁμοῦ καὶ πέ-
πηγεν αὐτοῦ τὰ πολλά, ὅσα εἶδε τὴν Μέδουσαν. Idem de
domo §. 22. Tzetzes ad Lycophr. 836.

— „*alia fluctus differt, dissipat
Visceratim membra: maria salso spumant
sanguine*”^{*)}.

— — — — —
„*Qui neque terrae est datu', nec cineris
caussa unquam evasit
vapos*”

— — — — —
„*Immane habeat templum*^{**}), *obvallatum
ossibus.*”

Viscera dicit in mare abiecta, ossa in acervum congesta esse, qui instar magni aedificii erigeretur. Finito labore pastores rusticique, qui e littore spectaverant, victori gratulati sunt donisque oblatis gratum animum significarunt:

— — — — —
*πᾶς δὲ ποιμένων ἑρῶει λεῶς,
ὁ μὲν γάλακτος κίσσινον φέρων σκύφος,
πόνων ἀναψυκτῆρ', ὁ δ' ἀμπέλων γάνος*^{***}).

His coram parentibus virginis et patruo, cui fuerat desponsa, expositis, rursus is, qui officium timide detrectaverat quemque monstro devorandam relinquere virginem sibi desponsam minime puduerat, idem igitur in priora se iura, pulso aemulo, qui perditos servaverat, restitui cupiebat. Apollodorus: ἐπιβουλεύοντος δὲ αὐτῷ Φινέως, ὃς ἦν ἀδελφὸς τοῦ Κηφέως ἐγγνώμενος προῶτος τὴν Ἀνδρομέδαν, μαθὼν τὴν ἐπιβουλήν τὴν Γοργόνα δείξας μετὰ τῶν συνεπιβουλεύοντων αὐτὸν ἐλίθωσε παραχοῆμα. Cf. Ovid. IV, 757 seqq. Priusquam vim pararet Phineus vel insidias strueret, dicendi vi parentes virginis ab affinitate

*) Philostr.: ἐμπλημμυροῦν πηγαῖς αἵματος, ἀφ' ὧν ἐρυσθρὰ ἢ θάλασσα.

***) Vulgo: *Immane te habeat* etc. Ceterum cum his conferas verba Philostrati: τὸ μὲν κῆτος ἑρῶνται πρὸ τῆς ἡϊόνος.

****) Philostr.: ὁ δὲ ἐν ἡδίᾳ καὶ λιβανώδει πόα κεῖται, στάζων εἰς τὴν γῆν ἰδρωῶτα καὶ τὸ δαῖμα τῆς Γοργοῦς ἔχων ἀπόθετον, μὴ ἐντυχόντες αὐτῷ λαοὶ λίθοι γίνονται. Πολλοὶ δὲ καὶ βονκόλοι γάλα ὀρεέγοντες καὶ οἶνον ἐπισπάσαι. Cf. Ovid. v. 740 seqq.

Persei abducere conatus est, ostendendo illum pauperem esse et spurium ex ignoto patre procreatum patria carere:

ἐγὼ δὲ παιῖδας οὐκ ἔῶ νόθους λαβεῖν·
τῶν γνησίων γὰρ οὐδὲν ὄντες ἐνδεεῖς,
νόμῳ νοσοῦσιν, ὃ σε φυλάξασθαι χρεῶν.

χρυσὸν μάλιστα βούλομαι δόμοις ἔχειν·
καὶ δοῦλος ὢν γὰρ τίμιος πλουτῶν ἀνὴρ,
ἐλεύθερος δὲ χρεῖος ὢν οὐδὲν σθένει.

Huic Cepheus ea, quibus dignus est, exprobrat respondetque:

χρυσοῦ νόμιξε σαυτὸν οὔνεκ' εὐτυχεῖν

οὐκ ἔστιν ὅστις εὐτυχῆς ἔφην βροτῶν,
ᾧ μὴ τὸ θεῖον εἰς τὰ πολλὰ συντελεῖ

μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νοῦν, ἐγὼ γὰρ ἀρκέσω*).

Repudiatus Phineus ad vim dolumque convertitur.

Redit deinde Perseus et solutam catenis virginem e scopulo deducit; cf. Lucian.: ὁ δὲ λύσας τὰ δεσμὰ τῆς παρθένου, ὑποσχὼν τὴν χεῖρα, ὑπεδέξατο ἀκροποδητὶ κατιοῦσαν ἐκ τῆς πέτρας ὀλισθηρᾶς οὔσης. Picturis parietum Herculan. et caelatis operibus et vasibus compluribus tum hanc virginis deductionem tum alias quasdam dramaticis partes etiamnunc repraesentari notum est.

In dramate singula, quae coram spectatoribus gerebantur, chorus carmine persequabatur simulque de commutata fortuna virgini gratulabatur:

ὁ μὲν ὀλβιος ἦν, τὸν δ' ἀπέκρουψεν
θεός· ὧς κείνων τῶν ποτε λαμπρῶν**)

*) Ovid. V, 25:

„Praemiaque eripies? quae si tibi magna videntur,
Ex illis scopulis, ubi erant affixa, petisses.

Nunc sine qui petiit, per quem haec non orba senectus,
Ferre, quod et meritis et voce est pactus, cumque
Non tibi, sed certae praelatum intellige morti.”

**) Vulgo θεός· ἐκείνων. Fritschium (p. 495.) sequutus sum.

νεύει βίωτος, νέυει δὲ τύχα
κατὰ πνεῦμ' ἀνέμων.

Gratias servatori a virgine actas esse facile est intellectu. Perseo igitur se vitam, salutem suaque omnia debere professsa est:

σὰ γὰρ ταῦτα πάντα*).

Contra parentes grandaevi, quamvis salute filiae gauderent, tamen se in limine vitae destitui, orbos relinquere neque habere qui curet et imbecillae senectuti consulat, aegre ferunt. Itaque pater rogat, ut ambo vel, si id fieri minus possit, filia apud parentes maneat:

„Alui, educavi: id facite gratum ut sit
seni.”

Amorem dulcem quidem, sed fluxum animi errorem minimeque fidum esse docet:

ὅσοι γὰρ εἰς ἔρωτα πίπτουσιν βροτῶν,
ἔσθλων ὅταν τύχῳσι τῶν ἐρωμένων,
οὐκ ἔσθ' ὁποίας λείπεται τόδ' ἡδονῆς.

— — — — — (μὴ λέγε)

ἔρωτα δεινὸν ἔχομεν, ἐκ δὲ τῶν λόγων
ἔλοῦ τὰ βέλτισθ' ὡς ἀπιστόν ἐστ' ἔρωτος,
κὰν τῷ κακίστῳ τῶν φρενῶν οἰκεῖν φιλεῖ.

ὅστις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει,
ὅδ' ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὸν θεοῖς φίλος**).

Cum patris precibus suas iungit mater:

ἐστὶν δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός·
ἢ μὲν γὰρ αὐτῆς οἶδεν ὄνθ', ὁ δ' οἶεται***).

Horum auditis precibus quid Andromeda facere constituerit, Hyginus Astron. c. 11. atque Eratosthenes c. 17. docent. „Haec dicitur Minervae beneficio inter astra collocata propter Persei virtutem, quod eam ceto propositam a periculo liberarat: nec enim ab ea minorem animi benevolentiam pro beneficio accepit. Nam neque pater

*) Fragm. VI. Matth.

**) Fragm. inc. 241. Cf. Schneid. Conii. critt. Valck. Diatr. p. 228.

***) Fragm. inc. II. p. 434.

Cepheus neque Cassiopeia mater ab ea potuerunt impetrare, ne relictis parentibus generoso animo Persea Argos proficiscentem sequeretur; testatur Euripides dramate, quod eodem nomine commodissime scripsit." Dicit se, quantum sit in parentibus, mortuam esse, Persei autem beneficio vivere:

„*Filiis propter te obiecta sum innocens
Nerei**”

— — — — —
„*Donec tu auxilium, Perseu, tetulisti
mihi.*”

Neque tamen se eam esse, quae propter ea, quae necessitate coacti parentes commiserint, his irascatur:

ἀλλ' ἴστ', ἐμοὶ μὲν οὗτος οὐκ ἔσται νόμος,
τὸ μὴ οὐ σέ, μήτηρ, προσφιλή νέμειν αἰεί,
καὶ τοῦ δικαίου καὶ τόκων τῶν σῶν χάριν·
στέργω δὲ τὸν φύσαντα τῶν πάντων βροτῶν
μάλισθ'· ὀρίζω τοῦτο, καὶ σὺ μὴ φθόνει·
κείνου γὰρ ἐξέβλαστον, οὐδ' ἂν εἰς ἀνήρ
γυναικὸς ἀυγήσειεν, ἀλλὰ τοῦ πατρὸς **).

Sed summam ait feminis felicitatem esse maritum habere amantem, quem parentum, fratrum sororumque colant nomine:

γυναικὶ δ' ὄλβος, ἣν πόσιν στέργοντ' ἔχη ***).

Quamobrem rogat, ne se coniuge dilectissimo orbatam iterum perniciem obferat:

„*Nosque ut seorsum dividos leto obferas.*”

Cum deinde Perseus regem et promissi et beneficii admo-
nuisset:

„*Quod beneficium haud sterili insegete,
rex, te obsesse intel-
ligis,*”

nuptiae sine mora institutae omnesque Aethiopes ad celebrationem earum vocati sunt.

Locus factus est choro inserendo:

*) Fragm. Ennii n. 5.

**) Fragm. inc. 58.

***) Fragm. inc. 56.

τῶν γὰρ πλούτων ὄδ' ἄριστος,
γενναῖον λέχος εὐρεῖν.

E laetitia subito chorus in timorem conicitur nuntio al-
lato de Aethiopum coniuratione Phineique insidiis. Nar-
rationis haec servantur fragmenta:

ἄγοροι κατ' οἶκον — ἀμφὶ δαῖτα καὶ
τράπεζαν*) — — — — —

κρατὴρ τέλειος**).

Perculsum hoc nuntio animum chori dochmii cantus
numeri significant:

τὸ δαιμόνιον οὐχ ὄρᾶν ἔσθ' ὄπη μοίρας
διεξέροχεται,
στρέφει δ' ἄλλον ἄλλοσ' εἰς ἀμέραν***).

Anxie de eventu quaerit chorus altero nuntio ex aedibus
regalibus prodeunte:

*Quid fit? seditio tabetne, an numeros
augificat suos?*

Postremo Minervam descendisse et, cum finem proelio
imposuisset, futuros Persei casus nec non etiam honorem,
quo quondam Andromeda usura esset stellis addita, prae-
dixisse pluribus constat testibus, velut Eratosth. et Hy-
gino l. 1., Luciano de saltat. §. 44. Cf. Welck. p. 666.

Andromedae fabulam etiam Sophocles ornaverāt, cu-
ius argumentum, non multum ab Euripideae diversum,
Hyginus fab. 64. reddidisse videtur. Huius autem carmen
ab Euripidis opere obscuratum est. Longum est enarrare,
quam multis quamque gravibus testibus gloria dramatis,
cuius Euripides auctor fuit, declaretur: quorum testium
non levissimus est Aristophanes, qui bonam illius partem
in risum detorsit. Ceterum videas quae in hanc senten-
tiam Fritzsche p. 417. et 508. et Welckerus p. 668. dis-

*) Bekk. Anecd. p. 339, 5. Bachm. Anecd. I. p. 24, 22: ἄγορος
καὶ ἄγοροι· Εὐριπίδης Ἀνδρομέδα·

οἱ κατ' οἶκον ἀμφιδέτα καὶ τράπεζαν.

Ἀθίσιπας σημαίνει. Cf. Ovid. v. 762.

***) Fragm. 37.

****) ὄρᾶν ἔσθ' ὄπη scripsi pro ὄρᾶς ὄπη.

putarunt quaeque iidem veterum testimonia posuerunt, imprimis Luciani de conscr. hist. c. 1., Athenaei XII. p. 537. D. Aristoph. Ran. v. 53. Praeter hunc alii comici passim versibus vulgo familiarissimis abusi sunt, velut Theognetus et Philoxenus; cf. Fritzsche p. 498. Echus personam, quam merito quidam ab Aristophane irrisam esse putaverunt, tam gravem esse iudicavit Philopater, ut in Adonidis tragoedia scribenda imitaretur; v. Fritsch. p. 452.

D. Busiris sive Lamia.

Notum est Herculem in Libya a Busiride, Neptuni filio, qui hospites immolare instituisset, vinctum, ut pro victima occideretur, ad aram Iovis tractum esse, sed ruptis vinculis et Busirin ipsum et filium eius Amphidamanta et Chalben praeconem interfecisse; cf. Apollod. II, 5, 11. Diodor. IV, 27. Plutarch. Parallel. c. 38. Hygin. c. 56. Et in amphorae pictura, quae servatur in museo Borbonico (vol. 12.), repraesentatur Busiris in throno sedens, corpore ornatu barbarico distincto, altera manu sceptrum tenens, altera cultrum, quo Herculem immolaturus est, qui quidem vinctus a duobus Aethiopibus (Amphidamante et Chalbe) funibus cohibetur. Adsunt praeterea ancillae duae, quarum altera tibias inflat, altera patinam tenet donis, quae Iovi offerantur, repletam. Sed iam Hercules, ruptis vinculis, clavam sustulit, quam in caput barbari demissurus est; cf. Millingen Peint. de vases pl. 28. Satyros ab hoc dramate abfuisse testatur Diomedes gramm. III. p. 488. Putsch.: „Latina Atellana a Graeca satyrica differt, quod in satyrica fere satyrorum personae inducuntur, aut si quae sunt ridiculae similes satyris, Autolycus, Busiris.” Satyris minime opus fuit, cum copia esset Libyum, qui credebantur ab humanitatis cultu non minus longe, quam illi, alieni esse. Materiam fabulae eam, quam diximus, fuisse Hesychii quodam lemmate confirmatur: ἀγρίσαι, ἀποθῦσαι· Βουσιρίδι. Feminam rebus agendis interfuisse ex altero

eiusdem lemmate intelligitur: ἀτρεκήσασα, ἀκριβωσαμένη· Εὐριπίδης Βουσίριδι. Quod verbum quum ad famulas, quae in sacris faciendis ministrabant, ut mutas personas, referri nequeat, alia quaerenda est, quae gravius fuerit rerum momentum. Atque ea a scholiasta Platonis Phaedr. p. 61. suppeditari videtur: δευτέρα δὲ (Σίβυλλα) Λιβύσσα, ἧς μνήμην ἐποίησατο ἐν τῷ τῆς Λαμίας προλόγῳ Εὐριπίδης*). Eiusdem Lamiae Diodorus Sic. XX, 41. mentionem facit, simul initium prologi in medium proferens: ὅτι δὲ κατὰ τὴν Λιβύην γέγονεν αὕτη (ἡ Λαμία), καὶ τὸν Εὐριπίδην δείξαι τις ἂν μαρτυροῦντα· λέγει γάρ· τίς τοῦνομ' . . . τοῦπονεδίδστον βροτοῖς οὐκ οἶδε Λαμίας τῆς Λιβυστικῆς γένος;

Lamiam impurissimam mulierem et rebus venereis perditam deditam fuisse praeter Aristophanem (Vesp. 1035. Λαμίας δ' ὄρχεις ἀπλύτους) etiam Chrysostomus atque Philostratus (vita Apollonii T. p. 183.**)) affirmant eandemque formae pulchritudine, Sirenium instar, delenivisse, quos devorare cuperet, testantur. Fingimus igitur Herculem, quum esset minus prudens, quam Ulysses, a monstro mulieris captum et in servitutem redactum esse. Servi enim conditionem hi versus demonstrant, quos Stobaeus servavit:

δούλω γὰρ οὐκ οἶόν τε τάληθῆ λέγειν,
εἰ δεσπόταισι μὴ πρόποντα τυγχάνοι.

Busiridi enim non fuisse tantas vires, ut vincere Herculem et in servitutem redigere posset, planum est. Potuit autem Lamia, societate cum illo inita, hospites, quos libidine subegisset, illi vendere. Ea igitur res aliter evenit, atque illi speraverant: ipse enim Busiris cum sociis suis ab Hercule immolatus est.

*) Eadem verba Varronis sunt in instit. div. IV. p. 216. Bip.: „secundam Libysam, cuius meminit Euripides in Lamiae prologo,” et Photii in quaest. 160. ad Amphiloichum. Lamiae prologum eum dici arbitror, quem egerit Lamia; potuit tamen duobus hoc drama nominibus, ut plurimae, appellari.

**) ἐρῶσι δὲ καὶ αὐταὶ τῶν ἀφροδισίων μὲν, σαρκῶν δὲ καὶ μάλιστα ἀνθρωπείων, καὶ πάλλουσι τοῖς ἀφροδισίοις οὗς ἂν ἐθέλωσι δαίσασθαι.

Septem Hesperides, filiae Atlantis, forma et ingenio praestantes, cum in hortis luderent, per emissos Busiridis milites abreptae sunt eo consilio, ut domini libidini servirent. Sed Hercules, latronibus coenam forte in littore parantibus insidiatus, virgines liberavit et ad patrem reduxit. Haec memoriae tradita a Diodoro manifesto ex hoc dramate petita sunt.

Fingimus igitur Herculem, liberatis virginibus interfectisque praedonibus, recta ad tyrannum ipsum delendum profectum esse, sed parum cautum in potestatem devenisse Lamiae et pro hostia traditum esse Busiridi. Iam non illius unius vita, sed Hesperidum quoque salus in discrimen adducta erat. Hic rerum status materiam praebebat ad nefarios monstrorum mores declarandos. Sed ordo actionum et compositio dramatis qualis fuerit ignoramus.

XVIII. De mirabilibus et minus probabilibus quae insunt carminibus.

Aristoteles in poet. c. 24. §. 8. scripsit haecce: „Decet in tragoedia quidem effingere mirabilia, magis vero epopoeiae conveniunt improbabilia (ex quibus maxime constant mirabilia) propterea, quod non est in conspectu qui illis fungitur: quandoquidem illa, quae in Hectoris persecutione eveniunt, si in scena agerentur, non possent non videri ridicula, milites quidem stantes et a persequendo hoste abstinentes, Achilles autem, ne mitterent tela, nutu significans: eadem narrata fallunt. Mirabilia autem iucunda sunt, cuius rei documentum est, quod in narrando omnes, quasi gratiam facturi, amplificant; et docuit Homerus maxime reliquos, quomodo mentiri oporteret. Nititur autem haec res falsa argumentatione. Opinantur enim homines, ubi facta aut eveniente altera re fieri aut

evenire altera solet, si fiat posterior res, factum iri et eventuram esse etiam priorem: at haec posterior falsa est, ideoque rursus etiam prima falsa*). Aliter autem se re habente posteriore, necesse est eam amplificando aut fieri aut evenire: propterea enim, quod hanc veram esse scimus, inducitur animus ad falso argumentandum veram esse etiam primam. Cuius rei exemplum est de Niptris (Sophoclis)**). Praestat autem impossibilia, quae verisimilia sint, eligere, quam possibilea ea, quibus fides derogetur, neque orationes decet ex partibus improbabilibus constare, sed potissimum quidem nihil habere improbabile, sin minus, extra argumentum esse debet, velut Oedipus (Euripidis), quomodo Laius perierit ignorans, sed non in dramate ipso, velut in Electra (Sophoclis) ii, qui Pythica certamina exponunt, aut in Mysis (Sophoclis) is, qui mutus ex Tegea in Mysiam pervenit. Itaque dicere, futurum fuisse, ut argumentum fabulae tolleretur, nisi talia fingerentur, ridiculum est. A principio enim non decet eiusmodi argumenta componere; sin quis constituerit et visum erit convenientius, intelligere eundem illud absurdum esse: quandoquidem etiam quae insunt Odysseae de Ulysse in littore a Phaeacibus exposito, manifestum est non fuisse tolerabilia futura, si malus aliquis poeta finxisset; nunc vero ceteris bonis poeta obscurat ac dulcia reddit quae absurda sunt. Dictione autem elaborare decet in inertibus locis, qui sint neque morati neque sententiosi: occultat enim rursus nimius verborum splendor et mores et sententias." Alio loco (c. 25. §. 17.) tria idem ponit genera impossibilium, quorum primum sit ad poesin referendum, alterum ad meliorem rerum speciem, tertium ad opinionem. Et poesin quidem quod attineat, meliora ait esse credibilia, quae sint impossibilia, quam incredibilia, quae sint possibilea; meliorem autem rerum speciem in hoc niti, quod exemplaria debeant supra vulgarem speciem eminere; opinionem denique tum eadem ratione pro-

*) τούτο δ' ἐστὶ ψεῦδος, διὸ δὴ αὐτὸ τὸ πρῶτον ψεῦδος. Ἀν
repositi pro eo quod vulgo scribitur ἄν.

***) Idem drama Aristoteles c. 16. §. 3. commemorat.

bari tum eo, quod interdum non sit improbabilis: verisimile enim esse, multa etiam contra veri similitudinem evenire; cf. T. I. p. 378.

Haud est verisimile dictu, quam largus indoctis fons errorum sit opinio una, qua vera ipsa solaque poetis imitanda esse arbitrantur. Et fuit, quum nostri genera impossibilium omnia odissent et exulare e carminibus severe iuberent, quos et Goethius reprehendit dialogo, quem de veris et verisimilibus imitandis composuit, et festive risit Tieckius dramate, quod felis ocreati nomine inscripsit. Non vera, sed similia veris effingunt poetae, quapropter iis „quidlibet audendi semper fuit aequa potestas”; neque sola naturae vi imitantur, sed simul consilium adhibent, ut sit animus eorum inter naturam et rationem quasi suspensus, et furant sic, ut iidem sint mente sanissima. Accidit autem et poetis interdum, et saepissime actoribus, ut a fingendi arte aberrantes ad naturam molestius reddendam nimio imitandi studio delabantur, quod genus imitationis *κακοζηλίαν* veteres appellabant, cuius non alienum esse arbitror exemplum ex Luciano afferre, qui in iis, quae de saltatione disseruit, haecce narrat: Accidit, quemadmodum in dicendo, ita in saltando quoque ea, quam vulgus dicit, *κακοζηλία*, modum excedente saltatione et supra quam decet contendente et sive quid magni repraesentandum est in maius augente, sive quid molle ac tenerum, in effeminatum depravante, sive quid virile, usque ad feritatem extollente: qualem ego quondam me saltatorem videre memini, prudentem quidem alias et vere dignum admiratione, sed nescio quo casu in deformem actionem affectata imitatione devenientem. Qui quum Aiacem saltaret, statim postquam victus esset furentem, in tantum aberravit, ut non imitari insaniam, sed revera ipse insanire merito posset videri. Unius enim eorum, qui calceamentis ferreis instrepebant, vestem discidit, unius tibicinum tibiam correptam Ulyssis adstantis et victoria elati capiti infregit, et nisi pilus obstans plagae partem magnam excepisset, perisset miser Ulysses saltatori obvius vesano. At theatrum universum una furebat et exsiliabant homines et clamabant et vestes abiicie-

bant, promiscua quidem multitudo rudisque, quod decori nullam habebat rationem neque meliora a deterioribus dignoscebat, sed perfectam insaniae hanc imitationem esse putabat; urbaniores autem, quod, quamvis intelligerent et spectaculi eos puderet, nolebant illos silentio reprehendere: itaque plausu ipsi quoque amentiam saltationis celabant, quamvis probe intelligerent non Aiakis illa, sed saltatoris furore perpetrari. Neque enim contentus his generosus ille rem fecit etiam longe magis ridiculam. Degressus enim in orchestram in senatorum loco medius inter duos consules consedit plane timentes, ne ipsorum quoque unum tanquam arietem correptum caederet flagellis. Quam rem alii admirabantur, alii ridebant, alii suspicabantur, ne immodice imitando in verum furorem degenerasset. Atqui ipse dicitur, cum ad sobrietatem redisset, tam acriter doluisse facto, ut aegrotus decumberet, in furoris suspicionem revera adductus: neque id ipse dissimulavit. Postulantibus enim iis, qui eiusdem erant factionis, ut Aiacem rursus ipsis saltaret, adducto secum actore (*τὸν ὑποκριτὴν*) dixit theatro: „satis est semel furuisse.” Aegerrime vero aemulum tulit, cui quum idem esset Ajax assignatus, tanta cum modestia ipsum furorem imitatus est, ut laudem adipisceretur intra fines saltationis furendo neque in actionem ipsam grassando.

In carminibus nihil inest naturale, sed quemadmodum oratio numeris metrisque vincitur, ita res quoque omnes ad artis leges conformantur. Et tempus quidem, quo traegediarum argumenta singularum includuntur, simulacrum est diei, non verus dies: itemque loci ficta, non vera, simplicitas. Multa enim saepe geri in binorum actuum intervallis finguntur, quorum tanta est amplitudo, ut non solum illud intervallum, sed etiam plurium dierum spatium necessario superent. Et removentur a scena personae et adhibentur actionibus mediisque rebus interveniunt, prout poetae consiliis conducunt, quarum tum absentiae tum adventus causae finguntur probabiles illae quidem, sed tamen eae, quae accuratius explorantibus minus satisfaciant. Arcessuntur qui de rebus extra scenam gestis exponant tum citius, quam e remotis locis venire potuerint,

tum mirabilioribus modis ex malis internecivis servati, quam ut theatri caussa talia fingi lateat. Ars quantum a natura distet, intelliges, si, structuram ipsam dramatum considerans, partium quam sit stata fixaque ratio reputaveris. Quarum formarum non alienum videtur nomina quaedam hoc loco recensere. Prologus est quasi actus primus, cui inest rerum expositio, ad chori usque introitum pertinens. Est autem ille ab Euripide amplificatus: alterno enim sermoni*) narrationem praemisit continuam. Reliqui actus binis interiecti choris episodica (ἐπεισόδια) a personarum prodeuntium accessu appellantur. Chori carmen primum, quod ingrediens cantat, qualis sit et cuiusnam rei caussa veniat aperiens, πάροδος est, ἔξοδος autem eiusdem verba extrema, quae sunt dramatis clausula. Ἐπιπάροδος fit aut cum discessit chorus ac denuo in orchestram redit, aut cum alter chorus pro comitatu in scenam adducitur (cf. T. II. p. 238.). Quaecunque autem stans inter thymelen et pulpitum chorus binos actus intercinat carmina στάσιμα appellantur: eadem, si cum saltatione coniuncta erant, ὑπορχήματα. Σκηνικά sive μονωδία sunt quae a scenicis actoribus cantantur: eadem, ubi chori responsis alternatim inciduntur, κομμοὶ vocantur. Κουρίσματα sunt cantica lugubria cum capillorum desectione, itemque λόγοι κουρισμάτων**). Haec quidem cantuum sunt nomina; orationum autem haecce: ῥῆσις narratio eorum, qui primum prodeuntes docent, quinam sint et cuius rei caussa veniant (cf. T. I. p. 323.); ἀμοιβαί sermones alterni; λόγοι orationes continuae; ἀγγελος et ἐξάγγελος rerum vel foris vel intus gestarum narratio; σκοπός significatio eius, qui peregre advenientes de specula prospicit; σάλπιγξ proeliorum commissorum expositio; φύλαξ custodum relatio. Adde deos qui de machina appellantur; neque omittenda est παράβασις, de qua T. I. p. 89. explicavimus.

*) Cramerī Anecd. II, 19: ἀμοιβαῖον δὲ ἐστὶ τὸ προλόγου ἐξ ἀμοιβῆς λεγόμενον.

**) Tzetzes in Cramerī Anecd. IV, 343: κούρισμα δ' ὧδ' ἡ συμφορᾶς πληρεστάτη, ταύτην ἀδόντων τὰς τριχᾶς κεκαρμένων.

Hae igitur et ceterae eiusmodi formae ut a veritatis imitatione omnes ductae sunt, ita earum nulla est, quae non a natura longius recedat. Velut qui nuntiorum partes suscipiunt, quamvis sint servi atque ineruditi, tamen copiosius, ornatius, sublimius exponunt, quam possit quisquam non modo rudis, sed etiam rhetorum disciplina eruditus ex tempore dicere, id quod, ut multa, temere cavillatus est Aristophanes *Acharn.* 401:

— — ὦ τρισμακάρι' Εὐριπίδη,
ὄθ' ὁ δοῦλος οὕτωσὶ σοφῶς ὑποκρίνεται.

Hunc autem secuti sunt alii quidam iterantes quae praeierat verba, velut Origines c. *Cels.* p. 366. „Artificium eorum, qui fingunt personas, in eo consistit, ut servant decorum in personarum, quas inducant, moribus et voluntatibus; vitium vero est, si orationes tribuant parum convenientes. Itaque vituperandi etiam qui barbaris indoctisque aut vernis aut iis, qui nullas unquam philosophorum disputationes audiverunt neque unquam ipsi bene dixerunt, tribuunt philosophiam, quam didicit ille quidem, qui fingit personas, sed verisimile non est callere eum, qui inducitur. Invicemque peccant qui sapientibus et divinarum rerum peritis, quos continet argumentum, tribuunt ea, quae in vulgaribus affectibus ab indoctis enuntiantur vel ab ignorantia proficiscuntur. Unde Homerus laudatur, quod heroum personas perpetuo servavit eas, quales ab initio instituit, velut Nestorem, Ulysem, Diomedem, Agamemnonem, Telemachum, Penelopen et reliquos. Euripides vero contumeliosius ab Aristophane vexatur, quasi intempestive loquax, propterea quod saepe quae ab Anaxagora vel aliquo alio didicisset sapientium placita tribuerit barbaris mulieribus aut mancipiis.” Modum quin in hoc genere Euripides excesserit, nunquam dubitavi; verumtamen non ex comici auctoritate talia, sed ex artis legibus aestimanda sunt. Necesse est enim, quaecunque inducatur persona, sub ea poetam, qui effinxit, latere: cuius quum sententiis atque eruditione augeantur, amplificentur immutenturque illae sumtae de medio personae, non possunt non omnes et meliores, quam vulgo sunt, esse et dicere ea, quae parum vel cum prisca saeculi moribus vel cum

ipsarum conditione congruant. Certus enim cuique carmini finis propositus est, in quo consistit eius simplicitas, ad quam efficiendam tum partes omnes tum personas quasi symbolam decet pro se quamque conferre; ea autem operis summa in auctoris mente ac voluntate tanquam fundamento nititur. Quod quale sit et quid valeat ad partes operis temperandas, chori munera considerans melius intelliges, quae communia magis quam propria esse quum pridem sit cognitum, ceterarum personarum eandem esse rationem minus perspectum est. Proxime autem ad chori munera officium accedit nuntiorum, custodum, speculatorum et eiusdem generis aliorum, qui epicas carminis partes, quemadmodum chorus lyricas, suscipiunt agendas, et rhapsodis sunt similes, recitantibus non quae ipsi composuerunt, sed quae mandata a poetis acceperunt. Sed eae quoque personae, quarum maxime caussae aguntur, quarumque discriminibus argumenta dramatum conficiuntur, quum tanquam simulacra effingantur eorum, quae volunt sentiuntque poetae, ita temperandae sunt, ut, cum suas quaeque res agere videatur, huius mentem, sententiam, voluntatem aperiant. Fictor enim est poeta, non rerum, quas vel traditas accepit vel ipse vidit, scriptor; est idem imitator veritatis, non ipsius veritatis enarrator. Fingere igitur eatenus licet, quatenus spes est fallendi eos, qui non acutissimo iudicio commenta explorent et commotis semel animis magis ad conformandas cogitatione imagines, quam ad ratiocinandi sollertiam prompti sint. Sequitur, ut non minus fabularum commenta, quae quidem opinioni hominum respondeant, quam res vere gestas exornare commode liceat; in utroque autem genere curandum est, ut verisimilitudo quaedam rebus apte temperandis existat. Facilius autem patimur in mirabilibus aliquid incongrui, quam in consuetis, relinqui: etenim quae divinitus effecta esse putamus, satis habemus, si rationi non plane sint contraria; haec autem vulgaria et communia omnes novimus et qua fiant ratione intelligimus. Quamobrem recte Aristoteles praestare censuit mirabilia, quae fieri posse viderentur (quippe consentaneum esse fieri multa, quae fieri posse negaremus), quam consueta, quae

essent parum verisimilia. Tum respectus habendus est opportunitatis: facilius enim patimur, mira cum narrantur vel praedicuntur, quam quum in conspectu ponuntur; facilius, cum obiter tanguntur, quam cum accuratius describuntur: quo argumento prologorum epilogorumque materiae excusantur. Et eam quidem rerum conditionem, quae est in initio dramatum, quavis ratione licet effectam esse fingere, eandem effectam, postquam coepit theatro ostendi, caussis quam maxime naturalibus mutari et exitum argumenti sine deo explicari necesse est: quo ubi perventum est, ad expedienda ea, quae extra illud argumentum sunt posita et praedicenda futura, deus recte accessitur.

Diligentissimum tragicorum poetarum Euripidem fuisse et summo acumine summaque sollertia, ne quid usquam relinqueretur, in quo haereret spectatorum acumen, prospexisse, omnes testantur, idque dramatum, quae exstant, structura confirmatur. Orationes tamen quod attinet, minus interdum, quam decet, suam sententiam dissimulavit, et ad docendum pronus fuit adeo, ut tribueret personis ea, quae ipsum magis quam has decerent: quamobrem minus bene rem ab eo administratam esse dixit Aristoteles, quod verbum cave latius patere, quam hic voluit, arbitraris: non enim res vel argumenti implicationem, sed orationes et sententiarum abundantiam ab Aristotele dici planum est. De choris autem miror quid idem exprobraverit. Notum enim ac satis superque decantatum est quod scriptum invenitur in art. poet. c. 18, 7. „Chorum existimare oportet esse numero actorum partemque summae totius, et una contendere, non ut apud Euripidem, sed ut apud Sophoclem. Apud reliquos enim quae canuntur non magis sunt argumenti quam alius tragoediae: quapropter intercalaria canuntur, cuius Agatho princeps fuit consuetudinis. Atqui quid interest, utrum intercalaria canas, an ex alia in aliam fabulam transferas carmina aut episodica universa?” Non potest Aristoteles verba illa: *μη ὥσπερ Εὐριπίδης, ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλῆς*, sic scripsisse duabus de caussis, primum quod parum cum iis, quae subsequuntur, cohaerent, deinde quod continent errorem Aristotele minime dignum. Nam quis, obsecro, satis prudens sic

loquitur: „non ut apud Euripidem, sed ut apud Sophoclem: reliqui enim choros ab argumentis alienos inserunt.” Si Euripides ipse iam intercalaribus usus est choris, quomodo ei opponi, tanquam contrarium facientes, reliqui potuerunt? Certe enim non datur tertium genus carminum, quo utens Euripides et a Sophocle et ab Agathone potuerit et iis, qui hunc secuti sunt, differre. Accedit, quod primum Agathonem morem novasse nominatim Aristoteles ac perspicue docet, Euripidem vero novasse neque hoc loco neque alias commemoravit. Carent igitur illa sensu, nisi sic scribas: ὡς παρ' Εὐριπίδῃ ἢ ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ· τοῖς δὲ λοιποῖς. Iam rem ipsam, quam arguere Aristoteles visus est, contemplerur. In duodeviginti, quae exstant, Euripidis fabulis non plus duo carmina reperta sunt, quae illud iudicium confirmare videntur, quorum alterum Iphigeniae Taur., alterum Helenae actibus inest ultimis: quae tamen neutiquam esse ἐμβόλιμα satis mihi videor perspicue ostendisse. Item carmina, quae Phoenissis et Troadibus insunt, docuimus, etsi non ad res proximas referantur, tamen summae rerum necessaria esse et convenire personis feminarum chori, quae essent quasi simulacrum populi, cuius res illis tragoediis agerentur. Sed fac me in hac re errasse, fac vitiosos esse eos, quos diximus, choros: num is est Aristoteles, in quem tantae negligentiae cadat crimen, ut de universis tragoediis enuntiasse videatur quod de paucis fuerit dicendum? Reliquos enim choros a Sophoclis choris nihil differre etiam criminatores Euripidis confitentur. Ἐμβόλιμα vero, quae vocant, si isto sensu accipere voles, ne a Sophoclis quidem fabulis abesse videbis; vide Antig. v. 1115—1153.

A. I x i o n.

Ixionem fabulam Aeschylus scripserat, cuius argumentum Welckerus p. 53. ex fragm. inc. 329. Dind. recte intellexit hoc fuisse: „Ixion, Antionis filius, rex erat Lapi-

tharum in Thessalia. Qui quum Diam, Deionei sive Eionei filiam, ex qua natus est Pirithous, multis donis promissis, in matrimonium duxisset, dotem uxori non dedit. Quamobrem quum socer equos Ixionis pro pignore summississet, hic eum arcessivit, simulans se satisfacturum esse. Quum venisset socer, ille, facta scrobe igni repleta eaque sarmentis intecta, in ea fraude eum peremit. Sic primus mortalium propinquum interficiendo parricidium commisit. Quod scelus vehementer indignati sunt dii, neque aut ipsorum quisquam aut hominum expiare nefarium ausus est. Quamobrem quum furore agitatus diu incertus vagatus esset, tandem summus deorum Iuppiter misertus in suo eum sacrario expiavit**); cf. Diodor. IV, 69., schol. Phoen. 1185. et schol. Apoll. Rhod. II, 62., Tzetis Chil. IX, 385 seqq.

Non multum diversam famam Timositheus videtur tragicus secutus esse, cuius fabulae argumentum epigrammati Cyziceno XII. (cf. Jacobs. Paralip. ex cod. Vat. p. 632. n. 19.) inesse recte idem Welckerus p. 1048. suspicatus est.

Euripidis vero drama, quod imitatus est Lucianus in deor. dial. 6. cuiusque argumentum praeter eos, quos supra dixi, etiam Hyginus c. 62. et Servius Aen. VI, 618. retulerunt, simillimum fuit Bellerophontis eiusdem poetae fabulae. Nam Ixion, ex Phlegya sive Phlegyante**), Marti filio, natus, cum prudentia mortalibus praestaret, summi Iovis consortio utebatur, ut in coelum ei aditus pateret. Qua re superbia elatus coepit amare Iunonem atque etiam de stupro compellare ausus est. Quam rem quum regina deum ad Iovem detulisset, hic indignatus insolentiam hominis, ut veritatem experiendo cognosceret, simulacrum iussit ex nube fabricatum adultero obiici, quocum ille,

*) Haec extrema non agebantur, sed praedicabantur a deo, qui per machinam descendebat.

**) Phlegyantia nomen pro Leontei restituendum est in Hygini fab. 62. Regnasse Ixionem atque Pirithoum in Gortyne urbe et Magnete, in radicibus Olympi montis, ad flumen Peneum sitis, scripsit Strabo.

tanquam cum vera Iunone, concumbens argueretur. Hac igitur imagine deceptus, emisso in eam semine, Centauros genuit, mixtum ex homine atque equo genus. Inde quum se rem cum Iunone habuisse gloriaretur, Iuppiter, misso turbine cum fulmine, fecit eum abreptum per aerem perpetuo rotae instar volutari.

In patria Ixionis res agi fingebantur: prodibat enim satelles quidam regis, sic Ixionem appellans:

Φλεγύαντος νιέ, δέσποτ' Ἰξίον — —

Prologum a Iunone actum esse necesse est: cuius principium haec fuisse verba arbitror, quibus Lucianus in Iove tragoedo abusus est:

ὦ παγκάκιστοι, χθόνια γῆς παιδεύματα,
σύ τ' ὦ — — οἷά μ' εἰργασαί κακά.

Reliqua qualia fuerint, ex iis, quae apud eundem Lucianum Iuno narrat, intelligitur.

Ostendebatur enim deinde Ixion cupidine gestiens insaniensque, quo in statu multa impie ac nefarie disputando temerariam animi voluntatem confirmabat, quum libidini atque violentiae plus quam probitati atque modestiae tribuendum esse affirmaret:

τά τοι μέγιστα πάντ' ἀπειργασταί βροτοῖς
τόλμ', ὥστε νικᾶν· οὔτε γὰρ τυραννίδες
χωρὶς πόνου γένοιντ' ἂν οὔτ' οἶκος μέγας

τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρτυσο,
τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν θρωόντος, ἔνθα κερδανεῖς

κρείσσον γὰρ ἢ σέβοντα τοὺς θεῶν νόμους
πένητα ναίειν, δόξαν ἠμποληκότα*).

Contra quae his pugnavit satelles, qui iustitiae causam et pietatis tuebatur:

ὅστις γὰρ ἐπὶ τὸ πλεόν ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ
κοῦδὲν φρονεῖ**) δίκαιον, οὐδὲ βούλεται,
φίλοις τ' ἄμικτός ἐστι καὶ πάσῃ πόλει.

Post hoc colloquium chori carmen inseri potuit, quo

*) Fragm. inc. 33. p. 447. Matth.

**) Vulgo οὐδὲν φρονεῖ.

poenas nefariis hominibus vario modo a diis irrogari doceretur: saepe igitur naves, quibus scelesti veherentur, in scopulos incurrisse vel undis esse obrutas. Id enim factum esse ex iis, quae Philochorus apud Diogen. Laert. IX, 55. refert, intelligitur: φησὶ δὲ Φιλόχορος, πλείοντος αὐτοῦ (Πρωταγόρου) ἐς Σικελίαν, τὴν ναῦν καταποντισθῆναι, καὶ τοῦτο ἀνίττεσθαι Εὐριπίδην ἐν Ἰξίονι.

Imaginem Iunonis deinde prodisse consentaneum est. Ludificatus est igitur Ixion a Iunone simili ratione, qua apud Sophoclem Ajax a Minerva: quam ob causam Aristoteles Poet. c. 18. eiusdem esse generis iudicavit Aiantis atque Ixionis tragoedias, quum utramque patheticam esse diceret*). Ridiculae sunt eiusmodi ludificationes, ubi in levibus rebus versantur; eadem, quanto res atrociores, tanto magis animos metu suspendunt, tanto acrius verborum ambiguitate perstringunt, et videntur ii, qui sic decipiuntur, saltantibus similes, qui in scrobe sarmentis intacta ignique repleta ignari tripudient. Simili modo Pentheus a Baccho in Euripidis fabula decipitur. Hac igitur ratione etiam Ixion, dum cupidius fallaci Iunonis invitationi obsequitur, in praeceps adductus obviam processit ruinae. Concubitus qua ratione factus sit, Lucianus ostendit: εἰδῶλον ἐκ νεφέλης πλασάμενοι αὐτῇ ὅμοιον, ἐπειδὴν λυθῆ τὸ συμπόσιον κάκεινος ἀγρυπνῆ (ὡς τὸ εἶδος) ὑπὸ τοῦ ἔρωτος, παρακατακλινόμεν αὐτῷ φέροντες· οὕτω γὰρ ἂν παύσαιτο ἀνιῶμενος, οἰηθεὶς τετυχηκέναι τῆς ἐπιθυμίας. Haec ab Ixione ipso coram satellite et choro popularium exposita esse cogitandum est, gloriante homine vesano simulque laetante, quod iniuriam a Iove sibi illatam (quum ille Diam, suam uxorem, stuprans Pirithoum procrearet) aequasset atque adulterium adulterio compensasset; cf. Luciani verba: ἀλόγησε κατελθὼν ἴσως καὶ διηγῆσεται ἅπανσι, λέγων συγγεγενῆσθαι τῇ Ἥρᾳ

*) Hoc Aristotelis iudicium commemorans Welckerus eodem tempore satyrico simile drama Ixionis fuisse suspicatur. Unquamne ergo ab eo satyrici dramatis naturam perspectam esse credibile est?

καὶ σύλληκτρος εἶναι τῷ Διί, καὶ που τάχα καὶ ἐρᾶν με φήσειεν αὐτοῦ, οἱ δὲ πιστεύουσιν, οὐκ εἰδότες, ὡς νεφέλη συνῆν. Poenam deinde dedit Ixion non amoris, sed insolentiae, teste Luciano: ἦν τι τοιοῦτον εἶπη, ἐς τὸν Ἄϊδην ἐμπεσῶν, τροχῷ ἄθλιος προσδεθείς, συμπεριενεχθήσεται μετ' αὐτοῦ αἰεὶ καὶ πόνον ἄπαυστον ἔξει, δίκην διδοῦς οὐ τοῦ ἔρωτος (οὐ γὰρ δεινὸν τοῦτό γε), ἀλλὰ τῆς μεγαλαυχίας.

In extrema fabulae parte Mercurium prodisse ostendit Hyginus. Huius colloquii similem fuisse rationem puto atque eius, quo simulacrum Iunonis cum Ixione agebat. Rursus enim per fraudem in perniciem homo temerarius pelliciebatur, persuadente ei Mercurio, ut rotae corpus ultro applicaret, in quo deinde constrictus per aera volutatus est. De quo dramatis exitu testimonium exstat Plutarchi T. II. p. 19. Ε: ὁ Εὐριπίδης εἰπεῖν λέγεται πρὸς τοὺς τὸν Ἰξίονα λοιδοροῦντας, ὡς ἀσεβῆ καὶ μακρόν, Οὐ μέντοι πρότερον αὐτὸν ἐκ τῆς σκηνῆς ἐξήγαγον, ἢ τῷ τροχῷ προσηλώσαί. Apud inferos hoc factum esse minus recte Lucianus et Hyginus scripsisse videntur. Ipse enim Euripides duobus locis (Phoen. 1185. et Herc. fur. 1298.) Ixionem per aera dixit volutari, idque ipsum melius illius eruditioni convenit. Confirmatur autem haec coniectura ab Apollon. Tyan. VI, 17. aperte Euripidem secuto: εἰ δὲ ἐνεθύμου τὰ Ἰξίονος, οὐδ' ἂν ἐς ἔννοιαν καθίστασο τοῦ μὴ ὁμοίων ἐρᾶν. Ἄλλ' ἐκεῖνος μὲν τροχῷ εἰκασμένος δι' οὐρανοῦ κάμπτεται. A procella Ixionem, quum rotae illigatus esset, abreptum esse puto, simulque fulminibus missis Iovis praesentiam declaratam esse. Quae quum fierent, dicere Ixion potuit illa, quibus Lucianus in Iove tragoedo abusus est:

ὦ μεγαλοσμαράγον στεροπαῖς

ῥοιζήμα, τί μοι ῥέξεις;

Centauros ex Ixionis et nubis concubitu prodituros esse praedicere potuit Mercurius.

Respexit ad hanc tragoediam Horatius Art. poet. 123:

„Sit Medea ferox, Io vaga, flebilis Ino,

Perfidus Ixion etc.”

Philochorus, a quo temporum ordines non esse neglectos

ex Diog. Laert. II, 5, 23. intelligitur, hanc tragoediam post fugam Protagorae scriptam esse testatur. Is autem circa Ol. 91. ab Atheniensibus damnatus est*), quo tempore illi in Siciliam classem miserunt: quorum naves quum, eodem tendens, effugere studeret in parvo navigio vehens, undis obrutus interiit. Huic philosopho Euripidem mortuo insultasse, quum vivi amicitiam pie coluisset, minime verisimile est: nam in ipsius domo Protagoras librum illum famosum recitasse fertur, cuius hoc fuit principium: *περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὐδ' ὡς εἶναι οὐδ' ὡς οὐκ εἶναι***). Erravit igitur Philochorus, ad Protagorae factum a nostro respici putans; neque minus fictum esse mihi persuadeo quod narravit Plutarchus (de aud. poet. p. 19. E.), Euripidem, ut impias Ixionis disputationes excusaret, ad supplicium provocasse, quo in fine dramatis afficeretur***). Veriora sunt, quae T. II. p. 296. commemoravi, tumultuante populo, qui aderat in theatro, Euripidem in scenam progressum dixisse, se, ut illum doceret, non ut ab illo ipse disceret, fabulas componere solere.

Imagines ex aethere factas, quae vera corpora aemularentur, pluribus fabulis induxit noster, quippe qui ex illo tum hominum tum deorum mentes delibatas esse censeret. Fuerunt igitur haec quoque commenta verae sententiae et reconditorum placitorum involucria.

B. Melanippe vineta.

De Boeoti Aeolique natalibus et Diodorus IV, 67. et Hyginus c. 186. exponunt, in summa rerum consentientes, in partibus quibusdam discrepantes. Et Hygini quidem narratione non argumentum tantum, sed formam quoque

*) Cf. Brandis Histor. phil. Gr. et Lat. T. I. p. 341. Diog. Laert. IX. 8, 7.

***) Diog. Laert. IX, 7, 5.

****) Cf. quae in eandem sententiam Welckerus p. 751. disputat.

fabulae Euripideae referri facile intelligitur. Latinum hoc drama fecerat Attius.

Prologi materia haec fuit. „Melanippen, Desmontis filiam (sive Aeoli, ut alii poetae dicunt) formosissimam, Neptunus compressit, ex qua procreavit filios duos. Quod cum Desmontes rescisset, Melanippen excaecavit et in munimento conclusit, cui cibum atque potum exiguum praestari iussit, infantes autem feris proiici. Qui cum proiecti essent, vacca lactans veniebat ad infantes et ubera praestabat. Quod cum armentarii vidissent, tollunt eos, ut educarent. Interim Metapontus, rex Icariae, a coniuge Theano petebat, ut sibi liberos procrearet aut regno cederet. Illa timens mittit ad pastores, ut infantem aliquem explicarent, quem regi subderet: qui miserunt duos inventos. Eos regi Metaponto pro suis supposuit. Postea autem Theano ex Metaponto peperit duos. Cum autem Metapontus priores valide amaret, quod formosissimi essent, Theano quaerebat, ut eos tolleret et filiis suis regnum servaret.”

Desmontem, non Aeolum, regem, qui in illis locis imperaret, ab Euripide appellatum fuisse ex Hygini verbis colligo: Aeolum enim, Hellenis filium, Thessaliae sive Aeoliae regem esse dixerat noster. Alii, cum Aeoli filiam fuisse Melanippam affirmarent neque Thessaliae regem a ventorum rege distinguerent, illam volebant Metaponto hospiti a patre venditam atque in Italiam inferiorem transductam esse; cf. Diodor. l. 1. Vinctam Melanippam an eandem noster quam philosopham esse voluerit, ambiguum est.

Ad docendos de his rebus, quas mortalium nemo sciret, spectatores opus fuit deo. In eo prologo, cum de terra et regno Metaponti exponeretur, Siris fluvius cum oppido Lucaniae commemoratus est, teste Athenaeo XII. p. 523: *ὀνομάσθη δ' ἡ Σίρις, ὡς μὲν Τίμαιος φησι καὶ Εὐριπίδης ἐν δεσμώτιδι τῆ Μελανίππη, ἀπὸ γυναικὸς τινος Σίριδος.*

Pergit deinde Hyginus sic: „Dies advenerat, ut Metapontus exiret ad Dianam Metapontinam ad sacrum faciendum.” Ad haec sacra exeuntem regem comitati sunt Melanippae filii, Boeotus Aeolusque, ex eo negotio continuo, ut erant iuvenes strenui atque optimarum artium stu-

diis dediti, venatum profecturi, probante rege, quod eius generis exercitationibus operam dare mallent, quam in futtilibus rebus tempus consumere risumque captando gratiam quaerere:

ἀνδρῶν δὲ πολλοὶ τοῦ γέλωτος οὖνεκα
 ἀσκούσι χάριτας κερτόμους· ἐγὼ δὲ πως
 μισῶ γελοίους, οἵτινες μὲν ἐπὶ σοφῶν
 ἀχάλιν' ἔχουσι στόματα, κείς ἀνδρῶν μὲν οὐ
 τελοῦσ' ἀριθμόν, ἐν γέλωτι δ' εὐπρεπεῖς.
 οἰκοῦσι δ' οἴκους καὶ τὰ ναυστολούμενα
 ἔσω δόμων σώξουσιν — — — — —

ἀργὸς πολίτης κείνος, ὡς κακὸς γ' ἀνὴρ.

Contra Theanus filii neque palaestrae neque venatui student, quamobrem maioribus natu filiis a patre merito postponuntur. His actis rex cum geminis Melanippae filiis ad templum Dianae proficiscitur. Prodit deinde statim chorus feminarum, Dianae, puto, laudes cantans, ad quas deinde accedit Theano una cum filiis ex aedibus progressa. Ea neque hilarem se neque cantibus saltationibusque idoneam ostendit, sed moestam plenamque iracundiae, propterea quod maritus, spretis legitimis filiis, quos ipsa peperit, supposititios foveat hisque unice delectetur. Et primum quidem de communi feminarum sorte queritur:

μάτην ἄρ' εἰς γυναικας ἐξ ἀνδρῶν ψόγος
 ψάλλει κενὸν τόξευμα καὶ κακῶς λέγει·
 αἱ δ' εἶσ' ἀμείνους ἀρσένων, ἐγὼ λέγω.

Deinde hac viri iniquitate se, ne propter sterilitatem matrimonio privaretur, coactam esse ostendit ad supponendos liberos spurios, quos iam legitimis sic anteponi, ut hi non solum amore paterno destituantur, sed etiam ne regno excidant, timendum sit:

ὅστις δ' ἀμικτον πατέρ' ἔχει νεανίας
 στυγνόν τ', ἐν οἴκοις μεγάλα κέκτηται κακά.

Quamobrem se poenitentia illius facti merito vehementer cruciari:

ἴστω δ' ἄφρων ὢν, ὅστις ἀτεκνος ὢν τὸ πρὶν
 παῖδας θυραίους εἰς δόμους ἐκθήσατο,
 τὴν μοῖραν εἰς τὸ μὴ χρεῶν παραστρέφων.

ὧ γὰρ θεὸς δίδωσι μὴ φῦναι τέκνα,
οὐ χρὴ γκαλειῖσθαι πρὸς τὸ θεῖον, ἀλλ' ἔαν.

His expositis quum ferendum esse neget, ut, iura et patrimonium tenentibus alienis, proprii liberi excludantur, filios monet, ut consilio quidem matris utentes, sed corporum viribus et audacia ipsorum regnum paternum strenue sibi vindicent. Quod qua ratione effici velit, obscure significat, opportunitatem rei perficiendae datam esse dicens: abesse enim patrem cum iuventute civitatis, quos antea, quo minus res maturaretur, obstitisse:

„*Est res aliqua, quam praesente his prius maturare institi**.”

Quae obscure significata quo tendant, vel quid rei agi mater iubeat, minus se perspicere alter fratrum declarat:

„*Neque ratum est, quod dicas, neque, quae agitas, discendi est locus.*”

Aperte deinde matre aemulos de medio tollendos esse dicente, scelus horret:

„*Ne credite, amici morte me imbuturum manus.*”

Causa dubitationis non pietas est, sed timiditas adolescentis, quem merito pater spuris postponit: neque enim satis tutum esse putat, hosti robusto atque animoso solum, destitutum auxilio, obviam se ferre:

„*Egone, auxilio nudum, temere ut hosti me animato obferam**)?*”

Itaque mater, ut, pulso pavore, ad suscipiendum negotium filios permoveat, docet, quomodo ex insidiis sine proprio periculo aemuli aggrediendi sint:

παλαιὸς αἴνος· ἔργα μὲν νεωτέρων,
βουλὰὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος.

Quibus auditis pudorem iunior fratrum maiori iniicit, sē

*) Vulgo: quae praesente his prius matura institit. Vide Bothium.

**) Vulgo auxilio motum pro auxilio nudum.

sine ulla mora ad hostem quovis loco invadendum paratum esse ostendens:

*Paratus sum ubivis petere pestem per
necem.*

Cuius alacritate dubitationes alterius vincuntur: solum enim fratrem periculo obviam ire non patitur:

„Tete esse huic noxae obnoxium.”

Re constituta abeunt, fratribus venantibus in loco solitario insidiaturi. De hac dramatis parte haec scripsit Hyginus: „Theano occasionem nacta indicat filiis suis, suppositivos priores esse. Itaque, cum in venationem exierint, eos cultris interficite.”

Interpositum est carmen chori alterum, quo finito pastor vel agricola idem, qui geminos quondam sustulerat, ad exponenda ea, quae his verbis Hyginus refert, in scenam prodiit: „Illi autem matris monitu cum in montem exissent, proelium inter se commiserunt. Neptuno autem adiuvante, Neptuni filii vicerunt et eos interfecerunt. Quorum corpora cum in regiam allata essent, Theano cultro venatorio se interfecit.” Reginam quaerens haec dicit nuntius:

*„Em, aliquis cette in conspectum, aut
ad eam, ubi est, nos
ducite.”*

Bini singulos adorti erant sic, ut altero obviam eunte alter a tergo imprudentem peteret:

*„Obviam est, itque advorsum, aptus; al-
ter in promptu occupat.”*

Rationem, qua Melanippae filii cognitis insidiis impetum propulerint, satis ostendunt haecce:

*„Constituit, cognovit; sensim conlocat
sese in locum*

*Celsum; hinc manibus rapere rodus sa-
xeum grande et grave.”*

— — — — —
„Revolso stipite” — — —

Finita narratione corpora interfectorum in scenam reportantur. Lamentorum reginae pars haec fuit:

„*Proh Iuppiter!*“ — — —

Unde, aut qui immortalis florem liberum invidit mihi?“

Postquam regina cultro se transfixit, chori carmen tertium inseritur:

μετρίων λέκτρων, μετρίων δὲ γάμων
μετὰ σωφροσύνης
κύρσαι θνητοῖσιν ἄριστον.

Reversus Metapontus tria funera inventa luget; mox edoctus, quomodo res evenerint, uxorem defunctam accusat:

οὐκ ἔστι πρόπτοντάς τι μοχθηρὸν λαθεῖν·
ὄξυν βλέπει γὰρ ὁ χρόνος, ὃς τὰ πάνθ' ὀραῖ —
contra suppositorum filiorum virtutem collaudat:
ἐγὼ μὲν οὖν οὐκ οἶδ', ὅπως σκοπεῖν χρεῶν
τὴν εὐγένειαν· τοὺς γὰρ ἀνδρείους φύσιν
καὶ τοὺς δικαίους τῶν κενῶν δοξασμάτων,
κἂν ὦσι δούλων, εὐγενεστέρους λέγω

— — — — —
δοῦλον γὰρ ἐσθλὸν τοῦνομ' οὐ διαφθερεῖ,
πολλοὶ δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν ἔλευθέρων.

Potuit deinde chorus naenias cantare defunctis.

Statim deinde Boeotus Aeolusque Melanippam ad regem adducunt et de rebus gestis ipsi exponunt. Hyginus: „Ultores autem Boeotus et Aeolus ad pastores, ubi educati erant, confugerunt. Ibi Neptunus eis indicat ex se esse natos et matrem in custodia teneri. Qui ad Desmontem pervenerunt eumque interfecerunt et matrem custodia liberarunt, cui Neptunus lumen restituit. Eam filii perduxerunt in Icariam ad Metapontum regem et indicant ei perfidiam Theanus.“ Cum his congruit epigramma anaglyphorum Cyzicenorum n. 16. (Jacobs. Anthol. Vol. III. p. 3. p. 636.): κατὰ δὲ τὰς θύρας τοῦ ναοῦ προσιόντων ἔστιν Αἰολὸς καὶ Βοιωτός, Ποσειδῶνος παῖδες, ὀνόμενοι ἐκ δεσμῶν τὴν μητέρα Μελανίππην, τῶν περιτεθέντων αὐτῇ διὰ τὴν φθορὰν ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτῆς·

„Αἰολε καὶ Βοιωτέ, σοφὸν φιλομήτορα μόχθον
πρήξατε, μητέρ' ἔην λυόμενοι θανάτου·“

τοῦνεκ' ἄρα κτίσται γε πεφήνατε, ἄλκιμοι ἄνδρες*),
 ὃς μὲν ἀπ' Αἰολίης, ὃς δ' ἀπὸ Βοιωτίας."

Fragmentum narrationis hoc est:

„*Hic Melanippam inter traiectus nemorum, in salti faucibus.*”

Pro clausula adolescens hac usus esse sententia videtur:

πλὴν τῆς τεκούσης θῆλυ πᾶν μισῶ γένος.

His auditis plenus admirationis rex ad Melanippam convertitur confirmationem quaerens eorum, quae narravit adolescens: quae non sine magno dolore memoriam infortunii repetit:

τί τοὺς θανόντας οὐκ ἔῤῃς τεθνηκέαι
 καὶ τὰκχυθέντα συλλέγεις ἀλγήματα;

Postquam autem accurate de omnibus rebus rex edoctus est, matrem filiorum, quos non minus, quam genuinos, amat, in matrimonium ducere constituit, hanc sibi quasi fato uxorem destinatum esse arbitrans:

γάμους δ' ὅσοι σπεύδουσι μὴ πεπρομένους,
 μάτην ποιοῦσιν· ἢ δὲ τῷ χρεῶν πόσει
 μένουσα κάσπουδάστος ἦλθεν εἰς δόμους

— — — — —
 ὅσοι γαμοῦσι δ' ἢ γένει κρείσσους γάμους
 ἢ πολλὰ χρήματ', οὐκ ἐπίστανται γαμεῖν·
 τὰ τῆς γυναικὸς γὰρ κρατοῦντ' ἐν δώμασιν
 δουλοῖ τὸν ἄνδρα, κούκέτ' ἔστ' ἑλεύθερος.
 πλοῦτος δ' ἑπακτὸς ἐκ γυναικείων γάμων
 ἀνόνητος· αἱ γὰρ διαλύσεις οὐ ῥάδιαι.

Aversatur coniugium Melanippa, quippe quae praestantiorum amorem, quam naturalem, eum esse, quo vera ac divina mortales amplecterentur, in longo tempore dolorum cognoverit. Precibus tandem liberorum victa sui animi voluntatem commodis liberorum postponit. Ex filiorum oratione decerptos hos puto versus esse, quos servavit Orion (Schneid. Conii. critt. p. 47.):

σὺν τῷ θεῷ χρεῖ τὸν σοφὸν ἀναστρέφειν
 βουλευματ' αἰεὶ πρὸς τὸ χρησιμώτερον.

*) Vulgo τοῦνεκα γὰρ καὶ πεφήνατε.

Divitiarum et potentiae pretium eodem laudante, haec mater respondet:

ὦ τέκνον, ἀνθρώποισιν ἔστιν οἷς βίος
ὁ μικρὸς εὐκράς ἐγένεθ', οἷς δ' ὄγκος κακός.

τὰ τυγχάνοντα δ' ὅστις εὖ φέρει βροτῶν,
σοφὸν νομίζω σωφρονεῖν τέ μοι δοκεῖ.

Non plane persuasum esse Melanippae videtur, priusquam Diana rebus componendis interveniret. Deo enim opus fuit ad praedicenda futura, de quibus haec scripsit Hyginus: „Post quae Metapontus duxit coniugio Melanippen, eosque sibi filios adoptavit, qui in Propontide ex suo nomine condiderunt Boeotus Boeotiam, Aeolus Aeolliam.” Neque eius Boeotiae, quae contermina Atticae erat, sed alius cuiusdam in Propontide sitae, conditorem Boeotum fuisse voluit Euripides, neque eius Aeoliae, quae postea Thessalia appellata est, Aeolum, sed insularum, quas vocabant, Aeoliarum; cf. Diodor. IV, 67. Idem drama Aristophanes in Thesm. v. 407. respexit:

εἶεν· γυνή τις ὑποβαλέσθαι βούλεται
ἀποροῦσα παίδων, οὐδὲ τοῦτ' ἔστιν λαθεῖν·
ἄνδρες γὰρ ἤδη παρακάθηνται πλησίον.

Ex quibus cognoscitur falsa esse, quae quidam in vita Euripidis posuit (cf. mus. Rhenan. I. p. 297. anni 1833), Euripidem, ut efficeret illud, quod in Thesmophoriazasis promississet, se posthac laudes mulierum praedicaturum esse ac celaturum probra, in hac fabula posuisse illa: μάτην ἄρ' εἰς γυναῖκας κ. τ. λ. Commissa autem comodia Aristophanis est Ol. 92, 3. Anno, qui praecessit, Melanippam commissam esse suspicor. Praeterea huius mentionem fabulae Strabo fecit VI, 1, 15. p. 265. (406.): ἐν ταῦθα καὶ τὸν Μετάποντον μυθεύουσι καὶ τὴν Μελανίππην τὴν δεσμῶτιν καὶ τὸν ἐξ αὐτῆς Βοιωτόν. Adde denique Athenaeum XIV. p. 613. D. et XII. p. 523. D., Plutarchum (fragm. 26.) atque Eustathium.

C. A u g e.

Argumentum fabulae Apollodorus duobus exposuit locis (II, 7, 4. et III, 9, 1.), haecce narrans: „Auge filia fuit Alei et Neerae, Perei filiae: quam, quum sacerdotis munere in templo Minervae fungeretur*), Hercules, forte Tegeam transiens, haud agnitam vitiavit. Quae cum partum occulte edidisset, in ipso Palladis delubro, in quo, Minerva non defendente, vim passa erat, infantem exposuit**). Cum deinde terra sterilitate premeretur atque ingravescente annona homines fame laborarent, significantibus oraculis in Minervae delubro piaculum latere, Aleus ingressus delubrum et singula rimatus partum filiae reperit.”

Prologum egit Auge, in quo, enarrata Herculis temeritate, de deorum iniuriis graviter conquesta est. Victimam sine dubio Hercules Minervae obtulit, quo in negotio indulgens vino epulisque incaluit adeo, ut sacerdotem arreptam, quam ancillam esse putaret, stupraret***). Facta iniuria cognitoque errore, Hercules se Minervae excusavit, haecce dicens:

*νῦν δ' οἶνος ἐξέστησέ μ'· ὁμολογῶ δέ σοι
ἀδικεῖν, τὸ δ' ἀδίκημ' ἐγένετ' οὐχ ἐκούσιον.*

Haec illius verba Auge narrationi suae immutata inseruit. Minervam autem ipsam intervenisse et supplicium temerario minatam esse ex fragmento XI. colligo, quo eandem, accepta Herculis excusatione, poenam ei remisisse significatur:

καὶ βουθυτεῖν γὰρ ἠξίους ἐμὴν χάριν.

Haec igitur quum patienter tulisset dea quumque auctori

*) Pausan. VIII, 4, 5: Ἄλεος δὲ τῇ τε Ἀθηνῶν τῇ Ἀλέα τὸ ἱερὸν ὤκοδόμησεν ἐν Τεγέᾳ τὸ ἀρχαῖον καὶ αὐτῷ κατεσκεύαστο αὐτόθι ἢ βασιλεία.

***) Schol. Aristoph. Ran. 1080: ἔγραψε γὰρ τὴν Αὔγην ὠδίνουσαν ἐν τοῖς ἱεροῖς.

****) Alcidas rhet. p. 185, 24: ἰδὼν δὲ ὁ Ἡρακλῆς τὴν παιῖδα ἐν τῷ νεῷ ὑπὸ μέθης συνεγένετο; cf. Matth. p. 95.

sceleris ignovisset, irasci eam sacerdoti puerum in delubro deponenti, pollui sacra sua putare partu deposito, quae stuprum inspiciendo minime se pollutam esse putasset, ineptum esse dicit virgo neque personae deae et sapientissimae et castissimae convenire:

— — — — — σκῦλα μὲν βροτοφθόρα
 χάρεις δρωσα καὶ νεκρῶν ἐρείπια,
 κοῦ μισρά σοι ταῦτ' ἐστίν· εἰ δ' ἐγὼ ἴτεκον
 δεινὸν τόδ' ἦγγ'.

Famulis sacerdotis chori munera delata fuisse consentaneum est. Has igitur, nuntiato oraculo, quo rex in delubro piaculum quaerere iubebatur, in auxilium vocasse Auge videtur, et orasse, ut in reconditissimo delubri loco infantem occultandum curarent:

γυναῖκές ἐσμεν· τὰ μὲν ὄκνω νικάμεθα,
 τὰ δ' οὐκ ἂν ἡμῶν θράσος ὑπερβάλλοιτό τις.

Negat chorus ullum esse tam secretum delubri locum, in quo depositus puer fallere investigantes possit; sed nihilominus sperat fieri posse, ut opinione decepti, dum remotiora scrutentur, ea, quae sint in promptu posita, praetereant:

ποῖ; πῶς δὲ λήσει; τίς δὲ νῶν πιστὸς φίλος;
 ζητῶμεν· ἢ δόκησις ἀνθρώποις κακόν,
 καὶ τοῦπιχειρεῖν ἐξαμαρτάνειν φιλεῖ.

Regem deinde cum lictoribus ad pervestigandum templum lucumque venientem sacerdos, iure suo se defendens, ab introitu prohibet. Tandem per vim lictoribus irrum-pentibus, iniustitiae patrem et superbiae accusat:

κακῶς δ' ὄλουντο πάντες, οἱ τυραννίδι
 χαίρουσιν ὀλίγη τ' ἐν πόλει μοναρχία·
 τοῦλεύθερον γὰρ ὄνομα παντὸς ἄξιον,
 καὶν σμίκε' ἔχη τις, μεγάλ' ἔχειν νομίζεται.

Invento puero, necdum cognitis parentibus, dicendi vi efficere studet, ut infantis patrem misereat:

τίς δ' οὐχὶ χάρει νηπίοις ἀθύρμασιν*);

Mortem enim rex parvulo parabat, sagittis eum transfigi iubens; cf. fragm. 13: κέρως ὄρθιον ἢ νευρά· Εὐριπί-

*) Dubito, an huius esse loci ducam lemma Hesychii: φιλο-
 τραπεής, ὃν ἡ συνήθεια φιλότροπον λέγει· Εὐριπίδης Αὐγή.

δης ἐν Ἀῦγῃ. Quo timore mater ad confitendam culpam coacta est. Detecto autem scelere, non defuit qui patrocinium stupratae susciperet:

Ἔρωτα δ' ὄστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν
καὶ τῶν ἀπάντων δαιμόνων ὑπέρατον,
ἢ σκαιός ἐστιν, ἢ καλῶν ἀπειρος ὢν
οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν.

Quae sic convertit Caecilius apud Cic. Tusc. IV, 32, 68:

„(Cupidinem) deum qui non summum putet,
Aut stultum aut rerum esse imperitum existimo,
Cui in manu sit, quem esse dementem velit,
Quem sapere, quem sanari, quem in morbum iniici,
Quem contra amari, quem expeti, quem arcessier.”

Hoc quoque inter alia monet defensor, esse probra liberorum benigne dissimulanda: augeri enim malum malo, si divulgentur:

τὸ γὰρ ἐπιεικὲς ὠφελεῖ τὰς συμφοράς.

His nihil movetur rex, legum reverentiae plus, quam miserationi maleficorum, tribuendum esse censens:

οὐ τῶν κακούργων οἶκτος, ἀλλὰ τῆς δίκης.

De damnatione ac supplicio haec scripsit Apollodorus: „Deprensa a patre virgo Nauplio, Neptuni filio, tradita est, qui extra fines exportatam venderet; puerum autem in Parthenium montem deferri exponendum iussit: qui divina quadam providentia conservatus est. Nam cerva, quae nuperrime pepererat, illi ubera praebebat; mox pastores assumtum infantem Telephum vocitarunt. Augen autem Teuthras, Teuthrae rex, eam in matrimonium duxit.” Potuerunt futuri tum matris tum pueri casus a Minerva praedici. Quibus auditis dolor regis mitigatus est, haecce secum reputantis:

πᾶσιν γὰρ ἀνθρώποισιν, οὐχ ἡμῖν μόνον,
ἢ καὶ παραντικ' ἢ χρόνῳ δαίμων βίον
ἔσφηλε, κούδεις διὰ τέλους εὐδαιμονεῖ.

Discrepans fabulae conformatio apud Diodorum IV, 33 et Pausan. VIII, 48, 5. invenitur, cuius auctor Aeschylus in Mysis potest vel Telepho fuisse. Philosophando Auge non minorem, quam Melanippa, operam dedit, propter

quam rem invisā fuit Aristophani, qui manifesto hanc fabulam notavit Ran. 1086:

οὐ προαγωγούς κατέδειξ' οὔτος καὶ τικτούσας
ἐν τοῖς ἰεροῖς;

Praeter hunc ad hanc tragoediam respexerunt Longinus de subl. extr., Athenaeus, Clemens Alex., Philo lud. et quos supra nominavimus.

XIX. De dramatum generibus.

Longinus excelsitatem quandam orationis et eminentiam (*ἀκρότης καὶ ἔξοχή τις λόγων*) esse sublimia dicens non indoctius vim sublimitatis descripsisse quam Kantius videtur, cuius rationem Vischerus probavit, sublimia esse volens prae quibus cetera omnia parva essent: quod quid aliud dicit, quam sublimia esse quae non sint parva? Restat enim, hac proposita definitione, ut quaeratur porro, quaeenam sint illa, prae quibus reliqua parva esse videantur, et quaeenam sint cetera illa, quibuscum comparata eminere sublimia intelligantur. Ipse autem Vischerus, cum sublimium vellet vim potestatemque describere, paene paraboles et allegoriae naturam inscius delineavit. Perfecta enim infinitaque rerum species si certarum propriarumque rerum speciem, quibus quasi corporibus includatur, vinceret superaretque, tum, dixit, sentiri illud, quod appellaremus sublime*). Fatetur autem alio loco ipse non

*) „Endliches und Unendliches decken sich nicht mehr, sondern dieses steht in seiner allem Endlichen überlegenen Größe vor uns. Die Grenze verschwindet. Im Erhabenen steht die Idee in einem negativen Verhältniss zur Gegenständlichkeit: das Absolute erscheint über jede unmittelbare Existenz hinausgehoben, es ist (in der Kunst) der Versuch, das Unendliche auszudrücken, ohne in dem Bereich der Erscheinung einen adäquaten Gegenstand zu finden. Erhaben ist, was durch seinen Widerspruch gegen das Interesse der Sinne unmittelbar gefällt,

omnibus a partibus definitionem, quam proposuerit, cum natura rei, quam definiret, congruere*). Sed quaenam illa erit ars vel quaenam operum pulcritudo, si imagines exprimendis iis, quae vel pictores vel poetae vel opifices imitabuntur, parum sufficient neque signa significatis paria erunt, sed inferiora? Nempe manca atque vitiosa. Huius sunt generis quae Klopstoccius composuit carmina, quae vitiosa esse et pulcritudine carere hodie fere omnes intelligunt. Infantia est, non eruditio, non invenire in rerum natura quae mentis cogitationibus exprimendis suppetant. Quae mentis divinae maiestati manifestandae suppetierit rerum natura, eamne homuncionum censem cogitationibus exprimendis unquam deesse? Exemplo allato, qualis sit Vischeri error et unde natus, facilius intelligetur. Equorum divinorum vim et velocitatem ut ostendat Homerus, quantum spatium aliquis oculis terminet ex alta specula in mare prospiciens, tantum illos ait singulis saltibus emetiri:

ὄσσον δ' ἡεροειδὲς ἀνὴρ ἴδεν ὀφθαλμοῖσιν
ἤμενος ἐν σκοπιῇ λεύσσων ἐπὶ ὄνοπα πόντον,
τόσσον ἐπιθρόσκουσι θεῶν ὑψηχέες ἵπποι.

De quo sublimitatis exemplo haec scripsit Longinus: „Quis non merito in tanta magnitudinis abundantia exclamet: si plures deinceps impetus fecerint equi divini, defecturum in mundo spatium!“ Captum superare rei magnitudinem monuit verissime. Atque haec communis eorum, quae sublimia appellamus, natura est: non modum eorum, quae sub sensus cadunt, superant ea, quae animis finguntur (quippe quum in ipsa illa congruentia, qua formae cum cogitatis coalescunt, vis poetarum et officium cernatur), sed modus speciesque formarum ipsa captum superat hu-

wogegen die Einbildungskraft und Natur als gegen die Ideen der Vernunft verschwindend erscheinen, was auch nur denken zu können ein Vermögen des Gemüths beweiset, das jeden Maßstab der Sinne übertrifft. — Das Durchbrechen der Idee durch die Schranken des Endlichen ist es, wodurch alles Andere (Endliche) als klein erscheint.“

*) „Es wird sich zeigen, daß das Erhabene nicht auf jeder seiner Stufen die Idee im strengen Sinne zu seiner Grundlage hat“ u. s. w.

manum. Recte igitur idem Longinus admirationem (*ἐκστασιν*) dixit sublimibus effici, quam voluit contrariam esse persuasioni. Ratione enim, sive argumentis ad docendum, ad pellendas ignorantiae vel stuporis nubes idoneis, rem agunt qui persuadere conantur, contrariam viam ingredientibus iis, qui magnificarum sublimiumque rerum specie animos percellunt: stuporem enim iniiciendo et praestringendo mentis aciem potestatem iudicandi ac tractandi subigendique res oblatas auferunt. Idem, „quod fidem facit,” inquit, „in nostra est situm potestate: illa contra vim adferendo, cui resisti non possit, superiora sunt iis qui audiunt omnibus.” Non minus verum est, quod contentam esse vim magnificorum dixit, qua vi animos subito oppressos abripi. „Rerum,” inquit, „inveniendarum peritiam et dispositionem earundem atque compositionem non ex una re neque ex duabus, sed ex universi operis structura vix apparentem videmus; sublimitas autem opportune eminentis fulminis instar trahit rapitque, et cumulatam oratoris vim subito manifestat.”

Parva sunt quaecunque acuta mentis acie utentes, cernendo, discernendo disserendoque quasi in partes soluta, animo libero tractamus et quodammodo subigimus atque domamus: magnarum vero rerum speciem servant ea, quae, oppresso occupatoque iudicio, victa pulsaque prudentia, sensum animi subito ita afficiunt, commovent ac percellunt, ut invitos ignarosque subigant et quocunque tendunt abstrahant, non subigantur a nobis neque occupentur atque pertractentur. Obscuritatem quandam sublimibus admistam esse dixit Vischerus: at eam neque imaginibus, quas effingunt poetae, neque cogitationibus, quibus effingunt, inesse oportet (quippe quas manifestas esse deceat, ut manibus contrectari palparique posse videantur), sed tum demum, quum illas imagines quasi inita subductaque ratione ad regulam et libellam exigere conemur, existere. Eum tamen calculum non sublimia tantum, sed quaecunque poetae comminiscuntur, effugiunt. Huius igitur sunt generis quae de maiestate deorum Homerus commentus est, veluti hoc:

*ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοισι ἐρύσσαι,
αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ' αὐτῇ τε θαλάσῃ·*

σειρήν μὲν κεν ἔπειτα περὶ δῖον Οὐλύμπιοι
δησαίμην, τὰ δὲ κ' αὐτε μετήγορα πάντα γένοιτο.

Merito enim homines sollertiores mirantur, quomodo ex coeli prominente cacumine terra cum mari suspendi possit, siquidem coelum ipsum illis tanquam fundamentis sustineatur. Videtur igitur Homerus grandia sequens pugnantia inter se effinxisse, neque hoc tantum loco sed quibuscunque deorum figuras actionesque imitatus est, veluti quum in deorum pugna Orcum fecit timentem, ne rupta terra domicilia aperirentur inferorum:

ἔδδεισεν δ' ὑπένεοθεν ἀναξ ἐνέρον Ἀιδωνεύς,
δείσας δ' ἐκ θρόνου ἄλτο καὶ ἴαχε, μὴ οἱ ὑπερθεν
γαῖαν ἀναρῶξήσει Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
οἰκία δὲ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι φανεῖη
σμερδαλέ, εὐρώεντα, τάτε στρυγέουσι θεοὶ περ.

De quo loco haec scripsit Longinus: „Intelligisne fore, ut, mota ex sedibus terra et nudato ipso tartaro factaque universi mundi eversione atque disturbance, cuncta simul, coelum, orcus, mortalia et immortalia una conflictentur et in discrimen adducantur? At haec timenda quidem sunt, verum, nisi per significationem dicta sint, plane a deorum dignitate aliena neque servant decorem.”

Translationibus sive allegoriis ii utuntur, qui, infinitis animo propositis, haec finitorum formis includunt. Sed infinita quaerere philosophorum est, non poetarum: unde fit, ut anceps quoddam genus, inter philosophiam poesinque medium sit illud, quo res tanquam signa proponuntur reconditorum cogitatorum pendetque dignitas rerum, quae finguntur, ex dignitate sententiarum, quae iis involvuntur. Quorum numero poetarum non esse Homerum quum quilibet intelligat, non est concedendum neque significationem rebus, quas commentus est, ullam subesse, neque omnino in infinitis explicandis carmina eius occupata esse. Hoc enim inter poetas et philosophos interest, quod hi infinita, seiuncta a finitis, disserendo quaerunt, illi finita ipsa mentibus oculisque proponunt imitando, et quidem aucta sic, ut aemulari possint infinita videri. In fingendo poetarum munus consistit. Atqui infinita, quoniam fine modoque carent, carent figura. Quamobrem quum non cadat in ea imitatio, omittenda sunt poetis, et

pro illis ea, quae temporibus, locis, rebus hominibusque tenentur, effingenda. Philosophorum est negare auctorem mundi nominari posse vel qualis sit intelligi, carere eum corpore affirmare neque posse ullam eius figuram imitando exprimi. Talia poetae, quatenus sunt poetae, non curant: non enim quae disserendo inveniuntur, sed quae sensibus percipiuntur, sumunt imitanda: ergo ne deos quidem imitantur, sed hominum personas, a vitiis, quantum fieri potest, liberatas, perfectas expletasque omnibus numeris, tanquam deorum species mentesque effingunt. Nihil igitur illis infandum vel inenarrabile esse videtur, ut qui non notionibus universalibus rem gerant, sed imaginibus, quas, quum certarum sint rerum, si minus poterunt certis quasi lineamentis descriptas, vividas manifestasque exprimere, ipsorum vel hebetudo vel infantia, non rei obscuritas accusanda erit. Vitosus est poeta Klopstoccus eam ipsam ob rem, quod effingere conatus est ea, quae verbis exprimi posse ipse desperavit, et ad humanae naturae similitudinem deos efformare veritus est. Contra vitiosus est philosophus Homerus, eoque nomine multum ab iis, qui de deorum natura inquisiverunt, sed immerito, reprehensus. Nam quaenam tandem conformatio personarum divinarum aut quaenam actionum imitatio non indigna esse natura numinum videbitur iis, qui accuratius argutiusque ratione et acumine iudicii illas examinant? Talia ut non efficiuntur ratiocinando, ita ne revocanda quidem sunt ad rationem, nec disserendi subtilitate percipienda, sed sentiendi vigore. Incurrunt autem in eandem philosophorum reprehensionem opiniones traditae, sacra, caerimoniae et religiones, quae sunt cum poetarum commentis arctissime coniuncta, ut recte Herodotus Homerum censuerit Hesiodumque religionum Graecis auctores fuisse; idemque Goethius affirmavit, honores deorum cultumque poetis deberi:

Wer sichert den Olymp, vereinet Götter?

Des Menschen Kraft, im Dichter offenbart.

Rectissime etiam Longinus iudicavit: „Videtur mihi Homerus narrans vulnera deorum, dissidia, poenas, lacrimas, vincula et mala promiscua, homines, qui interfuerunt bello Troiano, quantum fieri potuit, in deos, deos autem in ho-

mines mutasse." Descendentibus enim diis homines eveniunt, ut communio quaedam et commercium mortalium cum immortalibus existat, id quod efficere proprium poetarum officium est.

Pugnare saepe secum quae sublimia effingantur, ex his, quae disseruimus, intelligitur. Repugnantia autem prope absunt ab absurdis atque ridiculis. Discrimen non in rebus ipsis positum est, sed in sensu atque animi habitu, quo illa percipimus. Saepe igitur fit, ut eadem res aliis metum et miserationem, aliis risum moveat, et illa quae de Homero attulimus sublimitatis exempla vix hodie sine risu cognoscere possumus. Eo pertinet, quod tenui discrimine sublimia a levibus distingui dixit Napoleon, quod summum ardorem animi (ex quo nascuntur sublimia) vicinum dementiae esse multi saepe affirmarunt, quod ardentem oratorem, quoniam alte ascenderet, periculum alte cadendi adire monuit Cicero. Addit idem, si non praeparatis auribus inflammare rem coepisset, furere eum apud sanos et quasi inter sobrios bacchari vinolentum videri. Sobriis igitur frigidisque hominibus nihil sublime esse significavit. Origo sublimitatis et fontes quasi nativi, id quod recte intellexit Longinus, duo sunt, primum sententiae grandium appetentes (*νοήσεις ἀδρεπήβολοι*), cuius generis est Alexandri illud verbum, Parmenione dicente: „ego hoc satis haberem, si essem Alexander,” respondentis: „ego quoque hercle, si essem Parmenio;” deinde inflammatio animi divino quasi instinctu incitati (*ἐνθουσιαστικὸν πάθος*), quo fit, ut quasi praesentia intueri videamur et ob oculos posita cernere quae aut temporum locorumque spatiis remota sunt aut in sensus omnino non cadunt. Quae duae res ratione caussarum et effectuum inter se iunctae sunt. Etenim ex ardore animi concipitur magnitudo consiliorum, itemque iis, qui verbis aequare et exprimere magnorum virorum facta atque sententias volunt, simili furore illi, quo auctores incitati fuerunt, opus est. Et altitudini quidem animi divina appetentis contraria est lascivia libidinum belluinarum, magnitudini autem consiliorum argutiae atque facetiae, quibus armata petulantia magnificis insidiatur et, nudum nacta latus, invadit vulneratque, in risum

detorquens quae commovendis percellendisque animis parata sunt. Non habent facetiae campum, in quo se iactent, ubi nulla studiorum audacia pericula adeundo ad sublimia grassatur: etenim non risum, sed contemptum, movet humilitas studiorum vulgarium et submissio animorum. Secundaria igitur est comica, quae dicitur, poesis ac fere paullo serius, quam severa musa, nata huius vestigiis inhaeret, quemadmodum regum olim latera tegere scurrae solebant*).

*) Egregio carmine hanc magnificorum et ridiculorum vicinitatem descripsit Rückertus:

Fantasie, das ungeheure Riesenweib,

Safs zu Berg,

Hatte stehen neben sich zum Zeitvertreib

Witz, den Zwerg.

Der Verstand

Seitwärts stand,

Ein proportionirter Mann,

Sah das tolle Spiel mit an.

Fantasie sich halben Leib's zum Himmel hob,

Einen Stern

Fafste sie und schwang ihn, dafs es Funken stob

Nah und fern.

Fiel der Witz

Wie ein Blitz

Drüber her, und fafst den Schein

In die kleinen Taschen ein.

Fantasie zur Wolke, die vorüberflog,

Streckt' die Hand,

Sich die Wolke purpurn um die Schultern zog

Als Gewand.

Witz versteckt

Drunter steckt;

Wie sich nur ein Fältchen ruckt,

Witz heraus mit Lachen guckt.

Fantasie mit Donnersturm thut auf den Mund,

Witz verstummt:

Schweigt die Riesin, thut sogleich der Zwerg
sich kund,

Pfeift und summt.

Der Verstand

Hält nicht Stand,

Geht und spricht: das mag ich nicht,

Denn das sieht wie ein Gedicht.

A sobrietate autem et prudentia hominum veros rerum modos expendentium perinde utraque poesis abest. Altera enim auctiores praestantioresque, quam sunt in rerum veritate, personas effingit, mortales quidem ad deorum maiestatem evehendo, divos autem ad modum humanorum revocando; altera contractiores, humiliores deterioresque conformat, in belluinae naturae turpitudinem non homines tantum, sed deos quoque (quorum personae ad illorum semper similitudinem effinguntur) deformando. Quamobrem illa aut heroum aut sapientium personas virtutesque diis aemulas effingente, haec aut bestias ipsas, velut satyros et renardos cum isengrimis, brunonibus et similibus inducit, aut homines facit more bestiarum libidinibus impudenter deditos et quicquid gerunt rerum, turpiter, absurde, socorditer agentes. Eadem divinarum personarum diversitas est. Nam quum severae musae propositum sit deorum voluntatem, absconditam illam quidem difficilemque intellectu, sed certam sapientemque, in administrandis rebus humanis apparentem ostendere, atque omnia ad legem quandam perpetuam aeternamque dirigere, aut summi numinis potentiam demonstrare, consultorum factorumque omnium eventum, insciis mortalibus invitisque, moderantis; comica invicem poesis in locum Iovis fatique casum fortuitum, scurram quandam et nugatorem, evehit, qui illorum facta imitans ac temere res nullo consilio miscens turbansque in risum severa, in ludum iocumque magna detorqueat. Sic ne Oedipi quidem casus, qui sunt omnium, quae cogitatione effingi possunt, miserimi et imbecillitatem naturae humanae, comparatae cum immortalium maiestate, ostendendo animos percellunt, risum effugiunt, si inducatur adolescens pro virgine nubili anum, et insuper matrem suam, ducens et pro dote accipiens regnum, quod sine vetulae appendice hereditate accipiendum erat*). Incestum enim et reliqua nefaria, quae horrent animi verecundi, non curant risores, servis et hominibus trivio innatis, turpibus flagitiosisque similes, ut ne in miserimis quidem rebus suis ludibria et libidines

*) Cf. Aristoph. Ran. 1193.

omittant neque quicquam perinde doleant, nisi quod voluptatibus minus in rebus angustis indulgere liceat. Qui si Oedipi fuissent loco, neque oculorum lumine se privassent cognito errore, neque libidines etiam tum, quum ocoecati fuissent, sectari desiissent. Mala enim omnia in una dumtaxat re, studio virtutis, posita esse censent, sententiam doctrinae stoicorum contrariam tuentes. Nihil autem magni infortunii accidere potest nil magni appetentibus, neque improbi nefarii que sunt illi, sed tantum turpes atque socordes. Huc redit quod Aristoteles comoediam negat omnis improbitatis imitatricem esse, quoniam turpia sola ridicula sint: esse igitur, ait, ridicula in vitiis ac turpitudine non laedentibus neque perniciosis posita, cuiusmodi statim persona ipsa comica sit, turpis illa quidem ac distorta, sed expers doloris. Magnifica enim ipsa sunt scelera, quae magnis viribus et magna consiliorum audacia perpetrantur. A quibus perinde atque a virtutis contentione servorum turpium nequitia aliena est, nulli rei nisi corporis libidini studentium*). Itaque in vafririam vertunt sapientiam, pro verecundia impudentiam, pro honestate turpitudinem colunt, denique rerum, quaecunque magnae habentur, omnium eversa dignitate belluarum naturam pro deorum hominibus aemulandam commendant, ut adeptis illam egregiam beatitudinem canere liceat:

Uns ist ganz kannibalisch wohl

Als wie fünfhundert Säuen.

Philosophiam quandam, belluarum dumtaxat, huic sententiae inesse recte iudicavit Dionysius Hal. Rhet. de orat. fig. I, 11., quam philosophiam cognoscere non sine fructu esse facile Platoni (legg. VII. p. 816. E.) credimus. Eandem fere sententiam auctor carminis, quod Renardus vulpes inscribitur, cum simulatione quadam profitetur:

„Hochgeehrt ist Reineke nun! Zur Weisheit bekehre
Bald sich Jeder und meide das Böse, verehere die
Tugend!

*) Summam turpitudinis, quam comoedia imitatur, perfectionem his verbis quidam professus est: „Quod poto non sitiens quodque futuo quovis anni tempore, hac sola re praesto belluis.“

Dieses ist der Sinn des Gesangs, in welchem der
Dichter

Fabel und Wahrheit gemischt, damit ihr das Böse
vom Guten

Sondern möget und schätzen die Weisheit, damit
auch die Käufer

Dieses Buchs vom Laufe der Welt sich täglich be-
lehren.

Denn so ist es beschaffen, so wird es bleiben, und also
Endigt unser Gedicht von Reinekens Wesen und
Thaten.

Uns verhelpe der Herr zur ewigen Herrlichkeit!
Amen."

Laetos igitur rerum eventus non eam solam ob rem ha-
bet comoedia, ne miseris rebus hilaritas interpelletur, sed
quod solam virtutem miseram, solam nequitiam felicem
esse simulat: etenim versutiam ex difficultatibus facillime
se extricare arbitratur. Non enim vitia reprehendere,
flagitiosos notare et ridendo verum dicere comicorum poe-
tarum, qui vere sunt comici, officium est, neque recte
Horatius priscae comoediae viros cum saturarum scripto-
ribus componens eundem utrisque finem propositum esse
censuit. Quemadmodum enim severae musae carminum
non sunt praestantissima ea, quae docendo sunt, quam
movendo delectandoque, aptiora, ita neque comicorum ea
sunt optima, quae vitia notare, quam risum concitare,
antiquius habent: quo pacto satura multo quam comoedia
inferior est. A certorum hominum vel laudibus vel con-
tumeliis celebrandis tum heroica sive gravia tum iambica
sive ridicula carmina, teste Aristotele, originem ceperunt;
sed procedente tempore maiorem perfectionem adepti,
missis privis, ad communem hominum naturam imitandam
transierunt, neque iam laudando vituperandoque docere stu-
duerunt, sed vel gravia ostendendo admirationem, metum
et miserationem, vel levia atque ridicula effingendo hila-
ritatem et oblivionem malorum gignere. Utrumque genus
Homerus consummasse putabatur, de quo haec scripsit
Aristoteles: „Homerus, quemadmodum gravium rerum sum-
mus fuit poeta (solus enim non modo bene condidit quic-

quid carminum condidit, sed actiones quoque imitatus est), ita etiam comoediae formas primus monstravit, non in vitiis notandis, sed in risu movendo drama occupatum esse volens. Etenim Margites rationem eandem ad comoedias habet, quam Ilias et Odyssea ad tragoedias. Postquam autem tragoedia et comoedia exstitit, prout cuiusque poetarum ingenium erat aut grave et magnificum aut leve petulansque, ita ad utramque ferebantur, alteri pro iam-bis comoedias, alteri pro epicis carminibus tragoedias, quoniam magnificentiores et honoratiores hae quam illae erant formae, docentes." Utilia ac salutaria ipsa neutrum genus carminum praestare potest; satis prodest utrumque facultatem parandorum utilium animis ingenerando: id quod movendis delectandisque animis efficitur. Admirationem enim tum consiliorum sublimium tum magnarum virtutum excitans epopoeia ad simile honestatis studium omnes incitat; tragoedia autem, quum non minorem, quam illa, animorum altitudinem viriumque magnitudinem ante oculos ponat cum adversa fortuna conflictantem, non restinguit ardorem neque infringit animos ostendendo vires mortalium potentia deorum inferiores esse, sed damnat ferociam et modestia vim temperandam esse monet. Huic autem carminum generi contraria comoedia ab aegritudine prostratos afflictosque ad hilaritatem revocat ostendendo non amaras, sed ridiculas esse hominum magnis conatibus excidentium ruinas et licere etiam missis sublimibus ac per humum repentibus iucundam degere aetatem.

Risum igitur comoedia vult concitare ex iisdem rebus, ex quibus metum ac miserationem movet tragoedia. Neque enim viles res ipsae, sed cum gravibus temere mixtae ridiculae sunt, neque ex aequitate animi aut socordia, sed ex tristitia hilaritas erumpit. Facillime igitur comoedia id, quod ei propositum est, consequitur grandia tragoediae mala ludendo (*τὰ μεγάλα πάθη ὑποπαίξουσα τῆς τραγωδίας*, schol. Aristoph. Acharn. v. 332.), in risum severa, in turpitudinem honesta, in iocum gravia deflectendo et imitando generosum illum, qui, furatus vestem et insignia regis iisque ornatus, in sterquilino conquexit et cacavit. Hanc veteris comoediae naturam quasi exemplo quodam declarant ea, quae de Baubonis Cererem

exhilarare studentis ludibriis narrantur obscoenis. „Quam enim serio non quibat allicere, ludibriorum statuit exhilarare miraculis. Redit enim ad deam tristem et inter illa communia, quibus moris est frangere ac temperare moerores, reteggit se ipsam etc. Atque dea pubi affigit oculos et inauditi specie solaminis pascitur; tum diffusior facta per risum sumit atque ebibit quam antea aspernata est potionem.” Arnob. V. p. 198. Clemens Protrept. p. 6, 24. In hymno igitur Homericō ancillae, cuius iocis dea exhilaratur, idem est, quod carminibus comicis, nomen: *πρίν γ' ὅτε δὴ χλεύης μιν Ἰάμβη κέδν' εἰδυῖα, πολλὰ παρασκώπτουσ' ἐτρέφατο πότνια, ἀγνήν, μειδῆσαι γελάσαι τε, καὶ ἴλαον ἔνθετο θυμόν.*

Vides Cererem, tanquam tragicam personam, cum Iambe, tanquam comica, uno in loco versantem neque modo tolerantem huius iocos, verum etiam iis delectatam adeo, ut oblita amissorum, admonita voluptatum corporis, ad hilaritatem revocata, potione ciboque reficeretur*).

Est autem alterum iocandi genus magis illud quidem liberale honestumque, ac solum ingenuis hominibus dignum, iudice Cicerone Off. I, 29., sed severis tristibusque et ipsum finitimum et ex levium graviumque rerum repentino concursu erumpens, quod recentioris proprium comediae esse supra commemoravimus.

Restat, ut hanc gravium leviumque vicinitatem et alterorum in altera subitam commutationem exemplis illustremus. Vir fortis et gravis arietes pro hominibus, quibus irascatur, caedens risum nobis movebit, quoad eius facti causam finemque perspicere putabimus; eundem ubi mentis errore divinitus teneri videbimus simulque, ne eadem vi divina ad interitum adigatur, timebimus, in hilaritatis locum succedet miseratio. Grandia enim sunt quorum finem non assequimur vel quorum causas eventusque ignoramus vel quae divinitus effecta esse apparet; levia autem sunt tum quae vulgaria, cognita respectaque habentur tum quae casu fortuito, nullo deorum consilio, effecta esse putantur. Si quis

*) Non multo melius est solatium, quo columbae sapientia aquilam de sublimi praecipitatum moerentemque exhilarare student in carmine Goethii, quod Adler und Taube inscribitur.

narretur colliciarium tegularum partem superfluum desecaturus in ea parte, quam desecabat, consedissee, enixe factum ridebimus, quamvis non absit metus, ne ille lapsus de tecto brachium vel cervicem fregerit. Atqui huius ignorantia paene non minus misera est quam Oedipi, se ipsum patria ac salute per ignorantiam privantis, dum interfectori Laii aqua ignique cum diris imprecationibus interdicit; etiam inutilitas eventus cum utilitate consilii in utroque facto aequae pugnat. Sed quod ille videtur, quid eventurum esset, praevidere potuisse, hic non videtur, alter voluntate deorum, alter sui operis temeritate perire putatur. Si quis orator magna cum auditorum expectatione magnaque cum vultus severitate et incessus gravitate ad suggestum tendens repente ruptis femoralibus turpiter nudatus conspiciatur, temerarium gravium leviumque rerum concursum ridebimus, quamvis sit miserum virum dignum, de re gravi graviter dicturum, iacturam repente facere dignitatis. Contra si quo oratore deos testes in magna aliqua re advocante repente nubibus divisus sol appareat et concionem clarissima luce collustret, non videatur hoc casu fortuito accidisse, quod gravia gravibus augeantur, et putabuntur dii ipsi oratori praesentes adesse atque orationem eius confirmare.

Ad tragoediae veteris naturam explicandam ab hoc digressu redeo, quam parum nostratibus cognitam esse vel inde apparet, quod tristem rerum exitum solum in nomen eius convenire arbitrantur: quae et per se absurda est opinio neque exemplis tragoediarum iis, quae servata sunt, ullo modo confirmatur. Gravia vel severa ac sublimia esse diximus quibus et virtus hominum supra vulgaria atque consueta enitens et deorum potentia illorum vel evergens vel adjuvans conatus ostenderetur; levia contra vel ridicula, quibus deliros esse illos conatus inaneque virtutis studium, regnante casu temerario pro iustitia ac necessitate, docere poetae scurriles viderentur. Severae autem musae genera duo posuimus, epopoeiam et tragoediam, quarum illa virtutis et gloriam et laborem narrando ostenderet, haec mala et labores hominum gloriam rebus gerendis quaerentium agendo imitaretur. La-

bores autem partim externi sunt, positi in rebus, quas tractamus, partim interni, ex moribus eorum, qui in rebus tractandis versantur, nascentes. Quorum hos, quas perturbationes appellamus, agendo aptius quam narrando ostendi et tragoediae, quam epopoeiae, imitationi magis convenire docuimus T. I. p. 502 seqq. Perturbationum autem quum quattuor sint genera, quorum duo, laetitia et cupiditas, ex opinione bonorum, itemque duo, aegritudo et metus, ex opinione malorum nascentur, planum est has, quae ad mala vel praesentia vel impendentia referantur, in tragoediam magis, quam illas, quae in bonis sint vel praesentibus vel impendentibus positae, convenire. Etenim ut quieti nos damus bonis praesentibus affluentes, ita deorum potentiae obliviscimur cum cupimus ea, ex quibus voluptatem percipiamus, cumque parum contenti sumus iis, quibus frui securis conceditur. Recte igitur Aristoteles metum et miserationem dixit proprias tragoediae perturbationes esse, quibus purgandis finem suum adipisceretur. Metum autem dixit eum, quo moveremur mala aliorum contemplantis, quum nobis et ipsis accidere posse, quod cuivis potuisset, reputarem, itemque miserationem societatem doloris vel aegritudinis, qua alii laborarent. At idem Aristoteles omnia ex contrariis patere et cum iis necessario coniuncta esse affirmavit: unde intelligitur non posse aut laetitiam, quae ex aegritudine erumpat, aut cupidinem, quae metum subsequatur, a tragoedia abesse vel alienam esse. Quodsi virtutem nunquam victricem, mala nunquam bonis compensari videremus, et de virtutis vi et de deorum iustitia desperarem, in foeditatem abiret sublimitas tragicorum, et probandum esset quod comici docere videntur, studium virtutis et deorum reverentiam explodentes. Unde laetam rerum explicationem non minus, quam miseram, tragoedia dignam esse intelligitur. Eadem autem lege, qua suum cuique rei contrarium tribuendum est, strenuis hominibus ignavi opponendi, sollertibus socordes, probis flagitiosi, verecundis impudici, qui non possunt interdum non etiam ridiculi turpesque videri. Unde factum est, ut et latrones et satyros et alia eius generis monstra tragoedia admitteret, ne-

que obscoenis ridiculisque rebus plane abstineret, teste Ovidio Trist. II, 409:

„*Est et in obscoenos deflexa tragoedia risus
Multaque praeteriti verba pudoris habet;
Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem,
Infregisse suis fortia facta modis.*”

Tragoediam dixit, non drama satyricum, et exemplum posuit Scyrias Euripidis satyris monstrisque carentes. Eodemque vocabulo Horatius usus est quo loco cavendum esse dixit, ne, quum risum tragoedia quaereret, in comoediam degeneraret, Art. poet. 231:

„*Effutire leves indigna tragoedia versus.*”

Satyrica dramata ea potuerunt sola, quibus satyri inerant, appellari, quorum inducendorum quum rara esset potestas, et tamen in postremis singulorum didascaliorum dramatis iocus, quo recrearetur theatrum, tentandus esset, necesse fuit multas tragoedias, carentes satyris, ex severis ridiculisque misceri commode ac temperari. Alcestidis dramatis hanc fuisse opportunitatem, ut postremum in tetralogia a miseratione metuque ad hilaritatem spectatores traduceret, certo veteris cuiusdam grammatici testimonio constat. Eodem autem codicis loco, quo illa scripta sunt, Orestis fabulam in eodem atque Alcestidis genere poni a veteribus criticis solitam esse docemur: *παρὰ τοῖς τραγικοῖς ἐκβάλλεται, ὡς ἀνοίκεια τῆς τραγικῆς ποιήσεως, ὃ τε Ὅρέστης καὶ ἡ Ἀλκῆστις, ὡς ἐκ συμφορᾶς μὲν ἀρχόμενα, εἰς εὐδαιμονίαν δὲ καὶ χαρὰν λήξαντα· ἔστι μᾶλλον κωμωδίας ἐχόμενα.* Tertium drama Tzetzes in Cramerii Anecd. II. p. 7. Electram accenset Sophoclis: *ἴδιον δὲ κωμωδίας μὲν τὸ μεμιγμένον ἔχειν τοῖς σκώμμασι γέλωτα, τραγωδίας δὲ πένθη καὶ συμφορᾶς, σατυρικῆς δὲ οὐ τὸ ἀπὸ πένθους εἰς χαρὰν ἀπαντᾶν, ὡς ὁ Εὐριπίδου Ὅρέστης καὶ Ἀλκῆστις καὶ ἡ Σοφοκλέους Ἠλέκτρα, ἐκ μέρους (ὡς περὶ τινὲς φασιν), ἀλλ' ἀμιγῆ καὶ χαρίεντα καὶ θυμελικὸν ἔχει γέλωτα.* Haec seniorum grammaticorum iudicia ut recte aestimemus, tenendum est, quod de se ipse Tzetzes profitetur, illos de natura dramatum satyricorum non experientia doctos iudicare, sed quae fando accepissent referre. Et mirandum esset, quod, quum

tragoediarum, quae laetam habent rerum explicationem, magnus sit numerus, in duabus vel tribus earum notandis plures grammatici conspirarent, nisi hanc ipsam conspirationem pro testimonio sumere liceret, tradi ab illis non quae ipsi iudicarent, sed quae tradita a prioribus accepissent. Excipio Electram Sophoclis, quam proprio arbitrio adiecisse Tzetzes videtur; sed Orestem et Alcestidem numero severarum tragoediarum ab antiquioribus grammaticis exemptas esse aperte scholion, quod supra transcripsimus, testatur, additque causam: τὸ δὲ δράμα κωμικώτερον ἔχει κατασκευήν, et τὸ δὲ δράμά ἐστι σατυρικώτερον. Docta est Orestis fabula una cum Phoenissarum: id enim ex scholio ad v. illius 1481. scripto coniiicio: ἐν τῷ τρίτῳ δράματι οὗτός φησιν ἐν τῷ χορῷ τῷ „Κάδμος ἔμολε.” Hic chorus Phoenissis inest, quas fuisse tertium eiusdem didascaliae, cuius Orestes fuisset, drama satis aperte his scholiastae verbis declaratur. Atqui eidem didascaliae praeter Orestem etiam Hypsipyle et Antiope infuerunt: quorum dramatum quum ridiculis neutrum dedisse locum videatur, relinquitur, ut Orestis fabulae eam opportunitatem fuisse decernamus: quo facto haec non minus, quam Alcestidis, ab imperitorum criminationibus vindicatur. Ipsorum enim veterum quidam sermonem, quem cum servo Phryge confert Orestes, ut tragoedia parum dignum notarunt*). Canticum vero, quod eidem servo Euripides attribuit agendum, a more ipsius abhorrere visum est**). Contra alii risum de industria quaesitum esse humilia magnis componendo, idque etiam numeris carminis illius et genere modulorum indicari (ἀρομάτειον enim μέλος esse servus ipse profitetur), vere recteque monuerunt***). Accedit, quod ne eorum quidem, quae Helena et Menelaus agunt, quicquam cothurno satis dignum esse videtur: quo-

*) Schol. v. 1505: ἀνάξια τῆς τραγωδίας καὶ τῆς τοῦ Ὀρέστου συμφορᾶς τὰ λεγόμενα.

***) Schol. v. 1355: ἐντεῦθεν, φασίν, ἐξέστη τοῦ ἰδίου ἔθους ὁ Εὐριπίδης, ἀνοίκεια ἑαυτῷ λέγων.

****) τινὲς δὲ τοῦτο παρεπίγραφον εἶναι φασιν εἰς τὰ κωμικὰ δράματα.

rum illa quidem tum venustatem putide affectat tum sordide, Oreste capitis damnato, res eius intus omnes obsignat (1101.); hic autem turpiter leoninam pellem cum vulpina commutat; ambo denique, barbarorum corrupti mollitie, luxuriam pro severa Spartanorum disciplina adsciverunt. Horum autem turpitude cum Orestis Electraeque dignitate composita magis elucet. Incolumi enim sua gravitate sermonem cum Phryge conserit Orestes, ubi hominis effeminati metuque fracti ignavia cum robusti animi constantia collata efficitur id, quod satyricorum dramatum proprium est, ut levibus cum gravibus comparatis altera alteris illustrentur. Neque enim verum est quod Tzetzes dixit, meram hilaritatem et leporem hoc genus fabularum quaerere: nam Ulyssis calamitate, in Cyclopi potestatem devenientis et sodales suos iugulari devorarique videntis, quid potest esse miserius? Verius est, laeta tristibus misceri et ab infelici rerum statu ad felicem exitum procedendo relaxari animos et a severitate ad hilaritatem risumque traduci.

Nihil indignum tragoedia est quod dignum sit epopeia: atqui Odysseae insunt et Cyclopi et Protei et Circae fabulae, quae in satyricorum dramatum argumenta abierunt; idem Homerus illa de Vulcano et Venere narrans ne risu quidem obscoeno abstinuit. In Iliade tamen praeter Thersitae et Vulcani personas pauca eius generis reperias: quam utriusque carminis diversitatem docte descripsisse Longinus videtur, cuius verba operae est transcribere. Quum igitur duo sublimitatis exempla proposuisset, quorum altero numinum divinorum praestantia, altero humanae virtutis magnificentia ostenderetur (ingressum enim Neptuni Iliad. XIII, 18 seqq. et preces Aiacis ex II. XVII, 645. in medium profert, harum magnificentiam in eo cerni dicens, quod non, ut viveret, precaretur heros, sed quod, quum in tenebris locus non esset virtutis usurpandae, indignans sibi in pugna cessandum esse, lucem optaret, quasi dignum virtutis adepturus monumentum, etiamsi Iuppiter obsisteret), perguit sic: „At enim Homerus ibi quasi secundo vento in certamina defertur, ut ipsi ei usu veniat illud:

μαίνεται, ὡς ὄτ' Ἄρης ἐγγέσπαλος ἢ ὀλοὸν πῦρ
 οὔρεσι μαίνεται βαθέης ἐνὶ τάρφεσιν ὕλης·
 ἀφλοισμὸς δὲ περὶ στόμα γίγνεται κ. τ. λ.

Ostendit autem nihilominus idem in *Odyssea*, languescente magno ingenio, proprium senectuti esse fabellarum amorem. Manifestum enim est ex multis etiam aliis rebus, posterius hoc ab eo argumentum compositum esse; idem tamen, quod reliquias laborum *Iliacorum*, quasi quaedam *Troici* belli episodica, ingessit poeta, et hercle lamenta ac luctum ibidem, quasi pridem decretum heroibus honorem, persolvit, revera *Iliadis* peroratio est:

ἔνθα μὲν Ἄϊας κεῖται ἀργήϊος, ἔνθα δ' Ἀχιλλεύς,
 ἔνθα δὲ Πάτροκλος, θεόφιν μῆστῳ ἀτάλαντος,
 ἔνθα δ' ἐμὸς φίλος νείος.

Eam autem, puto, ob causam *Iliadis* quidem, quam in vigore afflatus divini scribebat, universum corpus actuosum atque contentiosum concepit, *Odysseae* contra maiorem partem in narrando occupatam, id quod proprium est senectutis. In *Odyssea* igitur occidenti *Homerum* soli compares, cuius citra vehementiam maneat magnitudo. Non enim amplius *Iliacis* illis carminibus parem servat sonum neque aequatam sublimitatem, nunquam residentem, neque flumen simile continuorum affectuum, neque acumen et prudentiam cum imaginum ex veritate expressarum frequentia; sed, quasi resorbente se oceano ac propria spatia deserente, reliquias quasdam ostendit magnitudinis, recedenti aestui similes, etiam in fabulosis parumque veri similibus erroribus. Ceterum haec dicens non sum oblitus tempestatum neque *Cyclopi* neque aliarum quarundam rerum: senectutem dico, at senectutem *Homeri*. Verum in his omnibus strenua fabulosis superantur. Digressus autem in haec sum ea causa, ut ostenderem, in nugis facillime magnifica, quum deficerent, degenerare, velut illa de culeo, et illi qui pro suillo grege a *Circe* pascuntur, quos porcos lacrimantes *Zoilus* appellavit, et *Iuppiter* ille infans a columbis nutritus, et in naufragio decem diebus cibo carens *Ulysses*, denique procorum caedis illa incredibilia: quae quid aliud haec esse dicamus quam revera *Iovis* somnia? Est etiam alia causa, cur haec

commemorem, ut intelligatur, defectum concitatorum in magnis scriptoribus poetisque in moralia solvi (ὡς ἡ ἀπακμὴ τοῦ πάθους ἐν τοῖς μεγάλοις συγγραφεῦσι καὶ ποιηταῖς εἰς ἡθὺς ἐκλύεται). Talia enim sunt illa de Ulyssis familia moraliter vitam imitantia, quasi comoedia quaedam morata.”

Duplex genus tragoediae, huic duplici epopoeiae generi aequale, posuit Aristoteles (poet. 24, 1.), alterum patheticum sive plenum affectus, vehemens et incitatum, alterum ethicum, id est mitius et moratum, appellans: quorum hoc ad comoediam, quae recentior appellatur, propius accedere, duce Longino, discernendum erit. Et fuerunt quaedam Euripidis tragoediae, velut Danae, quae, si deorum regumque detraxeris personas, a Menandri sive Terentii comoediis non multum videbuntur differre. Diversitatem generis utriusque quo melius perspicias, cognoscenda sunt quae de vi nominum πάθος et ἡθὺς Quintilianus VI, 2, 8 seqq. explicavit, quorum pauca transcribamus: „Affectuum duae sunt species; alteram Graeci πάθος vocant, alteram ἡθὺς*); illos concitados, hos mites atque compositos esse dixerunt; in altero vehementer commotos, in altero lenes; illos ad perturbationem, hos ad benevolentiam praevalere. Ἡθὺς ante omnia bonitate commendatur, non solum mite ac placidum, sed plerumque blandum et humanum et audientibus amabile atque iucundum. Quod est sine dubio inter coniunctas maxime personas, quoties ferimus, ignoscimus, satisfacimus, monemus, procul ab ira, procul ab odio. Diversum est huic quod πάθος dicitur: illud comoediae, hoc tragoediae simile. Quae pars circa iram, odium, metum, invidiam, miserationem fere tota versatur.”

Alteram idem Aristoteles posuit distinctionem generis simplicis atque duplicis sive continui atque implicati (cf. T. I. p. 56.). Duplex argumentum id vocatur, quod habet inopinatam rerum commutationem, sim-

*) Πάθος Leidenschaft, ἡθὺς Gemüth esse recte dixeris. Carent Latini nomine, quo vocis ἡθὺς vim reddant; πάθος autem affectum proprie vocant.

plex vero id, quod, quo tendere ab initio coepit, perpetuo procedit, velut cum liberos Medea et aemulam interficiens perficit id, quod futurum esse pridem praevideramus, vel quum in mutuam caedem Eteoclis et Polynicis odium evadit, vel quum mala ex ira Achillis necessario nascentia exponuntur: quo eventu quomodo afficiamur, egregie expressit Schillerus:

Sagt mir! Ich kann's nicht fassen noch deuten,
 Wie es so schnell sich erfüllend genaht.
 Längst zwar sah ich im Geiste mit weiten
 Schritten das Schreckensgespenst herschreiten
 Dieser entsetzlichen blutigen That;
 Dennoch übergiefst mich ein Grauen,
 Da sie vorhanden ist und geschehen,
 Da ich erfüllt muß vor Augen schauen,
 Was ich in ahnender Furcht nur gesehen:
 All' mein Blut in den Adern erstarrt
 Vor der gräßlich entschiedenen Gegenwart.

Simplex igitur genus idem plerumque patheticum esse intelligitur. Sed cadunt etiam in errorum subitam cognitionem tum affectus vehementiores tum calamitosi eventus, cuius generis et Oedipi fabula et Schilleri sponsa Messania sunt. Inopinati autem illi eventus, quibus duplex illud genus constituitur, partim ex animorum erroribus partim ex externis caussis proficiscuntur. Insunt igitur ei aut agnitiones (*ἀναγνωρισμοί*) aut rerum conversiones (*περιπέτεια*). Partes enim explicationis argumentorum sive *καταστροφῆς* et peripetia est et agnitio, sed non ipsa *καταστροφή*. Neutra autem, quamvis sit inopinata, non praeparata accidere debet, „sed ex structura argumenti atque iis, quae praecesserunt, aut necessario aut verisimiliter evenire: differt enim multum, utrum haec propter haec an post haec fiant.” Aristot. Poet. 11, 3. Merito igitur, quum sint tanti agnitiones ad struenda commode argumenta momenti, multum operae diligentiaeque Aristoteles rationibus earum describendis impendit: cuius expositionem videas c. 11. et 16. Optimas autem agnitiones eas dicit esse, quae et ex innatis signis fiant et cum peripetia sint coniunctae, cuius generis Ulyssis sit lavatio; utras-

que autem sic probat, si rebus ante actis necessario adducantur, velut necesse fuerit epistolam mandatis addi ab Iphigenia, necesse pastorem, qui infantem exposuisset, ab Oedipode arcessiri.

Duplex genus idem plerumque moratum est eadem de causa, qua simplex patheticum (Aristot. c. 24, 2.), idemque ad laetum plerumque exitum procedit, quemadmodum ad miserum simplex. Multa cuiusque generis exempla, partim pura partim mixta, in numero tragoediarum, quas Euripides composuit, invenias, ut mireris copiam ingenii felicissimam, qua Aristotelis voluntati plane satisfecit, qui, „Debent,” inquit, „poetae maxime quidem omnia genera tentare, sin minus, gravissima et plurima, aliter atque nunc criminose de poetis iudicant qui, quum in singulis generibus singuli praestiterint, volunt singula a singulis tanquam propria consummari. Decet autem tragoediam, cum sit una, eandem diversam esse dicere non argumento solo, id est implicatione et solutione. Multi autem, cum bene implicent, male solvunt; decet autem utrumque cum plausu semper bonum excipi” (c. 18, 2 et 3.).

Orestis et Phoenissarum dramatum causa haec disputavi: quae inter se, quum docerentur, connexa fuisse supra ostendi; restat igitur, ut quonam tempore commissa sint, quaeramus. Brevi tempore antequam Aristophanis exhiberentur Ranae (id quod factum esse constat Ol. 93, 4.), commissas esse fabulas Hypsipyles, Phoenissarum atque Antiopes memoriae proditum est scholiis ad Ran. v. 53. scriptis: *διὰ τί μή τι ἄλλο τῶν πρὸ ὀλίγου διδασχθέντων καὶ καλῶν, Ψιπύλης, Φοινισσῶν, Ἀντιόπης; Ἐπειδὴ οὐ συγκοφαντέα ἦν τὰ τοιαῦτα.* Fuisse easdem inter se connexas, quanquam non traditur, tamen tum ex aliis quibusdam signis, quae postea indicaturus sum, tum ex materia conicere licet: ad Thebanas enim antiquitates omnes pertinent. Omisit scholiasta, cuius verba transcripsimus, Orestis drama nominare, scilicet minus illud grande ac sublime habens, minus dignum, quod pulcris (τοῖς καλοῖς) accenseretur, magisque malignitati comici opportunum, quod tamen eiusdem tetralogiae fuisse allato testimonio supra docuimus. Hoc autem drama sub

archonte Diocle Ol. 92, 4. commissum esse constat: schol. Orest. v. 361: *πρὸ γὰρ Διοκλέους, ἐφ' οὗ τὸν Ὀρέστην ἐδίδαξε.*

Eo igitur tempore docta haec est tetralogia, quo ex gravissimis calamitatibus servata respublica tantam ex successu spem conceperat devincendi hostes, ut pacem eos ultro petentes repudiaret. Vix enim ullo alio temporis spatio aut maiora adierat civitas Atheniensium discrimina aut graviolem passa fortunae erat vicissitudinem, quam Olympiade illa nonagesima secunda. Amissa enim classe cum exercitu, non tantum id consecutum erat, quod consecuturum esse omnes praeviderant, ut sociorum pars maxima ad Lacedaemonios descisceret, sed novus etiam hostis exorti Persae opibus suis Spartanorum vires adauxerunt. Denique classe apud Eretriam victa atque Euboea non minore cum detrimento, quam Siciliensis clades intulerat, amissa, per solam hostium socordiam steterat, quominus Athenae ipsae opprimerentur. Inter haec maius malum existens discordia domestica in praeceps dabat rempublicam, optimatibus quidem, subacto populo urbano, formam civitatis immutantibus, exercitu autem ad ipsam patriam expugnandam restituendumque pristinum reipublicae statum proficisci volente. Ex tantis igitur tempestatum fluctibus nuper emergerat civitas. Nam et domestica mala aequissimis remediis sanata erant et foris ad tantam desperationem hostes adacti, quantam significat Laconica illa epistola: *ἔρῃει τὰ καλὰ, Μίνδαρος ἀπεσσοῦα, πεινῶντι τῶνδρες, ἀπορόμες, τί χρὴ δρᾶν.*

Horum autem omnium, quaecumque per illud tempus vel bona Atheniensibus vel mala acciderant, auctor et causa esse Alcibiades videbatur et iniuste patria eiectus et omnibus rationibus reditum quaerens. Primum enim Siciliensis expeditio, cuius ut auctor suscipiendae ita ducendae solus peritus fuerat, illo ab imperio remoto, eventum habuit infelicissimum. Tum ad Lacedaemonios profectus non solum his, ut bellum renovarent, persuasit Deceliaeque in Attica auctor fuit muniendae, sed Ioniae quoque civitates ut ab Atheniensibus ad Lacedaemonios se conferrent, operam dedit, postremo novum illis hostem effecit regem Per-

sarum. Idem, postquam ad Tissaphernem se contulit, ne classis Phoenicia Peloponnesiis auxilio veniret neve stipendium classiariis plenum solveretur, prohibuit. Etiam domestici dissidii et reipublicae tum optimatibus tradendae tum populo restituendae idem fuit effector. Denique summae victoriae huius maxime opera reportatae erant. Haec autem omnia fecit partim regnandi cupiditate partim patriae desiderio commotus. Nam quum in patriam se restitui vehementissime cuperet, tum aliter, quam aut victa aut triumphante per se patria, redire volebat.

Simillimam esse Polynicis atque Alcibiadis causam facile intelligitur. Argos habitatum hic quoque concesserat (Plutarch. vit. Alc. c. 23.), pridem Argivorum amicitia usus, ex sua autem civitate iniuste eiectus. Societate cum hostibus iuncta ingens patriae bellum uterque conflavit, nec minore vel regnandi cupiditate vel reditus desiderio Polynices, quam Alcibiades, impulsus ad interitum cives adducere fingitur. Accedit, quod eorum, quae ab illo dicuntur, quaedam cum Alcibiadis vel verbis vel factis ita congruunt, ut fuerint, quibus huic magis quam illi convenire viderentur*), velut haecce:

— — — — — ἀναγκαίως ἔχει
πατριδος ἐρᾶν ἅπαντας· ὅς δ' ἄλλως λέγει
λόγοισι χαιρει, τὸν δὲ νοῦν ἐκεῖσ' ἔχει.

Exsulum mala idem, quae omnium dicit maxima esse, recensens haec inter alia nominat, quod careant ingenuitate, quod servire potentibus eorumque tum stupiditatem tum perversitatem ferre iis necesse sit. Quae audientes non possumus non recordari eorum, quae Alcibiades, ab exercitu restitutus, fertur coram militibus dixisse, cum exsiliū acerbitatem deploraret (Thuc. VIII, 81: τὴν ἰδίαν ξυμφορὰν τῆς φυγῆς ἐπητιάσατο καὶ ἀνωλοφύρατο). Neque omisit scriptor, quorsum haec omnia valerent, ipse significare: etenim Tiresias ille, qui materiem causamque malorum e civitate egerendo, qua ratione salus et victoria parari possit, edocet, idem modo ab Atheniensibus arcessitus hanc

*) Cf. Zirndorferum in chronol. fab. Eurip. p. 82. et Hermannum huic aures praebentem in praefat. edit. Phoen. p. 15.

civitatem victricem reddidit (οὐ καλλινίκους Κεκροπίδας ἔθηκ' ἐγώ, v. 855.). Quamnam autem Euripides materiam malorum reipublicae Atheniensium inesse diceret, quamnam civium partem sic, ut Oedipodas, removendam esse censeret, Orestis fabula declaravit.

Res per illa tempora gestas in universum aestimantibus in duabus potissimum rebus studia hominum conspirasse apparet, primum quod externum auxilium, exhaustis suis viribus, et Lacedaemonii et Athenienses circumspiciebant, deinde quod apud hos coercendam esse populi sive potentiam sive licentiam prudentissimi quique intelligebant. Persarum autem amicitiam utrisque sequentibus, Spartani quidem, quamvis tergiversante Tissapherne, fere continuo ea utebantur, Athenienses autem, Alcibiade conciliante, eam frustra captabant. Respublica vero quum spe salutis certius adipiscendae optimatibus commissa esset, mox, his ad patriae prodicionem inclinantibus, rursus ad popularem potestatem, sed melioribus, quam fuerat antea, legibus temperatam, revocata est. Insunt autem et in Oreste et in Phoenissis quaedam, quae ad illas quas diximus contentiones sic respiciant, ut magis possint temporibus tributa, quam argumentis fabularum necessaria esse videri. Cuius statim generis est chorus virginum Phoenissarum, cuius inducendi causam priusquam ostendamus, antea videndum est, unde terrarum et quonam itinere Thebas se illae virgines pervenisse dicant, quandoquidem ea, quae plerisque probatur, interpretandi ratio multa habet inconcinna. Primum enim Ionium mare in orientali volunt pro occidentali Graeciae parte ab Euripide collocari, quod quum vanum esse intelligeret Hermannus, ipse partem eam, quae a Gaza ad Aegyptum porrigeretur, significari putavit, quam ne attingere quidem possunt naves a Tyro in Graeciam tendentes. Sed fac vel totum illud mare vel partem eius Ionium appellari potuisse, Zephyrusne a Sicilia flabat iis, qui longissimo maris terrarumque intervallo ab ea insula separabantur? Huic rationi sic illi occurrunt, ut abusum esse dicant poetam epitheto otioso. Hoc quoque si concedamus, certe contra consuetudinem perinde ac naturam est pulcerrimum vel iucundissimum

appellari (κάλλιστον κελάδημα) ventum navigantibus adversum, quo obstante cursum tenere adeo non potuerint, ut in loca alienissima deferrentur. His perpensis aut fatendum erit obscurata esse verba ab Euripide, quasi de industria copulatis rebus repugnantibus, aut relinquenda sua cuique vocabulo vis et simpliciter interpretandum, a Poenorum terra illas solvisse et Siciliam praetervectas per Ionium mare secundo vento Favonio in Graeciam atque Thebas delatas esse. Poeni autem Graeco sermone Φοίνικες sunt et terra eorum Φοίνισσα*); iidem nomine ab auctoribus gentis ducto Τύριοι appellari potuerunt et Τύριον οἶδμα mare Carthagini vicinum. Quae urbs ut in insula sita putaretur, nisi forte νῆσος paeninsulam significat, vulgari errore factum videtur. Ex Ionio autem mari per sinum Crissaeum, puto, vectae virgines non protenus Delphos se contulerant, prius Thebanum populum consanguineum adire iussae, ut per huius civitatis legatos deo traditae atque commendatae non peregrinae vel barbarae esse, sed propinquae atque cognatae viderentur.

Poenos fabulae immiscendi quatenus causa fuerit, poteris ex Xenophonte colligere, qui, expositis rebus per illa tempora gestis, haecce subdit: καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν, ἐν ᾧ Καρχηδόνιοι Ἀννίβα ἡγουμένου στρατεύσαντες ἐπὶ Σικελίαν δέκα μυριάσι στρατιᾶς αἰροῦσιν ἐν τρισὶ μῆσιν δύο πόλεις Ἑλληνίδας, Σελινούντα καὶ Ἰμέραν. Vide Diodorum Sic. de iisdem rebus uberius exponentem XIII, 43 — 44. et 54 — 62. Atheniensibus in Sicilia ad interneccionem redactis, successerant Poeni, et ipsi ab Segestanis contra Selinuntios arcessiti, iique conata, ex quibus illi exciderant, meliore successu perfecerant. Communes igitur Poeni cum Atheniensibus hostes habebant Syracusanos, quorum erat classis apud Peloponnesios. Praeterea illa gens, opibus classibusque pollens, foedere cum Atheniensibus iuncto, commoda et praestare et accipere poterat, neque horum commodis officiebant, ipsi intra Siciliam Hispaniamque imperantes, Atheniensibus Aegaeum mare

*) Cf. Eurip. Troad. 222: καὶ τὰν Αἰτιαίαν Ἡφαίστου Φοίνικας ἀντήρη χάραν.

tenentibus. Horum igitur amicitiam ut quaerent, admo-
nuisse cives noster videtur introducendo virgines Punicas,
quas fingit primitias victoriae ex civitate sua delectas*)
Delphos ad communem Graecorum Poenorumque deum
colendum, communia sacra administranda proficisci. Hoc
significant illa:

κοινὰ γὰρ φίλων ἄγῃ,
κοινὰ δ', εἴ τι πείσεται.
ἑπτάπυργος ἄδε γὰ,
Φοινίσσα χώρα, φεῦ φεῦ.
κοινὸν αἶμα, κοινὰ τέκεια
τᾶς κεραιφόρου πέφυκεν Ἰοῦς,
ὦν μέτεστί μοι πόνων.

Nil refert, quod non Athenienses, sed Thebani cum Poe-
nis cognati esse ferebantur. Poenorum autem amicitiam
Athenienses iam in Sicilia bellantes quaesiverant; illo au-
tem tempore, quo ea, quae commemoravi, gerebantur, in
Persarum classe ab hostibus ad se transferenda spem po-
nentes eludebantur. Quorum de auxilio quid senserit Eu-
ripides, declaravit in Oreste, ubi Phrygibus illis mollissi-
mis, ignavissimis, perfidissimis Persas significari haud
difficile est intellectu**). Plena leporis est Phrygis in
fugiendo fortissimi narratio et eiusdem cum Oreste col-

*) Recte Hermannus in praefat. editionis Phoen. p. XIII. „etsi
saepenumero,” inquit, „ἀκροθίνια primitiae spoliolorum et
praedae dicuntur, tamen nec propria haec est huius vocabuli
significatio et multis exemplis constat quasvis primitias et
quidquid in aliquo numero praestantissimum sit eo nomine
appellari. Itaque quum chorus se δορὸς ἀκροθίνιον vocat,
id, licet ambigue dictum sit, sic accipiendum est, ut Age-
noridae ex suae urbis (Tyri) virginibus formosissi-
mas propter reportatam aliquam victoriam de hoste, quem
non nominavit poeta, Apollini donum mittere decreverint.”

***) Vidit hoc Musgravius, qui ad v. 1369. haecce scripsit: „Mi-
nime dubitandum est, quin poeta sub persona Phrygis totam
Persarum gentem, communem Graeciae hostem, civibus
suis deridendum propinare voluerit. Nam sic alibi Persa-
rum habitus et instituta Phrygibus tribuit: Androm. 174.
Cycl. 182.”

locutio, in qua cum alia tum haec Barbarorum probra commemorantur:

Φρυγίοις ἔτυχον Φρυγίοισι νόμοις
παρὰ βόστρυχον αὐραν αὐραν
Ἑλένας Ἑλένας εὐπᾶγι κύκλω
περίνω πρὸ παρηίδος ἄσσω
βαρβάροις νόμοισιν.

τότε δὴ τότε διαπρεπεῖς
ἐγένοντο Φρύγες, ὅσον Ἄρως ἀλλὰν
ἦσσαντες Ἑλλάδος ἐγενόμεθ' ἀλχμᾶς.

προσκυνῶ σ', ἀναξ, νόμοισι βαρβάροισι προσπιτυῶν,
et iam antea versu 1114. dictum est:

τίνας; Φρυγῶν γὰρ οὐδέν' ἄν τρέσαιμ' ἐγώ.

Sed non Persis solis, verum etiam Spartanis, qui cum his foederati erant, in Orestis fabula maledici intelligimus. Menelaum enim illum, qui

βεβαρβάρωται, χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις, intuentes, nonne exemplar ducum Lacedaemoniorum, velut Pausaniae alicuius aut Lysandri, coram conspicerere nobis videmur? Pridem enim, antequam hic vulpinam pellem assuendam esse ea parte, qua leonina non pertineret, palam dixit, idem et senserant et fecerant Chalcideus, Theramenes, Astyochus, Mindarus aliique, quidvis patientes, cuiusvis deservientes, dum, quod vellent, consequerentur, ac turpissimis foederum legibus Graeciam barbaris emancipantes. Lacedaemoniorum igitur ingenia Menelai persona subdola ac fraudulenta imitatur, id quod veteres iam interpretes observarunt*); etenim aperte Euripides ipse declaravit in Andromachae v. 445 seqq.

Exhibuit denique Euripides etiam universum Peloponnesiorum foederatorum exercitum in fabula Hypsipylae, et quidem bellum iniustum impiumque gerentem, quum

*) Schol. ad v. 361: ἵπουλα πάντα τὰ ἔθηματα Μεγέλαου, ἀφ' ὧν ὁ ποιητὴς τὸ ἄστατον τῆς Λακεδαιμονίων γνώμης κωμωδεῖ, ὡς καὶ ἐν Ἀνδρομάχῃ. „ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἐχθιστοὶ βροτοὶ Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια κτλ.”

iuvenem patriae suae arma inferentem, nulla iniuria ipse lacessitus, adiuuaret et propter hanc ipsam impietatem perniciem a diis destinaretur, id quod Amphiarai vaticinatione praedicebatur. Adrastus autem ille universi exercitus dux atque imperator, privatis commodis non minus quam Menelaus studens, bellum suscepit ipsi perniciosum: solus enim cum dedecore summaque omniū, quorum cognati interierint, indignatione domum reversurus est:

ἔρξει δὲ δὴ τις· ὦ κακὰ μνηστεύματα,
 Ἄδραστε, προσθείς· διὰ μιᾶς νύμφης γάμον
 ἀπωλόμεσθα! (Phoen. 580.).

Quam autem idem Adrastus cum Polynice inuit affinitatem societatemque, eam similem esse ei amicitiae, quam Alcibiades cum Spartanorum quibusdam principibus, velut Endio ephoro, iunxerat, facile est intellectu.

In Orestis fabula plebis voluntas ostenditur vaga inconstansque, tota pendens a ducibus factionum, quibus, quocumque volunt, multitudinem impellentibus, coeco studio probat damnatve, prout illi vel suadent vel dissuadent:

δεινὸν οἱ πολλοί, κακούργους ὅταν ἔχωσι προστάτας·
 „ἀλλ’ ὅταν χρηστοὺς λάβωσι, χρηστὰ βουλευσάμενοι
 ἄν” (v. 761.).

Describitur populi concio, in qua verba faciunt cives supposititii, improbi, perniciosi:

Ἄργεῖος οὐκ Ἄργεῖος, ἠναγκασμένος,
 δορυβῶ τε πύρρονος κάμαθῆι παρόρησι,
 πύθανος ἔτ’ αὐτοὺς περιβαλεῖν κακῶ τιμι.

Qua opportunitate oblata monentur a poeta populares, ut eos adsumant duces iisque rempublicam sanandam permittant, qui non voluptatem spectent, sed utilitatem:

ὅταν γὰρ ἠδύς τις λόγοις φρονῶν κακῶς
 πείθῃ τὸ πλῆθος, τῇ πόλει κακὸν μέγα·
 ὅσοι δὲ σὺν νῶ χρηστὰ βουλευούσ’ ἀεί,
 κἂν μὴ παραντίκ’, αὐθὶς εἰσι χρήσιμοι
 πόλει· θεᾶσθαι δ’ ὧδε*) χορὴ τὸν προστάτην

*) ὧδε ad ἰδόντα referendum est; ὧδε ἰδεῖν autem idem valet quod πρὸς τὰδε ἰδεῖν, et θεᾶσθαι idem quod σκοπεῖν. Verte igitur: ad haec respiciens debes ducem iu-

ἰδόνθ'· ὁμοιον γὰρ τὸ χροῖμα γίνεται
τῷ τοὺς λόγους λέγοντι τῷ τ' ἰωμένῳ*).

Surgit deinde ad dicendum homo antiquus, in agris colendis plurimum temporis occupatus neque multum versans inter oppidanos, simplex, innocens, severus, patronus castitatis, castigator libidinis. Cuius oratio quamvis probetur bonis, tamen non movet multitudinem pessimo cuique obnoxiam. Ceterum non est negligendum, quod ille non plebeius tantum, sed etiam pauper atque ἀντουρογὸς esse fingitur, quodque hoc genus hominum praedicatur robor esse et columen patriae (οἴπερ καὶ μόνοι σώζονσι γῆν). Hanc igitur civium partem a republica administranda arceri et solis eam optimatibus committi volebat Euripides. Idem, quodnam esset utriusque generis in tuenda patria munus atque officium, in Antiope docuit, de qua re infra expositurus sum.

In pernicioso autem illo multitudinis duce, quem supra designavi, veteres interpretes notari Cleophontem aiunt, Thracia oriundum, qui et Alcibiadis expellendi auctor fuerat, teste Himerio in declamationibus**), et duobus annis ante quam fabula haec doceretur, Lacedaemoniis pacem ultro petentibus, ne bellum componeretur, obstiterat (vide schol. ad v. 760. et 891.). At in tanta improborum copia non erat quod ad unum se applicaret poeta, praesertim tragicus. Ceterum pacis studium in hac quoque fabula declaravit. Helena enim illa, belli caussa patriaeque pestis, formae pulcritudine animos mortalium obcoecans et quasi magicis artibus gladios retundens, deorum consilio ad hanc ipsam rem nata fuisse fingitur, ut viribus rebusque secundis luxuriantes populi mutuis caedibus se ipsi conficerent, certantes de nequissima femina, quae, postquam recuperata est, ut vana species evanescit. Hanc dum sublimem aufert Apollo, pacem sperat pro illa redituram esse, haecce dicens:

dicare, i. e. haec in iudicando duce spectari oportet.

*) Corruptelam vulgatae vestigiis insistens scholiorum sustuli.

**) Vide Musgravium ad v. 902.

ἴτε νῦν καθ' ὁδόν, τὴν καλλίστην
 θεῶν Εἰρήνην τιμῶντες*)· ἐγὼ δ'
 Ἑλένην Ζηνὸς μελάθροισι πελάσω κτλ.

Dramatum concertatione quisnam vicerit et quosnam Euripides aemulos habuerit, non est proditum memoriae. Primum locum Euripidem tenuisse crediderim ideo, quod summis laudibus statim, postquam cum vulgo communicatae sunt, hae fabulae celebrabantur. Nam scholiastes Aristophanis, cuius verba supra attuli, quum quaesivisset, cur comicus Andromachen, octo annis ante editam, ridens Hypsipylum, Phoenissas atque Antiopam omisisset, causam omittendi profert hanc, quod praestantiores eae fabulae fuerint, quam quibus maledicere vel Aristophanes potuerit. Orestem vero Strattis comicus, qui eadem, qua Aristophanes, ratione Euripidis in ridiculum vertere tragoedias solebat, scite compositum esse (δεξιότατον) versibus quibusdam, qui servantur, pronuntiavit.

Ultimam hanc tetralogiam ab Euripide ipso vivo atque praesente in certamen commissam esse apparet. Paullo enim post in Macedoniam concessit, ubi, cum Archelai fabulam, regi illius terrae gratificans, cum aliis quibusdam tragoediis composuisset, diem obiit supremum.

A. A n t i o p a.

Euripidis Antiopam Latinam fecerat, ad verbum de Graeca expressam, Pacuvius**). Argumentum fabulae ab Hygino c. 8., ab Apollodoro III, 5, 5., a scholiasta Apol-

*) Schol. ad hunc versum haecce scripsit: τοῦτό φησιν, ἐπεὶ ἐπὶ τὰ Πελοποννησιακὰ ἐνόσει ἡ Ἑλλάς· προσβεβυσσάμενων δὲ τῶν Ἀθηναίων οὐ προσήμαντο τὰς σπονδάς.

**) Cic. Fin. I, 2, 4. In Hygini verbis (c. 8.): eadem Euripidis, quam scribit Ennius, Ennii nomen pro Pacuvii errore sive auctoris sive scribarum inculcatum est. Vide Welckerum p. 812.

lonii IV, 1090. et paullulum immutatum etiam a Georg. Cedreno Hist. comp. p. 24. et a Malala Chronogr. II. p. 55. refertur, cum quibus congruunt quae Suidas habet s. v. Ἀντιόπη p. 478, 8. Denique Propertius quoque III, 3. Euripidem imitatus est. Accedit fragmentorum haud exiguus numerus, a viris doctis collectus atque explicatus.

Conspicitur in scena villa rustica pastoris, qui credebatur pater esse geminorum Amphionis ac Zethi. Prodit autem ad rem exponendam Mercurius sive quis alius deus, haec fere referens:

Nyctei, regis in Boeotia, qui Hysiis (Ἦσίοισι, fragm. III.) habitabat, fuit filia Antiopa, cuius formae venustate Iuppiter adductus in Satyrum conversus gravidam eam fecit*), Quam pater cum punire vellet propter stuprum, periculum Antiopa effugit. Casu in eodem loco, quo illa pervenerat, Epopeus Sicyonius stabat; is mulierem advectam domum matrimonio sibi iunxit: quod Nycteus aegre ferens, cum Lyco, fratri suo, cui regnum relicturus erat, per obtestationem mandasset, ut in Epopeum Antiopamque animadverteret, mortem sibi ipse conscivit. Lycus igitur, Sicyonem cum exercitu profectus, expugnata urbe interfectoque Epopeo Antiopam abduxit captivam. Quae quum abduceretur, in itinere, quam perventum esset ad Cithaeronem, haud procul ab Eleutheris, peperit geminos et ibidem reliquit. Quos inventos pastor Oenei Pandionidae domum ad uxorem tulit et pro suis educavit**), alterum Zethum, alterum Amphionem nominans:

. Οινόη
 σύγχορτα ναίων***) πεδία ταῖς τ' Ἐλευθεραῖς.

*) Ovid. Met. VI, 109: „ut Satyri celatus imagine pulcrum Iuppiter implevit gemino Nycteida foetu.” G. Cedrenus l. I.: ὁ μὲν Εὐριπίδης τῷ ἔθει τῶν ποιητῶν μυθολογῶν τὸν Δία φησὶν εἰς Σάτυρον μεταβληθέντα τὴν Ἀντιόπην φθεῖραι, ἐξ ἧς Ἀμφίων καὶ Ζῆθος οἱ μουσικοί. Malalas: ὁ γὰρ σοφώτατος Εὐριπίδης ποιητικῶς ἐξέθετο τὸ δράμα, cetera similiter.

**) Dio Chrysost. or. XV. p. 237. B. ed. Morell. Nomen pastoris Ὀρδίων fuisse perhibent Cedrenus et Malalas.

***) Fragm. IX. I. II. Vulgo ναῖω pro ναίων.

τὸν μὲν κικλήσκει Ζῆθον· ἐξήτησε γὰρ
τόκοισιν εὐμάρειαν ἢ τεκοῦσά νιν·
τὸν δ' παρ' ἄμφοδον
Ἀμφίονα

Zethus rei pecuariae studio se dedit; contra Amphion, lyra donatus a Mercurio*), ad musicam se applicuit. Antiope autem, Thebas abducta, Dircae, uxori Lyci, tradita est, quae, aegre ferens, quod ab illa pulcritudine superaretur, simulque timens, ne Lycus clam cum ea concumberet**), in tenebris vinctam clausit et saevissimis affectit cruciatibus***). Sed illuxit dies festus Bacchi, quo Antiope libertatem simul cum filiis recuperatura, Dirce autem meritas crudelitatis poenas data est. His deus expositis, videns adolescentum alterum villa seu stabulis prodeuntem, discedit.

Orditur Amphion monodiam similem ei, qua Ion studium suum vitaeque genus praedicat. Inter alia μελέτην dicit esse

κρεῖττον ὄλβον κτῆμα.

Cuius cantu invitatus chorus accedit rusticorum†). Ex hac parodo servatum est fragmentum Pacuvii:

„Cantando soluistis
armenta vocare ††).”

Subiungitur diverbium, in quo adolescens de testudine in

*) Non ab ipso Mercurio, sed Apollinis manu traditam Amphioni lyram esse sine idonea caussa decrevit Ungerus Theb. parad. p. 33. Cf. de eadem re Welck. P. III. p. 1602.

**) Epigr. Cyzic. in Iacobsii paralip. e cod. Vat. p. 628: προς-άπιοντες τὰύρω τὴν Δίρκην, ὅτι τὴν μητέρα αὐτῶν Ἀντιόπην διὰ τὴν φθορὰν Λύκω, τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς, ὑπὸ Νυκτέως, τοῦ πατρὸς αὐτῆς, (παραδοθεῖσαν), ὄργῃ ζηλοτύπῳ ἐν-σχεθεῖσα, ἀμέτρως ἐτιμωρήσατο.

***) In bello gerendo Lycum, cum haec fierint, occupatum a domo abfuisse ait Malalas.

†) Apud Cic. Divin. II, 64, 133. Rustici pro Attici scribendum esse conicio. In eandem coniecturam Bergkium incidisse postmodum vidi.

††) Huc respexit Virgilius Ecl. II, 23: Canto quae solitus, si quando armenta vocabat, Amphion.

instrumentum musicum mutata haecce obscure atque per-
plexe dicit:

„*Quadrupes, tardigrada, agrestis, hu-
milis, aspera,
Capite brevi, cervice anguina, ad spectu
truci,
Eviscerata, inanima cum animali sono.*”

Rustici se non intelligere profitentur:

„*Ita tortuose dictio abs te datur,
Quod consecutum sapiens aegre con-
tulit**.”

Tum ille uno verbo:

„*Testudo.*”

Respondet chorus:

„*Non potueras hoc igitur a principio,
citharista, dicere?*”

Iam quo planiora fiant quae de lyra obscurius dixit, ori-
ginem eiusdem explicat, fabulam de boum furto hisque
cum lyra permutatis exponens, unde etiam nomen huic
impositum esse perhibet:

*λύρα βοῶν γὰρ ὄνσι' ἐξεῳόύσατο**).*

Deinde Zethus fratrem ad venatum invitat; recusantem
obiurgat, quod, musicae arti ac desidia deditus, neglectis
rebus utilibus, mollitiem alat animi corporisque. Orditur
igitur disputatio illa celeberrima***), in qua otiosorum

*) Vide Welckerum p. 815.

**) Codd.: *λύρα βοῶν ὄνσα ἐξεῳόύσατο*. Schneidew. in Eusta-
thii prooem. comm. Pind. p. 26. scripsit: *λύρα βοῶν γὰρ
ὄνσι' ἐξελέσατο*. Verbum ἐκρύεσθαι commendatur v. 239.
Baccharum: *εἰ μὴ σε γῆρας πολιδὸν ἐξεῳόύετο*, quem citavit
Ungerus Theb. parad. p. 34., ipse reponens: *λύρα βοῶν νιν
ὄνσι' ἐξεῳόύσατο*, qua coniectura perinde ac reliquis carere
possumus. Verte: lyra enim boum repetitorum poe-
nam exsolvit.

***) Horat. Epist. I, 18, 39:

„*Nec tua laudabis studia aut aliena reprendes,
Nec, cum venari volet ille, poemata panges:
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, dissiluit etc.*”

seu elegantiorum hominum, philosophiae studio deditorum, partes sustinet Amphion, negotiosorum vero seu industriosorum, in victu procurando reque publica administranda occupatorum Zethus. Non minus Euripidis temporibus inter Graecos, quam et Ciceronis inter Romanos et hodie inter nos, de eruditionis et rerum ad vitam communem necessariorum pretio esse contendi solitum ex hac disputatione intelligitur.

ΖΗΘΟΣ.

Ἀμφίον, ἀμελείς ὦν ἐπιμελεῖσθαί σε δεῖ·
 ψυχῆς δὲ . . . ὧδε γενναίαν φύσιν,
 γυναικομίμῳ διαπρέπεις μορφώματι·
 οὔτ' ἐν δίκῃς βουλαῖσιν ὀρθῶς ἂν λόγον
 προθεῖο πιθανόν, οὔτ' ἂν ἀσπίδος κύτει
 . . . ὁμιλήσειας, οὔτ' ἄλλων ὑπερ
 νεανικὸν βούλευμα βουλευσαιο . . .*)
 κακῶν κατάρχεις τήνδε Μοῦσαν εἰσάγων
 ἀσύμφορόν τιν', ἄτοπον — —
 ἀργόν, φίλοινον, χρημάτων ἀτημελῆ

πολλοὶ δὲ θνητῶν τοῦτο πάσχουσιν κακόν·
 γνώμη φρονοῦντες οὐ θέλουσ' ὑπηρετεῖν
 ψυχῇ, τὰ πολλὰ πρὸς φίλων νικώμενοι**)

ἀνὴρ γὰρ ὅστις, εὖ βίον κεκτημένος,
 τὰ μὲν κατ' οἴκους ἀμελία παρεῖς ἔα,
 μολπαῖσι δ' ἤσθεις τοῦτ' ἀεὶ θηρεύεται,
 ἀργὸς μὲν οἴκοις καὶ πόλει γενήσεται,

Cic. Herenn. II, 27. de orat. I, 37, 155. Invent. I, 51. Rep. I, 18. Dio Chrys. orat. LXXIII. p. 635. Plat. Gorg. p. 484 seqq.

*) Vide apud Matthiaeum fragm. XXI. et XXII. Valcken. diatr. p. 74. et 84., quorum hic versum quartum et quintum ex Olympiodoro (ubi scriptum est οὐκ ἂν ἀσπίδος κύτει προσομιλήσειας) sic refinxit:

προθεῖο πιθανόν, οὔτ' ἂν ἀσπίδος ποτὲ
 κύτει γ' ὁμιλήσειας κ. τ. λ.

**) Verte: plerumque iis, quae iucunda habent, indulgentes.

φιλοισι δ' οὐδείς· ἢ φύσις γὰρ οἴχεται,
 ὅταν γλυκείας ἠδονῆς ἤσσων τις ἦ·
 καὶ πῶς σοφὸν τοῦτ' ἐστίν, εἴ τις εὐφυῆ
 λαβοῦσα τέχνη φῶτ' ἔθηκε χείρονα
 μήτ' αὐτὸν αὐτῷ δυνάμενον προσαρξέσαι *);

· · · · · μισῶ
 σοφὸν λόγοισιν, ἐς δ' ὄνησιν οὐ σοφόν.**)

· · · · · ἀλλ' ἐμοὶ πιθοῦ,
 παῦσαι δ' αἰοιδῶν, πολεμίῳν δ' εὐμουσίαν
 ἄσκει, τοιαῦτ' αἰεὶδ', ἀφ' ὧν δόξεις φρονεῖν***),
 σκάπτων, ἀρῶν γῆν, ποιμνίοις ἐπιστατῶν,
 ἄλλοις τὰ κομψὰ ταῦτ' ἀφεις σοφίσματα,
 ἐξ ὧν κενοῖσιν ἐγκατοικήσεις δόμοις.

ΑΜΦΙΩΝ.

ἐκ παντὸς ἂν τις πράγματος δισσωὼν λόγων
 ἀγῶνα θεῖτ' ἂν, εἰ λέγειν εἴη σοφός.

· · · · · ὅς δ' εὐγλωσσία
 νικᾷ, σοφὸς μὲν, ἀλλὰ τοι τὰ πράγματα
 κρείσσω νομίζω τῶν λόγων αἰεὶ ποτε †).

· · · · · λαμπρὸς δ' ἕκαστος κἀπὶ τοῦτ' ἐπείγεται,
 νέμων τὸ πλεῖστον ἡμέρας τούτῳ μέρος,
 ἴν' αὐτὸς αὐτοῦ τυγχάνῃ κράτιστος ὧν ††).

*) Matth. fragm. XXVII. XXIII. XXIV. Valcken. p. 82. et 83.

**) Servavit Orion apud Schneidew. coniect. crit. p. 41. Veritit Pacuvius (fragm. incert. 2.): „Ego odi homines ignava opera philosopha sententia.” Eodem pertinent quae leguntur apud Ciceronem Orat. §. 166: „Id quod scis, prodest nihil, id quod nescis, obest.”

***) ἀφ' ὧν pro καὶ duce Platone reposui.

†) Vulgo ἀλλὰ γὰρ τὰ πράγματα κρείσσω.

††) Fragm. XX. Valcken. p. 76. Amphioni haec etiam contra scholiastae Platonici auctoritatem tribuenda esse intelligitur ex fragm. Pacuviano apud Nonium 3, 3., quod huc pertinere Welckerus p. 821. vidit:

„Tu cornifrontes pascere armentas soles,”

quibus verbis illam orationem continuari manifestum est.

τὸ δ' ἀσθενές μοι καὶ τὸ θῆλυ σώματος
κακῶς ἐμέμφθης· καὶ γὰρ εἰ φρονεῖν ἔχω,
κρεῖσσον τόδ' ἐστὶ καρτεροῦ βραχίονος.
γνώμη γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
εὖ δ' οἶκος, εἷς τ' αὖ πόλεμον ἰσχύει μέγα·
σοφὸν γὰρ ἐν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας
νικᾷ, σὺν ὄγκῳ δ' ἀμαθία πλεῖστον κακόν*).
καὶ μὴν ὅσοι μὲν σαρκὸς εἰς εὐξίαν
ἀσκούσι βίον, ἣν σφαλῶσι χρημάτων,
κακοὶ πολῖται· δεῖ γὰρ ἄνδρ', εἰθισμένον
ἀκόλαστον ἦθος γαστροῦ, ἐν ταύτῳ μένειν.

ὁ δ' ἥσυχος φίλοισι τ' ἀσφαλῆς φίλος
πόλει τ' ἄριστος. μὴ τὰ κινδυνεύματα
αἰνεῖτ'· ἐγὼ γὰρ οὔτε ναυτίλον φιλῶ
τολμῶντα λίαν οὔτε προστάτην χθονός.

ἅπαντα τίκει χθῶν πάλιν τε λαμβάνει**)

τοιόσδε θνητῶν τῶν ταλαιπώρων βίος·
οὔτ' εὐτυχεῖ τὸ πάμπαν οὔτε δυστυχεῖ,
εὐδαιμονεῖ τε καὐθις οὐκ εὐδαιμονεῖ.
τί δῆτ', ἐν ὄλβῳ μὴ σαφεῖ βεβηκότες,
οὐ ζῶμεν ὡς ἠδιστα, μὴ λυπούμενοι;
ὅστις δὲ πράσσει πολλά, μὴ πράσσειν παρὸν,
μῶρος, παρὸν ζῆν ἠδέως ἀπράγμονα.
εἰ δ' εὐτυχῶν τις καὶ βίον κεκτημένος
μηδ' ἐν δόμοισι τῶν καλῶν πειράσεται,
ἐγὼ μὲν οὔποτ' αὐτὸν ὄλβιον καλῶ,
φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαίμονα.
ἔχει λόγον καὶ τοῦτο· τῶν πολλῶν βροτῶν

*) Diog. Laert. et Orion in Schneidewini conl. critt. p. 57: γνώ-
μαις γὰρ ἀνδρῶν. Mox ὄγκῳ scripsi pro ὄλβῳ. Cf. Troad.
1148: ὃ μείζον' ὄγκον δορὸς ἔχοντες ἢ φρενῶν. Ceterum
cum his conferenda sunt Sallustii illa (Cat. 1.): „Diu ma-
gnum inter mortales certamen fuit, vine corporis an virtute
animi res militaris magis procederet etc.”

***) Servavit Orion ap. Schneidew. p. 44.

δεῖ τοὺς μὲν εἶναι δυστυχεῖς, τοὺς δ' εὐτυχεῖς.
 . . . τὸ δοῦλον οὐχ ὄρας ὅσον κακόν;
 οὐ χρὴ ποτ' ἄνδρα δοῦλον ὄντ' ἔλευθέρως
 γνώμας διώκειν οὐδ' ἐς ἀργίαν βλέπειν,
 τὸν δ' ὑμνοποιὸν αὐτὸς ἂν τίκτη μέλη
 χαίροντα τίπτει· ἦν δὲ μὴ πάσχη τόδε,
 οὔτοι δύναται' ἄν, οἴκοθεν γ' ἀτώμενος,
 τέρπειν ἂν ἄλλους, οὐδὲ γὰρ δίκην ἔχει*).
 ἐγὼ μὲν οὖν ἄδομι καὶ λέγοιμί τι
 σοφόν, ταράσσων μηδὲν ὦν πόλις νοσεῖ**).

Quis non Euripidem ipsum animi sui sensum prodentem hoc loco audire sibi videtur? Felicem esse cui liceat operam Musis dare, sentit chorus: cuius boni quoniam servi priventur, miseros eos esse iure censet:

φεῦ φεῦ, τὸ δοῦλον ὡς ἀπανταχῇ γένος
 πρὸς τὴν ἐλάσσω μοῖραν ὤρισεν θεός.

Respondet Zethus se ista studia non improbare, si quis non totum se in iis abdiderit neque ea ita colat, ut aut sua aut amicorum aut reipublicae commoda negligat. Nam et quae nimia sint nocere et quae vicissitudine careant taedium parare:

κόρος δὲ πάντων· καὶ γὰρ ἐκ καλλιόνων
 λέκτροις ἐν αἰσχροῖς εἶδον ἐκπεπληγμένους,
 δαιτὸς δὲ πληρωθεῖς τις ἄσμενος πάλιν
 φαύλη διαίτη προςβαλὼν ἤσθη στόμα.

· · · · · „sol si perpetuo siet,
 Flammeo vapore torrens, terrae foetum
 exusserit;
 Si nox, frigore terrae fructus omnes interbitere.”

· · · · · βροτοῖσιν εὐκρας ἂν γένοιτ' ἂν ἠδέως.

*) Verba τὸν δ' ὑμνοποιὸν — δίκην ἔχει in Supplicibus post v. 178. inculcata leguntur, ubi Matthiae: „Quoquo te,” inquit, „vertis, difficile dictu est, quomodo haec cum praecedentibus cohaereant. Delebat Tyrwh., ex alia fabula petitos censebat Reiskius.”

***) Huc referendum esse videtur fragm. XLVIII: „νόσον ἔχειν” ἀντὶ τοῦ φαύλου ἔθους ἔχειν. Εὐριπίδης Ἀντιόπη.

Quae sententia cum sine dubio vera sit, obsequitur fratri Amphion*).

His igitur ad venatum se parantibus, chorum interponi necesse fuit.

Prodit deinde in scenam Antiopa, quae, dum Dirce in Cithaerone cum bacchis discursat, vinculis divinitus solutis**) naeta occasionem effugiendi in Cithaeronem ipsa quoque pervenit et casu ad stabula defertur filiorum. Ibi fame et lassitudine confecta, simul metu exanimata timensque, ne inventa ab inimicis ad contumelias et cruciatus retrahatur, deorum hominumque iniurias conquesta, hospitium ac tutelem petit***). Rebus theatro expositis in conspectum procedit geminorum. Accedentem Amphion quanam sit sciscitatur et qua de caussa sola per saltus vagetur:

. . . . „*loca horrida initas?*”

Ad fata sua enarranda haesitabundam adducit:

. . . *τί σιγᾶς; μῶν φόνον τιν' εἰργάσω †);*

Tum Antiopa, Malorum, inquit, quibus referta est vita humana, in me largissima irruit copia:

πόλλ' ἔστιν ἀνθρώποισιν, ὧ̄ ξένοι, κακά.

Ab hoc initio ad omnem rem ordine enarrandam pergit, cuius narrationis exigua quaedam fragmenta servantur:

κύουσ' ἔτικτον, ἦνίκ' ἠγόμην πάλιν ††).

*) Horat. Epist. I, 18, 42: „Donec suspecta severo conticuit lyra. Fraternalis cessisse putatur moribus Amphion.”

**) Apollodorus: τῶν δεσμῶν αὐτομάτων λυθέντων.

***) Propertius l. I.:

„Inde Cithaeronis timido pede currit in arces:

Nox erat, et sparso triste cubile gelu.

Saepe vago Asopi sonitu permota fluentis

Credebat dominae pone venire pedes.”

Ibidem paullo ante:

„Iuppiter, Antiopae nusquam succurris, habenti

Tot mala? corrumpit dura catena manus;

Si deus es, tibi turpe tuam servire puellam.

Invocet Antiopae quem nisi, vincata, Iovem?”

†) Fragm. inc. CCI.

††) Eustath. κύουσα τίκτω. Valcken. ex Ammonio κύουσα τίκτω.

„*Fruges frendere solita saxi robore**).

„*Frendere noctes, misera quae perpes-
sa sum.*”

De cruciatibus, quibus affecta erat, conferendus Propertius:

„*Ah, quoties pulcros ussit regina capillos,*

Molliaque immites firit in ora manus!

Ah, quoties famulam pensis oneravit iniquis,

Et caput in dura ponere iussit humo!

Saepe illam immundis passa est habitare tenebris,

Vilem ieiunae saepe negavit aquam.”

Regio se genere natam, hoc ceteris servis miseriorem esse ait, quod non obduruerit ad contumelias:

φρονῶ δ' ἂ πάσχω, καὶ τόδ' οὐ μικρὸν κακόν·

τὸ μὴ εἰδέναι γὰρ ἡδονὴν ἔχει τινα

νοσοῦντα, κέρδος δ' ἐν κακοῖς ἀγνωσία.

Fame, frigore, lassitudine enecata,

„*Perdita inlucie atque insomnia,*”

suppliciter iuvenes orat, ut se recipiant receptamque tumentur.

Finita narratione chorus haecce effari potuit:

φεῦ φεῦ, βρότειαί πημάτων ὄσαι τύχαι

ὄσαι τε μορφαί, τέρμα δ' οὐκ εἶποι τις ἄν.

His auditis Amphion quidem misericordia commovetur et recipere vult mulierem receptamque ab iniuriis tutam praestare; contra Zethus ut servam fugitivam, ficto dolore misericordiam quaerentem, repudiat haecce dicens:

οὐδὲ γὰρ λάθρα δοκῶ

φωτὸς κακούργου σχήματ' ἐκμιμούμενον

σοὶ Ζῆν' ἐς εὐνήν, ὥσπερ ἄνθρωπον, μολεῖν.

His sic actis venatum abeunt iuvenes, Antiopa vero, cum mulata mala non ferens, mente alienata, in genua procum-

*) Modum excedit quod quidam poeta ap. Etym. M. p. 60, 63., quem citavit Ungerus Theb. parad. p. 82., ferreas fruges ab Antiopa molitas esse perhibet.

bit*). Tum senex, cum ex narratione Antiopae, congruente et loco et tempore, exploratum atque compertum habeat illam esse matrem geminorum, quos sustulerit, Antiopam quidem curare statuit, filios autem, ne ipse iis privetur, quae comperit celare**). Ex huius verbis, quibus Antiopam commiserabatur, haec deprompta esse sententia potest:

κῆδος καθ' αὐτὸν τὸν σοφὸν κτᾶσθαι χρεῶν.

Qui ubi mulierem in stabula ferens discessit, chorus Antiopae sortem deplorat:

„*Aerumnis cor luctificabile fulta.*”

In calce carminis additum fuisse puto σύστημα ἐπιφθεγματικόν, quo Dirce cum bacchis ab altera parte in scenam prodiens ostenderetur.

Bacchas cum cantu eodem modo, quo Hippolyti venatores et Alexandri pastores, intrasse consentaneum est. Quo finito, una ex bacchis, antea circa stabula vagata, ad reginam rediit nuntians quae cognovit. Antiopae enim lamentis intus auditis, cum animum advertisset ad explorandum, quid in villa rei ageretur,

„*Sed cum animum attendi ad quaerendum, quid siet,*”

Antioopen apud senem bubulcum commorantem agnovit:

. . . ἔνδον δὲ θαλάμοις βουκόλον
κοσμοῦντα κισσῶ στῦλον Εὐτὸν θεοῦ***).

Sero igitur senex, cui salus miserae cordi erat, animadversa speculatrice, eam a penetibus abegit:

*) Propert. l. l.:

„*Et durum Zethum et lacrimis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti magnos cum ponunt aequora motus,
Eurus in adversos desinit ire Notos,
Littore si tacito sonitus rarescit arenae:
Sic cadit inflexo lapsa puella genu.*”

***) Dio Chrysa. l. l.: εὐρόντες ἐν τῇ ὁδοῦ παιδία, οὐκ εἰδότες, ὅτου ποτὲ ἦσαν, ἀνελόμενοι ἔτρεφον ὡς ἀντῶν, καὶ οὐδὲ ἕστερον ἐκόντες οὐδέποτε ὁμολόγησαν, ὅτι ἀλλότριοι ἦσαν.

****) Vulgo κομῶντα pro κοσμοῦντα. Emendavit Toupius refragante Matthiaeo p. 70.

„*Minitabiliter increpare dictis saevis
incipit:*

*Nonne hinc vos propere stabulis amo-
limini?”*

His expositis sine mora Dirces iussu protrahitur Antiopa. Nascitur paedagogi cum regina controversia, illo Dircae crudelitatem exprobrante numinisque vindictam ut timeat monente, hac Antiopam, quod libidini prostituta pudicitia indulgeat, misericordia ulla dignam esse negante. Paedagogi haec fuerunt:

οὐ σωφρονίζειν ἔμαθον, αἰδεῖσθαι δὲ χροή,
γύναι, τὸ λίαν καὶ φυλάσσεσθαι φθόνον.

τήν τοι Δίκην λέγουσι παῖδ' εἶναι Διὸς
ἔγγυς τε ναίειν τῆς βροτῶν τιμωρίας*).

Dircae autem haec servantur verba:

εἰ νοῦς ἔνεστιν —, εἰ δὲ μή, τί δεῖ καλῆς
γυναικός, εἰ μὴ τὰς φρένας χρηστὰς ἔχοι;

Itaque nihil curans senis vel admonitiones vel obtestationes protinus mulierem iubet ad supplicium rapi:

„*Agite, ite, volvite, rapite, coma tra-
ctate per aspera saxa
et humum!*

*Scindite vestem ocius! cervicum flores
dispargite crines**).*”

Quae dum abstrahitur, chorus vociferatur: quo excitati clamore gemini, cum forte e venatu redirent, ad ferendum auxilium festinantes accurrunt. Cogente necessitate, aperit paedagogus quae occultaverat, matrem illis esse quae ad supplicia raperetur***). Silentium excusans haecce dicit:

*) His in Stobaei libris Andromachae nomen adscriptum est; Musgr. autem ad Andromedam referebat; cf. Matth. p. 57. et Schneidew. conii. critt. p. 96.

**) Vide Bothium fragm. inc. 34. p. 153. et eundem fragm. 10. p. 104.

***) Hygin.: „Ibi Antiopam repertam ad mortem extrahebat. Sed ab educatore pastore adolescentes certiores facti eam esse matrem suam, celeriter consecuti matrem eripuerunt.”

κόσμος δὲ σιγῆς στέφανος ἀνδρὸς οὐ κακοῦ·
τὸ δ' ἐκλαλοῦν τοῦθ' ἡδονῆς μὲν ἄπτεται,
κακὸν δ' ὁμίλημ', ἀσθενὲς δὲ καὶ πόλει.

Iuvenes duce paedagogo ad vindicandam matrem cum grege sodalium proficiscuntur*). Interim chorus haecce inter alia cantabat:

Δίκα τοι Δίκα χρόνιος, ἀλλ' ὅμως
ἔλαθεν ὑποπεσοῦσ' ἔλαθεν**), ὅταν ἔχη
τιν' ἀσεβῆ βροτῶν.

Redit nuntius de re gesta expositurus secum Antiopam liberatam reducens. Cui cum mors pararetur, eo ipso temporis momento gemini supervenientes matrem liberarunt, Dircen autem arreptam eodem supplicio, quod in illam constitutum erat, affecerunt. Ad tauri enim silvestris cornua illa Antiopen alligari iusserat, ut raptata per cautes, per saxa, per frutices miserrime periret; vide Malal. et Cedrenum, cum quibus conspirat schol. ad Phoen. v. 102.; cf. Welck. p. 825. Iam ipsa in locum Antiopae detrusa supplicibus precibus multum frustra precata est; cf. epigr. Cyzic. in Iacobsii anthol. paralip. e cod. Vatic. p. 628:

νῦν δ' ἱκέτις αὐτῇ λίσσεται ὀδυραμένη·
ἄγε καὶ ἐκ ταύροιο καθάπτειτε δίπλακα σειρήν,
ὄφρα δέμας σύρη τῆςδε κατὰ ξυλόχου.

Quibus adde Propertii carmen:

„Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope, cognosce Iovem; tibi gloria Dirce
Ducitur, in multis mortem habitura locis.

Prata cruentantur Zethi, victorque canebat etc.”

Narrationis, ex qua haec omnia manaverunt, hos Longinus attulit versus praestantissimos:

— — — εἰ δέ που τύχοι

*) Cf. Malalam et Cedrenum, de his uberius reliquis exponentes.

**) Monente Bergkio ap. Welck. p. 1603. verbum ἔλαθεν duplicavi.

περιξ̄ ἐλίξας ταῦρος, εἶλχ' ὁμοῦ λαβῶν
 γυναιῖκα, πέτραν, δροῦν μεταλλάσσων αἰεί*).

Mortuae corpus in rivum, qui postea ab ea nomen accepit, abiectum est. Haec eadem omnia in pariete aedificii cuiusdam oppidi Herculani pingendo expressa sunt, quam picturam Zahnus imitatus est et benignissime mecum, cui volumen ipsum imitationum adeundi facultas deesset, communicavit. Ostenduntur loca aspera et confragosa, partim saxis praeruptis partim silvis obsita. Ferocit taurus, cuius medio corpori Dirce alligata est, hedera, bacchationis insignibus, coronata. A fronte belluae Zethus cum Antiopa stans similis est taurum incitanti; ab altera parte Amphion paedagogi consilia auscultat, docentis, qua ratione Lycus puniendus sit. Interfecta igitur Dirce gemini Antiopam quidem uni ex sodalibus custodiendam reducendamque ad stabula tradiderunt, paedagogum autem ad regem Lycum miserunt, qui nuntiaret se Antiopam ei, ut servam fugitivam, restitutos, eoque nomine invitaret, ut ipsum ad stabula ducentem statim sequeretur; ipsi interim gemini cum sodalibus in insidiis collocati adventum eius operiuntur**).

His expositis victoriam geminis chorus gratulatur: ad hunc enim paean, quem Amphioni Propertius tribuit, transferendus esse videtur. Mox revertuntur gemini, vinctum adducentes Lycum. Quorum adspectu mater laetitia perfunditur:

χαῖρ', ᾧ καλὴ ξυνωρίς***) — —
 „Salvete, gemini, mea propages sanguinis.”

Eadem collaudata eorum virtute pietatem iis et probitatem, ut bonum praestantissimum, commendat:

πᾶσι δ' ἀγγέλλω βροτοῖς
 ἔσθλων ἀπ' ἀνδρῶν εὐγενῆ σπείρειν τέκνα.

*) Cf. Valcken. p. 66. Ungerus in Theb. parad. p. 83. mavult γυναικί. Non est opus.

**) Schol. Apollon.: μεταπεμφόμενοι δὲ τὸν Λύκον ὡς ἐκδώσοντες τὴν Ἀντιόπην.

***) Lucian. Philop. §. 28.

οὐ γάρ ποτ' ἄν πράξειαν ἐς τέλος κακῶς*).

τρεις εἶσιν ἀρεταί, τὰς χρεῶν σ' ἀσκεῖν, τέκνον·
θεοὺς τε τιμᾶν τοὺς τε φύσαντας γονεῖς
νόμους τε κοινούς Ἑλλάδος· καὶ ταῦτα δρῶν
κάλλιστον ἔξεις στέφανον εὐκλείας ἀεί.

Tum Lycus in medio constitutus criminibus vincitur; quum occidere vellent gemini, Mercurio se interponente servatus est. Liberatus supplicio, regno cedere iubetur: in quod non Zethus, pastor et agricola, sed Amphion, vates atque philosophus, succedit**); urbem tamen coniuncta opera ambo condunt. Dirces memoriam nomine fontis ad posterum iri traditum deus idem commemorat.

Quanto in honore fuerit drama praestantissimum, intelligere licet ex summorum poetarum, Pacuvii, Propertii, Horatii, Virgilii, Ovidii, summi oratoris Ciceronis, summi philosophi Platonis non commemorationibus tantum, sed etiam imitationibus. Quibus accedunt artificum opera, taurus Farnesius, Apollonii et Taurisci opus, et pictura Herculanensis. In vulgus idem sic notum erat, ut Ἀντιόπης θρῆνος proverbii loco dici soleret de iis, qui iniuriam et contumeliam passi postea vindicati essent, teste Suida s. v. Ἀντιόπη p. 478, 8. Frequenter etiam in Romanorum theatri imitatione Pacuvii exhibebatur, teste Cicerone Off. I, 31, 11. Aristophanes ad hanc fabulam non nisi semel respexit versu, quem ex altera Thesmoph. editione servavit Pollux:

Ἀμφοδὸν ἐχοῖν αὐτῶν τεθεῖσθαι τοῦνομα.

„Praeter ista digna, quae sibi sumeret Comicus irridenda, pauca suspicor hoc in dramate elegantissimo Euripidis reperta, quae mordacissimus Aristophanes arrodere potuerit.” Verba sunt Valckenarii in diatr. p. 62. Celebratissima autem fuit disputatio de philosophiae et artium, quibus utilia

*) Hic versus etiam in Andromache v. 1258. habetur, quo loco quoniam neque aptus et depravatus est, delendum eum esse censeo.

***) Epigr. anthol. Iacobs. T. II. p. 755:

ἑπταπύλων Θηβῶν βασιλεὺς ὅδε κείται ὑπόχθων
Ζηῆθος, ὃν Ἀντιόπη γείνατο παῖδ' ἀγαθόν.

et necessaria parantur, pretio. Qua in contentione qui effinguntur Zethi mores, ii rustici illius, qui in Orestis dramate inducitur, moribus similes sunt:

μορφῇ μὲν οὐκ εὐωπός, ἀνδρεῖος δ' ἀνῆρ,
 αὐτουργός, οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι γῆν,
 ξυνετός δέ, χωρεῖν δμόσε τοῖς λόγοις θέλων,
 ἀκέραιος, ἀνεπίληπτον ἡσκηκῶς βίον.

Catones quidem ambo sunt, duri, severi, truces (vide Horat. Epist. I, 18, 42. Propert. III, 13, 29. Seneca Herc. fur. 917.). Plurimis enim nominibus dignus est qui cum Euripideis personis comparetur Romanus ille Cato, qui Scipioni crimini vertit, quod poetam secum in provinciam duxisset, castigator luxuriae, expulsor rhetorum Graecorum, urbanas rusticasque res pariter callens, qui non solum accusando, sed etiam causam dicendo fatigavit inimicos. Utriusque vitae generis diversitatem etiam Atheniensibus cognitam fuisse testis est Aristophanes in Vespis, ubi illorum *μαραθωνομάχων*, quorum dux est Philocleon, aculeis ad exstinguendam luxuriam armatorum, in insaniam atque furorem abiisse ira fingitur, qui tamen, postquam victi manus dederunt, elegantiorum hominum mores ac disciplinam adoptare studentes, multo etiam, quam fuerunt antea, turpiores existunt. In conformando argumento Asium noster secutus esse videtur, de quo adeas Pausan. II, 6, 2 seqq. p. 124.

B. H y p s i p y l e.

Argumentum praeter Apollodorum III, 6, 4. etiam Hyginus c. 74., quamquam leviter immutatum, tradidit, sed uterque mancum. Non enim mentionem ullam faciunt filiorum Hypsipyles, quorum interventu hanc servatam esse ostendit Welckerus p. 559. auxilio utens epigrammatis Cyziceni atque amphorae antiquae imaginum, quas Gerhardus explicavit dissertatione, quam in Academia Berolinensi anno 1838. recitavit. His addo tertium testimonium ex Aristotelis poetica p. 239. c. 14. petitum: καὶ

ἐν τῇ Ἑλλῆ (scribe Ὑψιπύλῃ) ὁ υἱὸς τὴν μητέρα ἐκδι-
δόναι μέλλων ἀνεγνώρισεν, quo de loco recte Valcke-
narius p. 59. suspicatus est Euripideae alicuius tragoediae
mentionem in nomine Ἑλλῆ manifesto corrupto latere, er-
ravit autem, quod Ἀντιόπη substituendum putavit, quo ca-
ptus errore quaedam illius tragoediae fragmenta parum
recte interpretatus est*). Copiosissime fata Hypsipyles
illustravit Statius in Thebaidos lib. IV. V. et VI., cuius
narratio quum et cum iis quae commemoravi testimoniis
et cum fragmentis, quae quidem paucissima servantur, ex
maxima parte ita congruat, ut singulae dramatis scenae
in carmine eius redire videantur, illum esse Euripide usum
auctore manifestum est. Hunc igitur tanquam ducem se-
quens disiecta membra poetae collecta theatri legibus
sic accommodare conabor, ut speciem quasi fabulae Euri-
pideae, qualem fuisse puto, possint referre.

Locus, quo res agantur, fingitur esse prope a Ne-
mea**). Prodit, qui res et intricaturus et explicaturus
est, e terra Thracia veniens Bacchus:

Διώνυσος, ὃς δύρσοισι καὶ νεβρῶν δοραῖς
καθαπτὸς ἐν πέυκαισι Παρνασσὸν κᾶτα
πηδᾶ χορεύων παρθένοις σὺν Δελφίσιν***).

Qui cum ingentem exercitum sub septem ducum auspiciis
ad oppugnandam urbem videret sibi caram proficisci, nec-
dum Thebas ad ineunda certamina paratas esse

(*Isque ubi pulvereae Nemeen effervere nube
Conspicit et solem radiis ignescere ferri,*

Necdum compositas belli in certamina Thebas†)),

morae inferendae caussa (nectam fraude moras, v.
677.), fontes omnes praeter unum adiuvante solis ardore

*) Cf. Welckerum p. 828.

***) In amphora, quam commemoravi, a dextra aedium regia-
rum parte nymphea loci cum Iove Nemeaeo colloquens, a
sinistra Bacchus cum satyro vinum calici porrecto infun-
dente conspiciuntur. Lucian. de saltat. §. 44: καὶ τὰ ἐν Νε-
μέᾳ δὲ ἡ Ὑψιπύλῃ καὶ Ἀρχέμοσος.

****) Recte coniecit Welck. his praecessisse versum unum, cu-
ius hoc esset initium: ἦκω Διὸς παῖς vel ἦκω λιπών.

†) Stat. IV, 664.

exsiccavit, simul hoc agens (v. 739.), ut beneficio monstrati fontis Adrastus cum universo exercitu Hypsipylae obligaretur. Haec, Thoantis, Lemniorum regis, filia, Bacchi neptis, quo tempore Lemniades omne genus virorum interficiebant, sola patrem adiuvante Baccho (Stat. V, 265 seqq.) servavit. Quamobrem Lemniadibus mortem ei minantibus*), e patria fugere coacta est, qua in fuga a praedonibus capta Thebas deportata est ac Lycurgo, qui Nemeae regnabat, in servitium vendita. Hanc igitur ut in pristinum statum fortunae restitueret deus, tum illa, quae diximus, composuit tum filios eiusdem, quos, quum Lemniadam regina esset, geminos ex Iasone peperit, educatos a Lycasta**) (Stat. V, 464—467.), ad quaerendam matrem e Lemno opportune adduxit utque a rege hospitio exciperentur curavit: Stat. V, 713:

*„Qui geminos iuvenes Lemni de littore vectos
Intuleras Nemeae mirandaque fata parabas:
Causa viae genitrix, nec inhospita tecta
Lycurgi
Praebuerant aditus.”*

His expositis Bacchus Adrastum cum comitibus venire praemonens discedit.

Adrastus ab ea parte, qua solent qui peregre adveniunt, intrans, dum per parodum procedit, queritur exercitum, quem contra Thebas ducat, siti laborare neque usquam, exploratoribus quaqua versus missis, aquae fontem detectum esse (V, 754 seqq. 734.). Sic postquam ad mediam scenam pervenit, conspicit Hypsipylen cum parvulo Ophelte, regis filio, cuius erat nutrix, extra urbis moenia progressam (Stat. IV, 739.):

*„Tandem inter silvas (sic Evius ipse parabat)
Errantes subitam pulcro in moerore tuentur*

*) Huc pertinet fragm. XV. ἐκδημία pro ἀποδημία dictum.

**) Hom. II. VII, 468. Stat. VI, 342: „Nomen avo gentile Thoas, atque omine dictus Euneos Argoo. Geminis eadem omnia, vultus, currus, equi, vestes etc.” In amphora infra Dionysi imaginem imagines positae sunt geminorum, inscriptumque nomen Εὐνεως.

*Hypsipylen. Illi quamvis et ab ubere Opheltes,
Non suus, Inachii proles infausta Lycurgi,
Dependet, neglecta comam nec dives amictu,
Regales tamen ore notae, nec mersus acerbis
Erstat honos."*

Hanc rex deam esse praesentem putans implorat, ut siti enecatis succurrat:

*„Diva potens nemorum; nam te vultusque pudorque
Mortali de stirpe negant."*

Respondet Hypsipyle se luctibus quidem mortales transgressam, sed non esse deam (v. 770.). Tum protinus ad fontem ducit Langiam, qui „secreta sub umbra” perennes aquas servare solebat:

δείξω μὲν Ἀργείοισιν Ἀχελώου ῥόον.

Opheltem interim, ne euntem moretur, in gramine deponit:

— — *„simul haerentem, ne tarda Pelasgis
Dux foret, ah miserum! vicino cespite alumnum
(Sic Parcae voluere) locat, ponique negantem
Floribus aggestis et amico murmure dulces
Solatur lacrimas."*

Interim, donec rex cum Hypsipyle a fonte redeant, comites illius, qui chorum efficiunt, carmen, quod sit pro parodo, canunt, quo carmine aut siccitatem depingere (Stat. IV, 722—733.) aut agminis magnitudinem ducumque virtutem praedicare potuerunt. Reversus Adrastus primum exponit, quomodo sit

„per dumos et opaca virentibus umbris)"*

ad fontem perventum, quanta sint laetitia milites illo audito conspectoque affecti, quantaque cupiditate turba ad aquam certatim accurrerit:

— — *„iamque amne propinquo
Rauca sonat vallis saxosumque impulit aures
Murmur: ibi exsultans conclamat ab agmine primo,
Sicut erat, levibus tollens vexilla manipulis
Argus, Aquae! longusque virum super ora cucurrit
Clamor Aquae!"*

Tum gratias agens Hypsipylae simul quaenam sit scisci-

*) Stat. IV, 797 seqq.

tatur (V, 20.): Incipit igitur diverbium, quo uberius, quam prologo factum est, Hypsipyles casus cum theatro communicantur: de quibus rebus adeas Apollodorum III, 6, 4. et Hyginum c. 15., quibus adde Statii narrationem quintantis versibus porrectam, apud quem de filiis haec Hypsipyle commemorat:

„*Enitor geminos, duroque sub hospite mater
Nomen avi renovo: nec, quae fortuna relictis,
Nosse datum: iam plena quater quinquennia pergunt,
Si modo fata sinunt aluitque rogata Lycaste.*”

His dum luctibus mulier immoratur, obliviscitur alumni (V, 498.):

„*Talia Lernaeis iterat dum regibus exsul
Lemnias et longa solatur damna querela,
Immemor absentis (sic di suasistis!) alumni.*”

Tum repente clamore pereuntis infantis excitata ac timore percussa trepida abit (Stat. V, 541.):

„*Cum tamen attonito moriens vagitus in auras
Excidit, et ruptis immutuit ore querelis
(Qualia non totas peragunt insomnia voces).
Audiit Hypsipyle, facilemque negantia cursum
Exanimis genua aegra rapit*” etc.

Studium et timorem chorus interim carmine declarat. Auscultat enim ululatus mulieris e longinquo missos; cf. Stat. v. 554: „Argolicas ululatus flebilis aures impulit.” Mox revertens Hypsipyle non vivum puerum, sed mortuum, anguis morsu peremptum, cum acri luctu et flebilibus querelis reportat, haecce inter alia cantans:

εἰς τὸν λειμῶνα καθίσας ἔδρεπεν
ἕτερον ἐφ' ἕτέρῳ αἰρόμενος
ἄγρευμ' ἀνθέων ἠδομένῃ ψυχᾷ
τὸν νῆπιον ἀπληστον . . ἔχων*).

*) Comparandi sunt Statii versus (IV, 786.) venustissimi:

„*At puer in gremio vernae telluris et alto
Gramine nunc faciles sternit procursibus herbas
In vultum nitens, caram modo lactis egeno
Nutricem clamore ciens iterumque renidens,
Et teneris meditans verba illuciantia labris*

Sic ludens in herba parvulus ad speluncam anguis ignarus pervenit multos habentem anfractus:

ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον ἄντρον.

Praeter haec singulae quaedam voces ex hoc cantico depromptae servantur, velut ἀναδρομαί, ἀυξήσεις, βλαστήσεις· νεαρός, ἀντὶ τοῦ νέος· ἐκδημία non de peregrinatione, sed de interitu dicta. Statii imitatio versibus 599—636. inest. His deinde lamentis narratio subiungitur trimetris inclusa; cf. Stat. V, 547 seqq.:

„Lustrat humum quaerens et nota vocabula parvo
Nequicquam ingeminans. Nusquam ille, et prata
recentes

*Amisere notas: viridi piger accubat hostis
Collectus gyro, spatiosaque iugera complet.
Horruit infelix visu, longoque profundum
Incendit clamore nemus: nec territus ille,
Sed iacet”* etc.

Quibus adde v. 587 seqq.:

„Iamque pererratis infelix Lemnia campis,
Liber ut angue locus, modico super aggere longe
Pallida sanguineis infectas roribus herbas
Prospicit: huc magno cursum rapit effera luctu,
Agnoscitque nefas. Terraeque illisa nocenti
Fulminis in morem, non verba in funere primo,
Non lacrimas habet. Ingeminat misera oscula
tantum

*Incumbens, animaeque fugam per membra tepentem
Quaerit hians”* etc.*).

Species autem corporis peremti his verbis a Statio depingitur:

— — „non ora loco, non pectora restant:
*Rapta cutis, tenuia ossa patent nexusque madentes
Sanguinis imbre novi, totumque in vulnere corpus.”*
His querelis et hoc adspectu miserrimo commoti du-

*Miratur nemorum strepitus aut obvia carpit
Aut patulo trahit ore diem, memorisque malorum
Inscius et vitae multum securus inerrat.”*

*) Cf. Stat. Silv. II, 1, 182.

ces Argivorum, simulque in se esse culpae maximam partem intelligentes, ad ulciscendam pueri mortem interficiendumque draconem certatim contendunt; cf. Stat. V, 556 — 587. Interposito rursus choro, certamen quale fuerit et quemnam habuerit eventum, exponitur*). Ex hac narratione petitum esse arbitror fragmentum, quod Bekkeri Anecd. p. 362, 7. inest:

δράκοντος αίματωπὸν ὄμμα.

Restat, ut etiam Hypsipylen Argivi a supplicio tutam praestent coram rege et regina causam eius defendendo. Itaque precibus illius obtemperantes omnes ad aedes regis cum funere se conferunt, et mutatur scena choro profecto.

Lycurgus, quod oraculum eum prima funera bello daturum esse praedixerat, societatem belli abnuebat (Stat. V, 643 seqq.). Appropinquante igitur exercitu, ne coereretur invitus, a domo fugerat, et forte in montis Persei vertice sacris operatus hostias Iovi avertendi fati causa immolabat. Regis igitur loco regina obviam funeri ex aedibus progreditur, et conspecto corpore trucidato cognitaque mortis causa, in eam, cuius curae custodiaeque infans commissus erat, iram effundit:

— *Illa autem ubinam, cui parva cruoris
Laetave damna mei? vivitne? impellite raptam,
Ferte citi comites! faxo omnis fabula Lemni
Et pater et tumidae generis mendacia sacri
Exciderint. Ibat letumque inferre parabat
Ense furens raptō” etc.*

Obiiciunt se furori duces Argivorum, imprimis Capaneus**).

*) Haec imitata est pictura amphorae, quam Winckelmann. in monum. ant. ined. T. II. n. 83. curavit reddendam, qui fallitur de Cadmo cogitans. Ostenditur enim Archemorus sive Opheltes, serpentis nexibus elisus; ostenditur Hypsipyle passis manibus dolorem significans; adsunt denique plures heroes pugnam ineuntes.

**) Mythogr. II, 141: „Qua orbitate rex iratus, dum in Hypsipylen ius domini vellet exercere eamque filio inferias mittere, prohibitus est a Graecis.” Sed reginam pro rege de iure cum Argivis contendisse picturae vasorum plures ostendunt.

Huius actus imitationem continet pictura amphorae, quam Hamilton T. III. p. 45. reddidit. Hypsipyle, cum ferro in eam Eurydice invadente, in genua procumbens passis manibus auxilium implorat Capanei, qui celeri gradu, protento scuto, stricto gladio reginae obviam procedit:

— „Siste hunc, vesana, furorem!

— *Anne ducem servatricemque cohortis*

Intachiae ingratis coram tot millibus audes

Maclare in tumulos? (quanti pro funeris ultor!)

Cui regnum genitorque Thoas et lucidus Evan

Stirpis avus?” etc.

Stat. V, 663 seqq. His cohibita dictis factisque Eurydice sedatiorem quidem se praebet, sed contendere mulier una adversus tantam virorum multitudinem neutiquam desinit, postulans, ut ius suum in „vilem famulam” exercere sibi liceat. Inde maior existit tumultus: indignatur enim chorus ad mortem rapi eam, cuius beneficio universus servatus sit exercitus; simul exercitus ipse, perlato ad eum rumore, fremit et incendium penatibus regis minatur (Stat. V, 690 seqq.). Quo excitati tumultu gemini accurrunt Hypsipyles filii, Euneus (*Εὐνεως*) atque Thoas, qui, paullo ante regis hospitio excepti, huius partibus favebant (Stat. V, 719.). Ab altera autem parte Amphiarauus accurrit, qui, sedato per eum militum tumultu, iam ducum quoque iram compescere conatur haecce dicens:

ἔγω γὰρ ὄργῆς πᾶς ἀνὴρ σοφώτερος.

Suadet deinde, ut constitutis iudicibus de iure disceptetur. Iudices igitur deliguntur Euneus atque Thoas (quorum ille, ut maior natu, verba pro ambobus facit), accusat Eurydice, caussam dicit Hypsipyle. Haec actio in amphora, quam Gerhardus divulgavit, exhibetur. Ante aedes regias media inter Amphiarauum atque Hypsipylen constituta Eurydice huius defensionem auscultat. A laeva autem aedium parte iuxta Hypsipylen stant Euneus atque Thoas, Dionysi sublimis custodiae commendati; a dextra denique, Amphiarao proximi, Parthenopaeus et Capanaeus quasi ad testimonium dicendum adsunt, supra quos sublimis Iuppiter cum Nemea conspiciuntur.

Poscebat Eurydice, ut pro inferiis serva puerulo ad-
dita ad inferos mitteretur:

— „*Illam (nil poscunt amplius umbrae),
Illam, oro, cineri simul excisaeque parenti
Reddite, quaeso*” etc.

Stat. VI, 167. Et arguebat eam aut pecunia corruptam
aut amoribus virorum nimis studentem officium deseruisse
ac parvulum, eius curae commissum, neglexisse:

κακοῖς τὸ κέρδος τῆς δίκης ὑπέριτερον.

Contra Hypsipyle, cum mortem deprecaretur, orabat mone-
batque adolescentes, quibus iudicandi munus impositum erat,
ne ex fortuna magis quam ex moribus ingenia hominum
pensare neve plus divitiis quam iustitiae tribuere vellent:

(ιδόντα) — — — — —

*πρὸς τὰςδε χρήσει καὶ τὰ πράγματα σκοπεῖν
καὶ τὰς διατάξ τῶν κακῶν τε κάγαθῶν·*

*πειθῶ δὲ τοῖς μὲν σώφροσιν πολλὴν ἔχειν,
τοῖς μὴ δικαίοις δ' οὐδὲ συμβάλλειν χρεῶν*).*

Parte utraque audita Euneos servam reginae in supplicium
tradit**). Tum vero Hypsipyle canticum cantans deorum
iniquitatem conqueritur ad mortem proficiscens, et Bac-
chum imprimis, procreatorem patris sui, quo servato ipsa
perierit, accusat, quod ab eo in mala praecipitata desera-
tur. Hinc sine dubio petita sunt ea, quibus Aristophanes
in Ranis (v. 1320.) utitur, diversissima ex pluribus tra-
goediis congesta temere componens:

οἰνάνθα φέρει

τὸν ἱερὸν βότρυον,

*ἔλικα παυσίπονον***).*

Qua in lamentatione reliquos quoque vitae suae casus
commemorante Hypsipyla, agnoscunt filii matrem, invicem-
que ostensis symbolis ipsi ab ea agnoscuntur †). Stat. V, 719:

*) Schneidew. Conii. crit. p. 51 et 86. Vulgo *χρήσεις* *χρη* pro
χρησει et extremo versu *οὐδὲν* pro *οὐδέ*.

**) Aristot. l. l.

***) Tertium versum ex eodem Aristophanis loco adieci, ut tres
efficerentur dochmii.

†) Epigr. Cyzic. in Jacobs. paralip. ex cod. Vat. (Anthol. III, 3.)
p. 630: *ἐν δὲ τῷ κατὰ δύσιν πλευροῦ ἔστιν ἐν ἀρχῇ τοῦ*

— — — — — „sed Lemnos ad aures
*Ut primum dictusque Thoas, per tela manusque
 Irruerunt matremque avidis amplexibus ambo
 Diripiunt flentes alternaque pectora mutant*” etc.

Cum his concinit quartus versus, qui est apud Aristophanem:

περίβαλ', ὦ τέκνον, ὠλένας.

Ad signa autem, ex quibus facta esset cognitio, recte Zirn-
 dorfer in chronol. fab. Eurip. p. 84. retulit versum huncce:

εὖσημα καὶ σαὶ καὶ κατεσφραγισμένα.

Neque minus fragm. IX. ad hunc Hypsipylae sermonem
 pertinere manifestum est:

ἄελπτον οὐδέν, πάντα δ' ἐλπίζειν χρεών.

Mox gemini abeunt, matrem in patriam reducturi*).

Eurydice autem, postquam huius laetitia testis fuit, rur-
 sus indulget dolori (Stat. VI, 138—166). Tum Amphia-
 raus et matrem solatur et ludos funebres dicit instituen-
 dos esse in memoriam pueruli, quem mox non Ophelten,
 sed Archemorum appellatum iri praedicit**). Ex conso-
 latione haec sunt, quae Cicero Latina reddidit:

δεκάτου πίνακος Εὐνεως γεγλυμμένος καὶ Θόας, οὓς ἐγέννη-
 σεν Ἐπιπύλη, ἀναγνωριζόμενοι τῇ μητρὶ καὶ τῇ χειρὶ σῆν
 δεικνύντες ἄμπελον, ὅπερ ἦν αὐτοῖς τοῦ γέ-
 νους σύμβολον, καὶ ἰσόμενοι αὐτὴν διὰ τὸν Ἀρχέμορον
 θάνατον τῆς παρ' Εὐρυδίκῃ τιμωρίας. Cf. Welck. I. I.

Alia signa commentus est Statius V, 725:

— — — — — et signa Argoa relictis

Ensibus atque humeris amborum intextus Iason.

*) Epigr. Cyzic.:

Φαίνε, Θόαν, Βάκχοιο φυτόν τόδε· ματέρα γάρ σου
 ἔσθη τοῦ θανάτου, οἰκίτιν Ἐπιπύλαν,
 ἃ τὸν ἀπ' Εὐρυδίκας ἔτλη χόλον, ἦμος *ἀφοῦθαρ
 ὕδρος, ὃ γὰς γενέτας, ἄλεσεν Ἀρχέμορον·
 στεῖχε δὲ καὶ σὺ λιπὼν Ἀσωπίδος, Εὐνο', ἄρουραν,
 γειναμένην ἄξων Λῆμνον ἐς ἠγαθήην.

**) Apollod. I. I.: τὸν δὲ παῖδα Ἀρχέμορον ἐκάλεσαν, οἱ δὲ ἔθε-
 σαν ἐπ' αὐτῷ τὸν τῶν Νεμείων ἀγῶνα. Funus Archemori in
 inferiore amphorae parte ostenditur. Corpus mortui lecto
 impositum corona myrti a matre decoratur; adsunt paedag-
 ogus cum quinque aliis famulis varia munera pro inferiis
 adferentes.

ἂ γοῦν παραινῶ, ταῦτά μοι δέξαι, γύναι·
 ἔφν μὲν οὐδείς ὄστις οὐ πονεῖ βροτῶν,
 θάπτει τε τέκνα χᾶτερ' αὐ κᾶται νέα
 αὐτός τε θνήσκει· καὶ τὰδ' ἄχθονται βροτοὶ
 εἰς γῆν φέροντες γῆν; ἀναγκαίως δ' ἔχει
 βίον θερίζειν ὥστε κάρπιμον στάχυν,
 καὶ τὸν μὲν εἶναι, τὸν δὲ μῆ*)· τί ταῦτα δεῖ
 στένειν, ἅπερ δεῖ κατὰ φύσιν διεκπερᾶν;
 δεινὸν γὰρ οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων βροτοῖς.

Cic. Tusc. III, 25, 59:

„Mortalis nemo est, quem non attingat dolor
 Morbusque. Multi sunt humandi liberi,
 Rursum creandi, morsque finita omnibus.
 Quae generi humano angorem nequidquam afferunt:
 Reddenda est terrae terra. Tum vita omnibus
 Metenda ut fruges: sic iubet necessitas**).

Choro tribuo quae Marc. Ant. VI, 51., non nominato dra-
 mate, servavit:

θεόθεν δὲ πνέοντ' οὔρον ἀνάγκη
 τλῆναι καμάτοις ἀνοδύροισι.

Exinde idem Amphiarus, quasi deus aliquis praesens, fune-
 stum expeditionis exitum animo praesagiente praedixit***).
 Divinatio manifesto inest hisce, quibus oculi vatis in coeli
 fastigia dicuntur enitentes certa et perspicua futurorum
 signa ibi perscripta cognoscere:

ἰδοῦ, πρὸς αἰθέρ' ἐξαμιλλῶνται κόραι,
 γραπτοὺς ἐν ἀλετοῖσι προσβλέπειν τύπους†).

.

*) Usus est his Marc. Anton. VI, 40.

**) Statius ad Adrastum transtulit hanc consolationem VI, 46:

— — — — — „solatur Adrastus
 Alloquii genitorem ultro, nunc fata recensens
 Resque hominum duras et inexorabile pensum,
 Nunc aliam prolem mansuraque numine dextro
 Pignora.”

***) Apollod. l. I.: Ἀμφιάραος δὲ εἶπεν ἐκείνοις τὸ σημεῖον τοῦτο
 τὰ μέλλοντα προμαντεύεσθαι.

†) Cf. Valcken. p. 214.

Reliqua qualia fuerint ex imitatione Statii aestimare licet (V, 730 seqq.):

„*Et sitis interitu fluviorum et letifer anguis
Et puer, heu nostri signatus nomine fati,
Archemorus — cuncta haec Superum demissa su-
prema*

Mente fluunt. Differte animos festinaque tela

Ponite: mansuris donandus honoribus infans.

Et meruit. Det pulcra suis libamina virtus

*Manibus. Atque utinam plures innectere
pergas,*

*Phoebe, moras, semperque novis bellare
vetemur*

*Casibus, et semper Thebe funesta rece-
dat!” etc.*

Sic neces a dracone editae pro omine Thebaeae perinde atque Troianae expeditioni fuerunt.

Idem argumentum praeter Euripidem an tragicorum ullus illustravit, dubito. Soli huic propria est laus inventae fabulae venustissima rerum varietate distinctae, in qua armorum strepitus cum pietatis sensu coniungeretur, ad docendum delectandumque pariter aptae. Infantis natura dulcissima, mors eiusdem crudelissima, dolor non parentum tantum atque nutricis, verum alienorum quoque acerbissimus, consolatio gravissima, funus atque inferiae amplissimae ostendebantur, tantaque cum ingenii ubertate hos locos tractaverat Euripides, animique affectus tanta veritate expresserat, ut plures huius fabulae partes vulgo in humanae vitae casibus solerent recitari*). Maxima vero laude dignus est in eo, quod potuit argumentum solis naeniis atque elegiis aptum theatro concinnare, quod qui praeter illum conatus sit neminem novi. Ex simplici autem animi sensu sive laeto sive tristi quum non possit ea rerum conditio atque implicatio nasci, qualis est ad animos eorum, qui audiunt, metu atque misericordia afficiendos necessaria, cum Opheltis interitu casus Hypsipy-lae ita coagmentavit, ut alii ex aliis penderent nasceren-

*) Cf. Valcken. p. 212. 213.

turque. Simul effecit, ut dolor orbitatis, comparatus cum laetitia, quam ex recuperatis liberis percipit Hypsipyle, vehementius sentiretur. Ac nostris quidem si scripta fabula esset, satis dives videretur etiam sine septem ducibus esse atque expeditione Thebana; contra Graecis nil dignum videbatur, quod a magno populo in theatro spectaretur, nisi ad populorum res gestas fortunamque pertineret. Eam autem expeditionem sic immiscuit, ut non quasi externa adhaereret, sed penitus cum reliquis rebus coalesceret, neque hae illam comitarentur tantum, sed in illa niterentur et eandem invicem moderarentur. Unius igitur infantuli nex cum septem ducum multarumque cohortium interitu eadem quasi tabula sic depicta fuit, ut illa coram, hic procul et e longinquo conspiceretur.

C. P h o e n i s s a e.

Accedimus ad opus nobilissimum, tum plausu theatrorum, tum assensu eruditorum approbatum, id quod cum alii testes tum is, qui vetus argumentum scripsit, declarant: ἔστι δὲ τὸ παρὸν δράμα τῶν ἀγαν ἐξαιρέτων, διανοίαις καὶ γνώμαις καὶ καλαῖς καὶ ποικίλαις ἀνθοῦν καὶ μεταχειρίσει ἀρίστη, καὶ διὰ πάντων ἀκμάζον, εἰ καὶ ἀπίθανον ἔχει τὴν εἰς Θήβας Πολυνείκουσ ἐξοδόν. Harum laudum contraria vitia cum deprendere recentissimi quidam sibi aestimatores visi sint, facile intelligitur eos suarum opinionum erroribus praepeditos fuisse et a mente poetae aberrasse. Quorum errorum unus fuit is, quod solam fratrum discordiam atque certamen hoc dramate ostendi putarunt. Latius eius argumentum patet, id quod intellexit Apollon. Alex. de synt. I, 36. p. 62: αἱ Φοίνισσαι Εὐριπίδου περιέχουσι τὸν Θηβαϊκὸν πόλεμον. Veriora cognosces, si priorum huius tetralogiae tragoediarum argumenta intuens quae intercedat similitudo reputabis. Nam partes didascaliarum etsi singulas necesse sit consummatas esse neque quicquam, quod extrinsecus petatur,

desiderare, tamen similitudine quadam et quasi cognatione argumentorum alterae ad alteras referuntur et sunt ad se invicem illustrandas idoneae. Liberi cum matribus suis tanquam hostes congregantes et partim salutem his atque domo paternae partim perniciem afferentes in omnibus huius tetralogiae fabulis introducuntur.

Videmus in primo dramate matrem ab iniuriis inimicorum et cruciatibus opera geminorum liberorum vindicari, in altero item matrem a capitis poena et exilio per geminos filios liberari, in tertio duos filios, cum ad mutuam caedem patris execrationibus adigantur, interitum parenti utrique afferre, in quarto denique fratrem et sororem matricidas a matris quidem manibus in discrimen capitis adduci, a patris autem, quem uli sunt, servari. Videmus item Antiopen atque Hypsipylum recuperatis filiis, quos interisse putaverant, laetari neque minus Locasten reduce conspecto filio, quem patria eiecit doluerat, laetitia efferri; contra Lycurgum atque Eurydicen amisso filio parvulo moerere et memoriam defuncti summis, quibus possunt, honoribus prosequi, Locasten super filiorum funeribus se ipsam interficere, Creontem velle suam potius quam filii vitam pro patria profundere, Menelaum ultionem malle quam filiam amittere, Oedipum denique reliquis liberis cum uxore orbatum, exsulem, inopem, coecum, destitutum ab omnibus filiae pietate sustentari. Quaecumque igitur parentibus a liberis vel felicissima vel miserrima accidere possunt, hac tetralogia ob oculos posita conspiciamus.

Primam igitur personam noster Locasten fecit, non Eteoclem neque Polynicen, itemque Oedipum non peregre finxit errare, non pridem extinctum esse, sed interesse rebus et aequae atque ceteros iis tangi, atque extinctis demum filiis in summam miseriam detrudi. De universae enim domus salute, non de certaminum solo eventu agitur, et parentum atque liberorum mutua pietas impietasque ostenditur. Geminos adolescentes binosque liberos in singulis fabulis ideo noster produxit, ut quantum horum concordia mutusque amor ad patriam valeat parentesque sospitandos intelligamus. Nam Zethus atque Amphion, quamvis studiis discrepantes, tamen concordia con-

silio et matrem vindicarunt et civitatem condiderunt et regnum obtinuerunt: quibus contraria omnia fecerunt Eteocles et Polynices, patriam parentesque pessumdantes. Item sorores summa pietate fratribus addictae Antigona atque Electra sunt. Menelaus vero, dum gratiam pro fratris beneficiis nullam refert, ipse privatur iis, quae carissima habet; contra Orestes, quem omnes cognati atque affines cum matris furiis coniurati opprimere student, unius sororis atque amici, quem pro fratre habet, auxilio ab interitu retrahitur.

Et haec quidem ad familiae fortunam pertinent; alia insunt, quae ad civitatis discrimen cum discrimine Oedipodarum arctissime coniunctum spectent. Alte fixum est malum et ab ipsa statim origine propagatum, id quod prologi exordio significatur. Apertius idem docet vates eo loco, quo Martem propter draconis caedem irascentem iubet propitiari (v. 934 seqq.). Per draconem tum in Hypsipyla Argivorum tum in Phoenissis Thebanorum exercitui interitus portenditur; oblata autem pro illis Archemori vita, pro his Macarei, utrique servantur. Arctissime etiam quae in utroque dramate aguntur inter se cohaerent, quorum illo exercitus Thebas oppugnaturi fatum prodicatur, hoc oppugnatae urbis sors decernitur; item arcte Antiopae et Phoenissarum dramata colligantur, quorum in illo familia pia innocensque in locum improbae succedit regnoque potita civitatem tum legibus sacrisque instituendis tranquillam tum fortiter agris colendis hostibusque vincendis potentem reddit, in hoc pellitur gens sceleribus polluta, cuius contagione pestis reipublicae illata est, ac purgatur civitas materiam scelerum egerendo. Duplex fons malorum, quorum alter in Oedipodarum est imperio, alter in civitatis ipsius corpore positus, duplici remedio removetur. Populi igitur et domus regiae sors in hac tragoedia quemadmodum in Troadibus agitur, unde fit, ut chori quoque eadem natura sit. Hoc tenens, nihil in ea abundare, nihil abesse, nihil alienum, sed necessaria omnia et universum opus aptum atque omnibus suis numeris partibusque perfectum atque expletum esse intelliges. Iam ad partes explanandas me convertito.

Prodit Iocaste, ut theatrum edoceat, expositisque rebus in domum continuo revertitur. Potuit hoc prooemium sine corporis universi incommodo abesse. Verumtamen minime persona Iocastes indigna sunt quae perorat: a magnifico enim exordio proficiscens res graves aliam post aliam commemorat, postremo precationem addit valde rebus convenientem. In narratione autem digna quae animadvertamus insunt haecce, quod de liberis procreandis Laius oraculum consuluit, quod invitis fati filium ebrius sevit, quod iterum Delphos filium quaerens expositum adiit et in eo ipso itinere rixa forte cum filio, quem quaerebat, commissa interfectus spoliatusque est. Currum Laii Oedipus, ut in ea tragoedia, cui Oedipi nomen inscriptum fuit, Polybo tradit; reliqua discrepant: nam cognito se patre interfecto cum matre concubuisse, oculos sibi effodit, a domo autem et patria nunquam pellitur, neque ulla afficitur iniuria, praeterquam quod filii, postquam adoleverunt, tegendae rerum foeditatis causa senem e conspectu hominum removent et carcere includunt, quod factum non improbare Iocaste videtur. At ille degens in vinculis insana ira diras filiis imprecatus est, quae ne eventum haberent metuentes filii pacti inter se, ut vicissim alter regnum possideret, alter solum verteret, hac ipsa re quod vitare studuerunt maturarunt. Captus enim dominatus dulcedine Eteocles cedere fratri regnum annua vice noluit: quo facto Polynices exsul, privatus patrimonio, adiuvante socero bellum patriae cum maximis Argivorum copiis inferre constituit. Oppugnantur septem urbis portae; caedibus patriam fratres vastaturi sunt. Itaque mater litem dirimere cupiens suasit, ut induciis factis inter se congrediantur, et nuntio misso ipsa Polynicem arcessivit, qui ad obtemperandum matri pietate adducitur.

Haec, ut dixi, narratio extrinsecus affixa est; actiones ipsae a colloquio paedagogi et virginis incipiunt. Contra veterum aliquis argumenti scriptorum miro errore superfluum esse diverbium prologi opinatus est: ἢ ἀπὸ τῶν τειχέων Ἀντιγόνη θεωροῦσα μέρος οὐκ ἔστι δράματος. Non sensit homo tardus, quisquis hoc primus notavit, necesse fuisse, cum oppugnatio urbis materiam dra-

matis efficeret neque exercitus oppugnantium ipse theatro ostendi posset, certe illum describi sic, ut ad spectatores timor et anxietas, qua obsessi vexarentur, penetraret. Perpetua mulierum trepidatione Aeschylus hoc efficere conatus est, strepitum armorum, quem nemo perciperet, se audire testantium. Euripides contra, melius quid deceret sentiens neque fere quicquam, quod cum veritate pugnaret, in conspectu ponens, *τειχοσκοπίαν* imitatus est, Homeri quidem exemplo delineatam, sed multo vegetioribus, quam est apud illum, coloribus illustratam multoque ad movendum aptiorem. Non enim quiescentes duces ab otiosis spectantur, sed oppugnationem cum maxime parantes et suas quisque cohortes in aciem educentes ab iis, qui de salute sua timeant. Magnificentius igitur hic prologus quam plerarumque tragoediarum comparatus est, nec potuit vestibulum ullo modo ad praeparandos occupandosque animos eorum, qui intrant, aptius honestiusque institui. Timida puella, cum sene ultra aetatem militarem propecto colloquens, non quae opinatur vel fando audit, sed quae coram spectat de multitudine exercitus, de ducum ferocia et fortitudine, de armorum novitate ac splendore exponit. Quanto hoc commodius est, quam turbam mulierum, quae nunquam hostes ipsae conspexissent, perpetuis clamoribus aures obtundere! Esse autem istas *θρόεμματα οὐκ ἀνασχετὰ* Aeschylus ipse testatus est. Praeterea prudenter usus est noster opportunitate Antigona, priusquam induceret moerore immutatam, ostendendi eo animi habitu praeditam, qui pudorem ac venustatem non excuteret. Quam egregie paucis verbis adumbrata est timiditas puellae e gynaeeo ad spectandos procul viros armatos progressae! Quam decore commovetur subito conspiciens campum armatis repletum ferroque fulgentem ac veretur, ne portarum repagula tantam hostium vim non retineant! Quam apte sciscitatur nova, admiratur habitum virorum et vario modo eorum specie afficitur! Fratrem vero oculis diu quaesitum agnoscens cupit se cum nube per aerem ferri, ut collo exsulis miseri brachia circumiiciat. Mox Capaneum prospiciens aditus lustrantem urbis, precatur, ut Iovis fulmen insolentiam superbi, qui servitatem Thebanis minitetur,

comprimat, utque Diana virgines a captivitate tutetur. Tranquillitatem inter haec servat senex, tali aspectui ad-suetus et propterea, quod castra hostium, cum Polynici nuntius a matre veniret, modo lustravit, ad docenda ea, quae virgo sciscitatur, idoneus.

Appropinquante mulierum caterva, Antigone a sene, fa-mam virginis religiose tuente, in domum retrahitur. Quum mulieribus utique in urbis oppugnatione pro choro utendum esset, peregrinis, quam domesticis, noster uti maluit. Cho-rum enim voluit eum adesse, qui moveretur quidem rebus, quae gererentur, sed non haereret in iis, non perturbaretur iis, sed liberiore animo praesentia componeret praeteritis, demonstraret causas, prospiceret exitus, renovansque fa-mam vetustam, commemorans priora pericula, praedicans maiorum virtutes, denique rerum gestarum magnitudinem ac splendorem civitatis explicans conveniret ei tragoediae, qua magnorum populorum regumque potentissimorum salus in discrimen vocata ostenderetur. Scite igitur e Cadmi pa-tria accessivit feminas ad originem gentis et famam anti-quam celebrandam propensas; contra domesticarum mulie-rum tumultum ac trepidationem supplicantium per urbem lamentisque loca omnia implentium sustulit et, quod Ro-mani in magnis calamitatibus facere solebant, arcuit ma-tronas publico continerique intra aedium limina iussit*). Ceterum videas quae de hac chori natura aliis locis T. I. p. 524. et T. II. p. 370. disputavi.

Parodus praeter causam adventus et venustissimam locorum, in quibus virgines commoraturae sunt, imagi-nem commemorationem continet earum rerum, quae ante portas urbis ab Argivorum exercitu et Polynice, patrimo-nium a fratre repetente, parantur. Maius interim spatium temporis consumptum esse, quam hic cantus explet, cogi-tandum est. Statim enim eo finito Polynices ex hostium

*) Non satis firmis argumentis causam peregrini chori scho-liasta defendit: ἐπίτηδες οὐκ εἰσὶν ἐπιχώρια αἱ τοῦ χοροῦ, ἀλλὰ ξένα καὶ ἱεροδουλοὶ, ὅπως ἐν τοῖς ἐξῆς ἀθεῶς ἀντι-λέγοιεν τὴν πρὸς Ἐτεοκλέους ἀδικίαν (cf. v. 526.). Ἄει γὰρ ὁ χορὸς παρόρησιαζόμενος τοῦ δικαίου προῖσταιται. πῶς οὖν ἔμελλον τὸν βασιλέα ἐλέγχειν, εἰ ἐβασιλεύοντο ὑπ' αὐτοῦ;

castris, in quibus paullo ante conspectus est cohortes instruens, ad penates patrios pervenit. Abhorrere a veritate huius in hostium moenia introitum non magni acuminis est intelligere. Sed necesse nihilominus Euripidi fuit haec fingere, si modo vellet colloquium fratrum discordantium exhibere, cuius colloquii videns utilitatem quis non Euripidi veniam det lubentissime? Et invitante matre fidemque interponente multo minus temerarius esse Polynices videtur, quam apud Homerum Menelaus Troianorum fidei se committens, quem noster imitatus est*). Pavidus tamen ille strictoque gladio, ut ad omnes casus paratus sit, procedit, volens scilicet, si subito ex insidiis opprimatur, certe non inultus occumbere**). Ac ne matri quidem satis fidit:

πέποιθα μέντοι μητρὶ καὶ πέποιθ' ἄμα —

o indignam suspicionem! Sic regnandi cupiditas omnia infida reddit. Confirmatur animo, ubi ad penatum aras perveniens nullis custodibus se ab iis arceri et feminas peregrinas adesse videt***): neque enim tanta improbitate vel matrem vel fratrem esse arbitratur, ut ipsa deorum familiarium sacra sanguine suorum polluere velint. Illa vero, postquam de filii adventu audivit, accurrens quanta cum laetitia receptum amplexatur! quanto se eius desiderio flagrasse et luxisse sibi ereptum tanquam mortuum

*) Schol. v. 171: τὸν Ὀμηρικὸν δὲ Μενέλαον μιμεῖται Εὐριπίδης, ὑπόσπονδον Πολυνείκην ἄγων εἰς τὰς Θήβας, ὡς ἐκεῖνος εἰς τὴν Ἴλιον εἰσῆλθε καταθρόσόμενος τὸν πόλεμον. Non omnes igitur grammatici hunc introitum vituperabant.

**) Schol. v. 267: ἀνόητόν φασὶ τῷ ξίφει πιστεύειν, ταῖς σπονδαῖς δὲ μήπω, εἰ καὶ μόνος ἂν κρατῆσαι ἐδύνατο ἐπιβουλεύόντων τοσοῦτων. Ἄγνοοῦσι δὲ, ὅτι οἱ μετὰ ἀνάγκης ἐπί τινα κίνδυνον ἐρχόμενοι οὐχὶ ἐκ τῶν ἐνδεχομένων θηροῦσθαι τὴν ἀσφάλειαν ἐθέλουσιν, ἀλλ' οἷαν παρὰ τοῦ καιροῦ λαμβάνουσι, καὶ οἱ ἐπ' ἐρημίας μετὰ ξιφιδίου πορεύονται ἤτον μὲν ἀπλισμένοι τῶν ὑποπτενομένων θηρῶν ἢ ληστῶν, ἄμεινον δὲ τῶν ἀνόπλων κτλ.

***) Parum vim verborum perspexit qui haec reprehendit: τὰς ἀπὸ τοῦ χοροῦ ἐσθακῶς φησι τεθαρόηκέναι· ἀσθενοῦς δὲ ψυχῆς τεκμήριον· τί γὰρ ἔμελλον αὐτῷ γυναικὶς συμβαλέσθαι πρὸς κίνδυνον;

significat! quam dolet, quod neque tristibus eius neque laetis rebus interfuerit! Oedipum quoque non minori ait, quam ipsam, filii desiderio teneri et paene ad mortem poenitentia execrationum adactum esse. Hunc enim singulari fide, diligenti cura, sollicito amore mulier praestantissima senem afflictum colit, consolatur atque sustentat. Eadem sapientissimam se praestat mulierem, quod sanare filiorum discordiam studet, et merito magno amore ambo ut viros praestantissimos (*ἄνδρ' ἀρίστῳ* v. 1267.) amplectitur eo solo vitio laborantes, quod, ut Cicero dicit, in maximis animis splendidissimisque ingeniis plerumque existit, nimia principatus cupidine. Hunc amorem declarat eo, quod omnibus Polynicis doloribus tanquam propriis afficitur quodque de exulis misera conditione et quicquid vel boni vel mali tempore, quo patria profugus caruit, perceperit, studiose sciscitatur*). Quis unquam vel veterum vel recentium poetarum verioribus coloribus maternum amorem depinxit? Polynicem noster amore patriae insignem esse voluit, qui aras deorum patriorum, gymnasia, in quibus adolevit, Dircae aquam et urbis tecta salutans horum se conspiciendorum desiderio motum esse dicit, ut, quamvis metu pavens verensque insidias, in media hostium arma se demitteret; et lacrimas ei non minus horum sibi ereptorum quam matris afflictae lugubrisque adspectus elicit. Exsilii deinde mala, matre invitante, ostendit, quod ingenuitatem auferat, quod potentium stoliditatem tolerare et servire utilitati cogat, quod ne spei quidem solatium miseris relinquat, quod fidem hospitem cum fortuna commutet, quod deficientibus opibus nobilitas generis ac decus iaceat**). Casus deinde suos exponit. Oraculo iussus

*) Morati sermonis exemplum est hoc colloquium, id quod recte notavit schol. v. 388. Idem male reprehendit, quod alieno tempore sententiis utatur Euripides (*γνωμολογεῖ*). Nulla pericula tanta esse possunt, ut matrem prohibeant, quo minus vim amoris sui filio post longum tempus recepto declaret. G. Hermannum cum alia multa tum hunc sermonem imprudenter cavillantem omitto.

***) Schol. v. 71: οὗτος ὁ τόπος εἰς ἀσυμφωνίαν ἄγει τὸ δράμα· ἔδει γὰρ ἐξέλασιν ὑποθέσθαι τοῦ Πολυνείκου, ἵνα διὰ τῶν

Adrastus apro ac leoni filias despondere, uno tempore duos exsules, Tydeum atque Polynicem, recepit forte ante fores suas de cubili rixantes, mox iis affinitate secum coniunctis iureiurando se obstrinxit se effecturum, ut in patriam uterque restitueretur. His narratis Polynices testatur deos invitum se ac necessitate coactum carissimis penatibus arma intulisse, et orat matrem, ut pace reconciliata ex his miseriis et se et civitatem eripiat. Patrimonium sibi repetere necesse esse: etenim opibus qui careat, eum potestate ac honore carere.

Ferox festinansque advenit Eteocles, modo in dispendis instruendisquē copiis occupatus parumque ad gratiam conciliandam propensus*). Constitutis autem in mutuo conspectu filiis, egregiam mater orationem interponit, cuius paene singula verba Schillerus noster imitatus est: Cohibe impetum, Eteocles: non enim praecipitia recta sunt, sed maturae fere rationes prudentissimae. Et remitte vultus ferociam atque irae spiritum: non enim Gorgonis caput intueris fratrem tuum reversum intuens. Tuque invicem, Polynices, vultum ad germanum converte: namque contuens huius vultum commodius et ipse dices et huius verba accipies. Monere autem vos quiddam non insipidum volo: Quando amicus aliquis amico iratus cum eo in mutuum adspectum congreditur, ea sola, quorum gratia venerunt, considerare decet, iniuriarum autem priorum mentionem omittere. Prior tibi, Polynices, locus debetur dicendi: iniuriam enim exprobrans cum exercitu ve-

ἐξῆς δεόντως λέγει „Ποτὲ μὲν ἐπ’ ἡμᾶς εἶχον, εἴτ’ οὐκ εἶχον ἄν.” Εἰ γὰρ ἀλλήλοις ὑπεχώρησαν ἐνιαυτὸν παρ’ ἐνιαυτὸν ἄρχειν, πάντως καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἐπεφέρετο Πολυνείκης. Oblitus ergo erat hic privatum patrimonio fuisse Polynicem et plus unum annum patria caruisse.

*) Schol. v. 446: κάλλιστα πεποίηται τῷ τραγικῷ τὸ πρόσωπον, οἷον δεῖ εἶναι ἄδικον ἄνδρα. Γινώσκων γὰρ, ὡς οὐδὲν δίκαιον ἔχει λέγειν, ἐπείγει τὴν κρίσιν, τὸν ἐκ τῆς δικαιολογίας κατὰ λεπτὸν γινόμενον ἔλεγχον ἐκφεύγων. Contra Polynices, quod confidit caussae, etiam in media hostium castra se conferre non dubitavit.

nisti*). At iudex deorum quispiam et pacificator intercedat!

Simplex, inquit Polynices, est veritatis oratio neque eget fuco et praetextibus: res enim ipsa opportuna est. Ego non magis meis, quam huius, rebus ac domui paternae consulens patria abii regno ei annuo concesso hac lege, ut ipse vicissim regnarem, vitare volens haec, quae nunc evenerunt. At hic comprobatis his et iuramento confirmatis nihil fecit eorum, quae fide data promisit, sed retinet regnum ac meam patrimonii partem. Et nunc paratus sum, receptis iis, quae mea sunt, abducere exercitum, non vastare terram, non oppugnare urbem, id quod facere conabor, si ius non obtinuero. Testes horum deos invoco, omnia me cum iustitia agentem praeter omne ius patria iniquissime privari. Haec simplicia sine ambagibus dixi, prudentibus perinde atque rudibus plana.

Pior est caussa Eteoclis, sed oratio non minus simplex atque ingenua. „Si omnibus idem pulcrum egregiumque foret, non esset mortalibus unquam anceps contentio; nunc autem nihil omnibus aequale est praeter nomina: re enim et factis nihil ad omnes convenit**). Ingenue dicam quod sentio. Ego et ad solis ortum, si fieri posset, et sub terrae cavernas descenderem, ut potirer tyrannide, deorum maxima. Hoc igitur summum bonum, o mater, nolo alii potius permittere, quam mihi servare. Ignaviae enim est omissis potioribus contentum esse mi-

*) Egregium cautionis adhibitae signum esse, quod adiciat $\acute{\omega}\varsigma\ \sigma\acute{\upsilon}\ \varphi\eta\varsigma$, animadvertit scholiasta.

***) Imitatus haec quoque est Schillerus:

Schnell fertig ist die Jugend mit dem Wort,
Das schwer sich handhabet wie des Messers Schneide
u. s. w.

Gleich heist ihr Alles schändlich oder würdig,
Bös' oder gut, und was die Einbildung
Phantastisch schleppt in diesen dunklen Namen,
Das bürdet sie den Sachen auf und Wesen.
Eng ist die Welt und das Gehirn ist weit;
Leicht bei einander wohnen die Gedanken,
Doch hart im Raume stossen sich die Sachen u. s. w.

noribus. Praeterea pudet huic vastanti terram postulata concedere, et turpe esset Thebanis, si Argivorum ego veniens exercitum regnum huic traderem. Debit non cum armis reconciliationem quaerere: idem enim oratio, quod ferrum, conficit. Sin privatus hanc terram habitare volet, licebit; illud vero nunquam volens concedam, ut, cum regnare mihi liceat, huic serviam. Proinde saeviat ignis, saeviat ferrum, iungite equos, implete terram curribus; at regnum equidem huic nunquam concedam:

„*Nam si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est; aliis rebus pietatem colas.*”

Plena sapientiae est matris oratio, opportune sapientia et sententiis philosophorum utentis, ubi quae a pietate peti auxilia poterant inutilia esse videret. Primum monet iuvenem ferocem, ne senectutis prudentiam contemnat. Deinde perniciosam esse ambitionem et regnandi cupidinem, aequitate vero non tantum domus ac civitates, verum etiam mundum ipsum conservari argumentis docet luculentissimis. Tum inanem esse honorem ostendit et solo nomine decipi qui plus habere cupiant: satis magna esse quaecumque sufficient. Regnare, inquit, quam servare civitatem, mavis: at si vicerint Argivi, opes istae ipsae, quibus studes, tibi funestae erunt. Inde ad Polynicem conversa haecce dicit*): Perversam tibi gratiam Adrastus gratificatus est, et imprudenter tu ipse ad patriam profectus es excindendam, ubi et vincere et vinci perinde turpe miserumque est. Omittite igitur immodicam cupidinem: duorum inscitia in unum conveniens gravissimum efficit malum**).

His auditis Eteocles inutiliter tempus ait consumi, neque quicquam profici verbis, ac sine mora abire extra

*) Schol. v. 568: Ἵνα μὴ δόξη δυσχερῆς Ἐτεοκλεῖ, αὐτῷ μόνῳ ἐπιτιμῶσα, στρέφεται καὶ πρὸς Πολυνείκην κτλ.

***) Aliud agens haec legisse videtur scholiasta, qui reprehendit (v. 584.), quod non iubeat denuo facta patrimonii partitione certis legibus bellum componi. Non intellexit hoc ipsum spectare matris orationem et importunitate Eteoclis colloquium subito abrumpi.

moenia iubet Polynicem. Incipit igitur altercatio, trochaico metro inclusa miraque arte confecta, quum verborum quasi telis se invicem iuvenes figant, et quasi per gradus insurgat ira atque incendatur ita, ut necessario nascatur quae contra naturam est fraterni sanguinis sitis. Contumeliose enim fratrem tractat Eteocles et petentem, ut patrem atque sorores salutare liceat, reiicit, qua crudelitate exacerbatus Polynices ferro gemini viscera lacerare prior concupiscit. Contrarium igitur, atque mater speraverat, habet colloquium eventum, quaque ratione illa perniciem avertere studuit, hac ipsa efficit, ut dira caede filii intendant. Praeterea morum imitatione, sententiarum acumine verborumque luminibus haec pars dramatis excellit. Egrege autem mores tum omnium tum Eteoclis depicti sunt, alterius Achillis, iura sibi nata esse negantis, nihil non armis arrogantis idque ingenue profitentis*). Idonea profecto haec persona fuit, quam ante oculos positam Caesar haberet cuiusque in ore gereret orationem. Mitiores est animo Polynices, et videtur poeta, ut huic faveamus, studiose elaborasse. „Namque” (Grotii haec sunt verba) „dolere se ait, quod ius suum obtinere non possit sine popularium periculo; ipsum Adrasti beneficium ita agnoscit, ut simul doleat**); amorem patris, matris, sororum et vivus ostendit et moriens. Vivus fratrem conditionibus aequis studet placare, aliter quam apud Papinium, ubi iam fretus armis, suo non contentus, totum regnum postulat; moriens ostendit dolere se non tam, quod moreretur, quam quod fratrem occidisset, cui condonat quidquid in se commiserit.” Omni laude dignus esset, si ullae satis graves causae esse possent, quibus aliquis contra deos patrios arma ferens excusaretur. Regnandi cupido hunc quoque abripit, idque saepius ipse declarat (v. 439. et 634.).

Abiit ad hostium copias Polynices, iamque ingens Argivorum exercitus unam urbem, nullis auxiliis auctam,

*) Schol. ad v. 507: *μίμησιν ἀνδρὸς ἀδίκου ἐξεικονίζεи ἡμῖν ὁ Εὐρύπιδης μηδὲ τῷ δοκεῖν εὐσεβεῖν βουλομένον.*

**) V. 431: *λυπρὰν χάριν, ἀναγκαίαν δ' ἔμοι διδόντες,* quae verba scholiasta approbat: *ἔμφρων καὶ ἔλεεινὸς ὁ λόγος.*

oppugnaturus est. In hoc discrimine chorus perpetui deorum favoris reminiscens rogat, ut hoc quoque tempore adesse populo periclitanti velint. „Deductus est Cadmus oraculis ad habitanda loca fecundissima eademque amoenissima, natus est ibi Bacchus, quem infantem pampinis quasi brachiis amplectens hedera divinae esse naturae significavit; vicit ibi draconem Cadmus adiuvente Minerva et viros ex dentibus natos sub terram remisit: iam te, Epaphe, quem Io, princeps gentis, ex Iove concepit, invoco, veni ad hanc terram, quam posteri tui incoluerunt, mitte ei subsidio altrices deas Cererem et Proserpinam, serva gentem tuam.” Haec neque commodo verborum ornatu carent neque ardore eo, quo imagines rerum quasi praesentium exprimantur. Fuisset autem sine dubio de fratrum exitiabili ira ac scelesto conatu canendum, si non maioris momenti esset civitatis quam singulorum salus: ad illam, tanquam summam rem, omnia direxit Euripides, illam sibi curae esse omnibus carminibus chorus declarat, id quod angustum hominum, qui nunc sunt, captum superat.

Secundus actus consilia continet imperatorum et proeliorum committendorum rationem. Ad mortem paratus Eteocles, priusquam in pugnam proficiscatur, Creontem convenit commendaturus ei quae vult fieri*). Hic autem nuntium affert ex captivo acceptum, in eo esse hostes, ut universam urbem armatis cinctam uno tempore undique oppugnent. Plenum prudentiae militaris hoc est colloquium: Achillem cum Palamede aut Blucherum cum Gneisenavio colloquentes nobis audire videmur Eteoclem et Creontem audientes. Illius enim ferociam ad audaciora quam tutiora consilia propensioris, ut solent homines fortitudine freti, hic cautior quam audacior comprimit impetumque moderatur. Cui ille obtemperans intra moenia exercitum, longe numero minorem, continet et septem duces totidem hostium ducibus adversos ad septem urbis

*) Valckenarius ad v. 731: „In hoc Eteoclem inter et Creontem dialogo elucet Euripidis artificium non vulgare, imperatoriam in Creontis persona prudentiam monstrantis, in Eteocle contra militis audaciam minime providam.”

portas disponit, in quorum praedicandis virtutibus minime immoratur, ineptum esse dicens, hostibus iamiam moenia invasuris, singulorum, quos praeficiat, arma, genus et fortitudinem oratione persequendo tempus consumere: quibus Aeschylum perstringi verbis notum est*); cf. T. II. p. 293. Cum mulierculis quoque istius imperator modo altercans modo sermocinans tempus terit; contra Euripideus, impatiens morae, paucissima nec nisi necessaria locutus in certamen se proripit. Necesse enim est regi de capite suo dimicaturus, si quid domesticae publicaeve rei infectum relinquit, successori commendare. Ceterum his commode futura praeparantur. „Abeo,” inquit, „ne ab opere cessent manus: et utinam contingat, ut fratrem nactus adversarium transfodiam, qui venit terram meam vastaturus! Nuptiae autem Antigoniae et Haemonis, si quid humani mihi acciderit, tu curabis; dotem, quam promisi, ratam facio; ale et fove eam, ut meretur. Patrem non laudo, cuius caeca ira et ipsi iniqua est et nos, si contingat, perditura. Unum restat, ut Tiresiam consulas, si qua forte deorum monita cognovit: quem ego per filium tuum Menoeceum huc ducendum curabo. Tibi enim lubens respondebit, mihi, quod vaticinationem vituperavi, infensus est. Polynicis corpus, si occiderit, sepeliri veto, et supplicio affici, si quis iusta ei persolverit. Efferte iam arma mihi, famuli, ut ad certamen propositum contendam; Prudentiam autem, utilissimam deorum, invoco, ut hanc urbem servet.”

Sequitur carmen praestantissimum, rebus, quae hoc tempore geruntur, convenientissimum. Etsi grandiloquus esse ne in lyricis quidem solet Euripides, tamen, ubi res poscit, non deficiunt eum vires, velut in hoc carmine amplius, copiosus et magnificus apparet, strepitum armorum paene aequali strepitu verborum depingens. Sed insunt quaedam corruptelae, a scribis et grammaticis illatae, quae eruendis iis lectionibus, quae partim in scholiis partim in codicibus latent, tolli posse videntur sic scribendo:

*) Benignius Didymus interpretatus est: *πεφύλακται τὰς ὀνομασίας αὐτῶν εἰπεῖν διὰ τὸ ὑπὸ Αἰσχύλου εἰρηθεῖν ἐν τοῖς ἐπιτά ἐπὶ Θήβαις.*

οὐδ' ὑπὸ θυροσομανεὶ νεβρίδων μετὰ
 δινεύεις, ἐν δ'
 ἄρμασι καὶ ψαλλοῖς τετραβάμονα
 μώνυχα πᾶλλον,
 Ἰσμῆνον τ' ἐπὶ χεύμασι βαίνων
 ἰππείαισι θοάξεις,
 Ἀργείοις ἐπιπνεύσας
 Σπαρτῶν γένναν,
 ἀσπιδοφέρμονα θίασον, εὖοπλον,
 ἀντίπαλον κατὰ λάϊνα τείχεα.

Comparatur proeliantium concursus cum bacchantium discursu et telorum coniectio cum thyrsorum vibratione et tubarum strepitus cum tiliarum cantu et in acie grassantium saevitia cum maenadum furore et unguarum sonitus cum saltantium tripudio, denique belli tumultus sic depingitur, ut simul pacis desiderium exprimatur. Drama *Ἀρεως μεστὸν* componere volebat Euripides, ne fatigaret spectatores pluris decernendi rationem quam decertandi fortitudinem facientes et meliora scientes quam in acie versari et manu cum hostibus conflagere, quod immane esse et belluarum simile Cicero recte decrevit; praeterea ille inutile esse ducebat alacritatem belli gerendi inserere civium animis eo tempore, quo quicquid vita humana venusti habet in patria diuturnitate belli laborante imminuebatur. Sed praedicabat bella et pugnantium ferociam, ubi opus erat. Non minus splendidae sunt reliquae carminis partes. „Utinam ne servatus esset Oedipus, neci in Cithaerone destinatus, utinam ne Sphinx, monstrum funestum, venisset, cuius soluto aenigmate ille in civitatem invecus liberos ex incestis nuptiis sustulit, qui iam infelici odio et domum suam et rempublicam vastant. Nunquam enim pulcra ex inhonestis eveniunt. Illa autem civitas, cui incolae ex draconis dentibus sunt gloriosissimi nati, illius viri progenies, cuius ad nuptias dii coelestes venerunt, illa urbs, cuius moenia sponte surrexerunt, Amphione inter amoenissimos Dircae Ismenique rivos saxa sono lyrae movente, ille populus, cuius ex lone procreati sunt reges, innumerabiles virtutes alias super alias praestans in summo iam bellicae gloriae fastigio constitit.” Commodius sic

laudem virtutis praedicavit noster, quam si septem virorum nomina, genus et voces gloriosas commemorasset; et pro lamentis paeanes inter certamina cantari fecit, quod esset utile exemplum iis, qui in paribus periculis versarentur. Nulla enim re magis eriguntur animi et ad fortiter resistendum incenduntur, quam priorum periculorum virtute propulsorum recordatione.

Tertius actus catastrophem continet. Superiores decedunt qui inferiores sunt multitudine Thebani, idque generoso Menoecei facinore efficitur, pro salute patriae caput suum devoventis. Pro signo vel imagine, qua communis quaedam sententia significetur, et devotio Menoecei et vaticinia Tiresiae habenda sunt: revera enim Euripides deos victimis humanis placari negabat. Menoecei factum, bonorum omnium praestantissimum patriae consecratis, contrarium est coecae ac temerariae Oedipodarum libidini, rempublicam domumque suam vastantium et in se ipsos ira odioque saevientium. Hi igitur, ut materia calamitatum, removendi sunt e civitate, ut expulsa vi noxia sana esse possit: quae autem iam effecta sunt mala sanantur, „si quod quisque habet praestantissimum in medium prolatum patriae consecret” (cf. v. 1015—1018.). Eandem sententiam fabula Erechthei, cuius simile fuerat argumentum, declaraverat Euripides, cuius similitudinis in hac tragoedia Tiresiam fecit ipsum nos admonere (cf. v. 852—856.). Heri enim se Athenis redisse senex decrepitus, dum a Menoeceo, Creontis filio, adducitur, narrat, et corona aurea ornatus conspicitur, quam pro praemio victoriae, ipsius opera partae, accepit. A sede sacra auguraculi cum maxime veniens sortes sive tabellas vaticiniorum servandas castis adolescentis manibus commisit. Consulenti Creonti respondet ex Oedipi et filiorum eius nefandis facinoribus terram laborare, quibus se frustra obstitisse. Iam eo perventum esse, ut mutua caede fratres intereuntes secum civitatem ad interitum trahant, nisi suis obtemperetur monitis. Debuisse Oedipodas pridem regno et civitate pelli; iam unam reliquam esse salutis viam, sed eam prodere neque sibi tutum esse et acerbum iis, ad quos fati veniat necessitas. Praestare igitur se abire et

cum reliquis pati quae oporteat. Urgente deinde Creonte aperit Menoeceum immolandum esse. Quo edito oraculo Creon se omnia malle quam filium amittere ostendit, et suppliciter vatem orat, ut celet responsum; sed frustra. Caussam deinde Tiresias explanat: pro sanguine draconis, propter cuius necem Mars irascatur, sanguinem reddendum esse unius eorum, qui ex draconis dentibus nati sint. Hoc facto victrices fore Thebas, Argivos vero reditu in patriam privatum iri. His dictis abit senex, questus antea invidiosum esse divinandi munus et tractatu difficile; Creontem autem moestum relinquit. Qui quam omnia pati quam liberos sua manu interficere malit, iubet Menoeceum sine mora fugere e patria ultra Delphos per Aetolorum terram ad sacram Dodonae sedem*). Haec quam sint turpia intelligit filius, cuius vitandae turpitudinis causa ad vitam patriae consecrandam his ipsis, quibus ille eum servare cupit, impellitur. Sed celare patrem consilium, ne ab eo exsequendo prohibeatur, decernit: quamobrem ablegandi Creontis causa iubet eum ad viaticum sibi afferendum domum redire, simulans se interim Iocastae, cuius parvulus mammam suxerit, valedicturum**). Profecto patre, sine mora adolescens, utens oratione ea, quae deceat generosi animi adolescentem, ad eam moenium partem abit, quae imminet speluncae draconis, corpus inde in locum, in quo ille excubans interfectus est, demissurus.

Hoc egregium facinus supra Oedipi merita laudibus a choro effertur: hic enim Sphinge sublata salutem civitati ita attulit, ut simul matris inito matrimonio eandem pollueret. Componuntur enim pristina calamitas cum praesenti et illius defensor cum huius, neque otiosa est Sphingis commemoratio, in qua immerito tum veteres tum recentiores grammatici offenderunt (vid. schol. v. 1019.

*) Quis credat haec, quibus paternus animus loco filii pavens egregie depingitur, cuiquam potuisse locum vituperandi dare? Schol. v. 980: εἰς οὐδὲν δὲ χρήσιμον τοπογραφεῖ· μάλλον δὲ αὐτὸν ἐχρῆν σκοπεῖν, ὅπως τῶν πολεμίων παρακαθίζομένων λήσεται φεύγων ὁ Μεναικός.

***) Haec parum intellecta fuit nuper qui vituperaret, crimen poetae inferens ex sua tarditate.

Valcken. v. 1026.). Praeterea res inter se ipsae cohaerent. Sphinx enim caussa fuit Oedipi in regnum et civitatem adsciscendi, caussa fuit incesti matrimonii, ex quo illa provenerunt mala, quae Menoecei morte avertenda sunt. Egregia est imago luctus saevitia monstri effecti et commodis non verbis tantum, sed etiam numeris expressa. Denique mors adolescentis ea ratione collaudatur, quae dignissima est iis, qui laudant: „Sic utinam fiamus matres, sic prole felices, o Pallas, quae draconem confecisti, Cadmi impellens ad opus curam, propter quod irascens Mars Sphingis postmodum rapinas immisit.”

In his cum Pindari laudem aemulatus sit noster, in iis, quae sequuntur, Homerum imitatur. Quartus enim actus effecta ostendens, quae in prioribus praeparata sunt, paene totus ex narrationibus certaminum constat, materiae, quae universo Aeschyli carmini suffecit, partem longe maximam complectens. De filiorum vita ante omnia cognoscere cupientem Iocasten metu liberat nuntius, vivere eos dicens; ita facultatem adipiscitur victoriae populi Thebanorum prius exponendae, id quod et argumento idoneum est neque a natura nuntiorum, tristia cunctanter nec nisi cum coguntur referentium, abhorret. Primum paucis verbis Menoecei mors commemoratur, cuius amplissima praedicatio iis ipsis inest, quae illam insecuta sunt. Nam cum stans summa in turri, inspectante utroque exercitu, iugulum gladio transfixisset, sine mora Eteocles septem cohortes cum ducibus ad septem portas disposuit et alias in insidiis collocavit, quae subvenirent laborantibus. Mox hostium exercitus ad impetum faciendum cursu appropinquavit, et classicum utrinque sonuit. Duces Argivorum singuli cum clypeorum insignibus describuntur: facultas enim nuntio fuit cognoscendorum singulorum adeunti portas singulas, cum tesseram circumferret. Aeschylum in describendis clypeorum imaginibus sic secutus est noster, ut tamen pleraque propria inveniret. Arrogantia virorum declaratur insignibus, a quorum insolentia modestia differt Amphiarai, victimas secum curru vehentis et arma sine signis gerentis. Artificum autem sollertiam imagines cum omnes tum quae in Polynicis scuto depicta est prodit,

equi furorem adiuvente machina imitans*). Neque abest coelestium rerum imitatio, Argus oculis invicem patentibus clausisque noctis lumina ac diei nunquam quiescentia referens**). Commisso proelio primum tela et saxa iaciebantur: qua pugna quum superiores essent Thebani, hostes incitante Tydeo universi uno impetu in portas invaserunt. Ibi acriter utrimque pugnatum est, multique occisi. Tum vero Parthenopaeus turbinis instar irruens ignem ac lignem postulavit, quasi moenia eversurus: quem Periclymenus coercuit saxo a pinnis revulso capitique eius immisso, ut comminuta calva humi procumberet. Inter haec quum Eteocles, comitante satellite, praesens ubicunque opus erat ad auxilium esset ferendum, vidit unius portae propugnatores Tydei vi et militum eius e turribus fugatos: quos ille tanquam venator canes collectos rursus in propugnaculis collocavit. In tertia porta Capaneus ingenti saeviens ira iam summos scalarum gradus superaverat glorians ne Iovis quidem fulmine se a capienda urbe prohiberi posse, cum repente fulmen cum terribili fragore demissum membra eius divulsa disiecit, ut sublimes comae raperentur, sanguis humi funderetur, manus pedesque more rotae Ixionis versarentur, corpus autem ambustum ad terram recideret. Quo attonitus spectaculo Adrastus, Iovem videns suis infestum esse, extra fossam exercitum reduxit; Thebani vero, alacriores facti omine, omnibus eductis copiis in medium hostium exercitum invaserunt. Inde ingens facta est caedes: excidebant morientes e curribus, subsultabant rotae, axes axibus ob-

*) Schol. v. 1127: ἐν τῇ ἀσπίδι, φησί, τούτων ἐνετύπωντο αἱ Ποινιάδες ἵπποι οὕτως ἀκριβῶς, ὡς δοκεῖν τῇ ἀληθείᾳ σκιρτᾶν κατὰ τὴν γραφὴν καὶ περιθῆεν τὸν τῆς ἀσπίδος ὀμφαλόν. Alii de machinae auxilio rectius interpretati sunt.

***) Omnia conari, quamvis absurda, maluerunt grammatici quam admittere quam schol. Aug. offert lectionem egregie rei convenientem eandemque poeticam:

τὰ μὲν ξὺν ἄστρον ἐντολαῖσιν ὄμματα
βλέποντα, τὰ δὲ πίπτοντα δυνόντων μέτα.

terebantur, cadavera cadaveribus accumulabantur*). His auditis Iocaste partim gaudet victoria partim Creontem filio orbatum miseratur, sui autem filii quid deinceps moliantur cognoscere cupit. Prodit nuntius, quamvis inivitus, eos ad singulare certamen accingi. Eteoclem enim, stantem in turri, indicto per praeconem silentio, professum velle se, sublato communi periculo, solum cum fratre dimicantem litem dirimere, hac lege, ut victor quidem retineret, victus autem fratri traderet imperium: quod verbum et Polynicis assensu et exercitus applausu comprobatum esse. Itaque foedere icto, dato et accepto iureiurando, fratres, nil mutato vultu, corpora munire armis coepisse, adstantibus utrique amicis et voce adhortantibus; vates interim ovibus mactatis ex flamma atque extis omina cepisse. Iam tu, inquit nuntius, si quid habes remedii aut orationis aut incantamenti, proficiscere et ab atroci certamine liberos retrahe, ne geminis filiis hodie orberis.

Merito veteres non tantum philosophiam Euripidis, verum etiam multiplicem rerum tum publicarum tum domesticarum scientiam cum artium usu et rei militaris prudentia admirati sunt: quicquid enim attingebat carminibus sic tractabat, ut docere peritissimos posse videretur. Praedicavit hanc ingenii varietatem et omnium rerum magnarum atque artium scientiam auctor epigrammatis, quod T. I. p. 284. transcripsimus; commemorarunt grammatici et vitae scriptores; obtrexavit ei et maledixit Aristophanes Ran. vv. 971—991. Disciplinae autem militaris scientiam Euripides cum omnibus certaminum imitationibus tum iis, quae huic insunt dramati, prodit seque hac in re non inferiorem Homero praestitit. Sed animi virtute et consilio magis, quam vi corporis, rem militarem procedere intelligens, imperatorem fecit praesenti animo ducis officiis strenue fungentem, non uni portarum appositum manus fortitudine cum reliquis certantem. Quemadmodum autem Homerus Hectoris certamen et Achillis a reliquorum heroum proeliis, sic noster fratrum certamen a communi exercituum pugna segregavit et vehementius animos com-

*) Homeri et Aeschyli his inest imitatio; cf. schol. v. 1194.

movit eo, quod etiam matrem et sororem fecit fini illius certaminis intervenire. Accepto enim nuntio Iocaste pavore consternata Antigona ex aedibus evocat iubetque puellam timidam misso pudore in mediam virorum armatorum turbam secum contendere, ut coniunctis precibus a saevo conatu fratres filiosque retrahant. In Antigonae moribus describendis naturam muliebrem verissime expressit, timidam pavidamque in parvis, fortem invictamque in iis, ad quae vel amore vel pietate impelluntur, decoris servandi ne in turbidis quidem rebus facile obliviscentem, eandem, ubi acriore aliquo affectu vehementius abripiatur, etiam quae summa esse antea duxerit negligentem. Profectis his feminis, chorus horrorem et commiserationem verbis numerisque aptissimis declarat. „Geminae belluae, sanguinariae animae, vibratis hastis mox sua invicem corpora cruentabunt. Uter utrum prostraverit? O diram caedem Furiis effectam!”

Interea Creon filii funus curabat, gloriosa quidem, sed acerba interfectum caede manibus tollens: ad quem una lavandum componendumque dum Iocasten evocaturus est, cognoscit quae interim gesta sunt; iamque adest nuntius, qui mutuam germanorum caedem et matris iis immorientis fatum exponat. Aiantis et Hectoris certamen Euripides in hac narratione imitatus est; cf. Il. VII, 200 seqq. Cum in medio utriusque exercitus constitissent duo Oedipi filii, precati sunt alter Iunonem Argivam, alter Minervam, ut in fratris pectore ferrum condere liceret. Deinde ad sonum tubae saevo impetu alter in alterum irruit more aprorum acuente genas, spuma madidi, et miserunt hastas clypeis caute corpora tegentes, ut eluderent ictum, oculosque scutorum foraminibus admoventes. Interim copiosior iis, qui spectabant, quam iis, qui pugnabant, sudor prae metu manabat. Forte Eteocles, in lapide offenso pede, extra clypeum posuit vestigium, quod animadvertens Polynices tibiam hasta transfixit, et plauserunt Argivi. Interim ille nudatum Polynices humerum videns ferrum impexit et transfixisset pectus, nisi fracta in cuspide esset hasta: qua destitutus retro tulit pedem et saxo correpto missoque hastam fratris mediam fregit. Aequato igitur

rursus Marte cominus congressi sunt cum strictis gladiis, et magnum civerunt, dum circumaguntur, pugnae tumultum. Tum Eteocles Thessalum usurpavit commentum: sinistrum enim pedem retro ponens, dextrum autem protendens per umbilicum ensem demisit et ad spinam usque adegit, simulque corruit Polynices sanguinem effundens; sed mentis etiamtum compos, dum spoliat eum Eteocles abiecto ferro, pectus huius gladio, quem tenebat, perfodit. Sic iacet alter apud alterum terram mordicus arripientes, neque partiti sunt imperium. Interim infelix mater cum sorore accurrit et in corporibus morientium corpora demiserunt plorantes ac dicentes quae in tanto luctu dicenda fuerunt. Ibi Eteocles quidem grave suspirium e pectore ducens et manum porrexit languidam et lacrimis amorem significavit; Polynices autem etiamtum spirans, matrem et sororem et fratrem commiseratus, oravit, ut sepulcro in patria terra afficeretur; tum matris manu luminibus clausis valedicens exspiravit. Mater autem ense e cadavere tracto iugulum perfodit, et media manibus utrumque complexa procubuit. Inde controversia orta est inter Argivos et Thebanos, alteris Polynicem, alteris Eteoclem vicisse contententibus; ac Thebani, quum armati certamen spectassent, occuparunt hostes repente invadentes, fugatisque Argivis et magna caede facta tropaeum constituerunt. Itaque iam pars eorum spolia portantes, pars Antigona cum cadaveribus comitantes ad urbem revertuntur.

Duplex haec pompa in scenam prodit, cum lugubri cantu agmen Antigona ducente, quae, excutiente dolore pudorem, Bacchae instar abiecto velo, remissa veste, nuda cervice et lacertis*), funestam contentionem, tria consanguineorum funera, domum funditus perditam deplorat. Quis unquam mortalium tantam malorum molem perpessus est? Quae avis ramis arboris insidens querelis orbatæ succinet, cui in perpetuis lacrimis vita transigenda

*) Fuerunt haec omnia histrionum caussa monenda; cf. T. II. p. 187 seq. Errat igitur scholiasta in iis, quae ad v. 1485. scripta sunt: ἀπεπῶς εἰςβέβληκε καὶ οὐ παρθενικῶς. Τίνι γὰρ ἄλλῳ ἀπολογεῖται, εἰ μὴ τῷ θεάτρῳ;

erit? quemnam mortuorum primum comis spargat, matrisne ubera an vulnera fratrum? In hac luctus vehementia senem coecum ac decrepitem puella miserrima clamoribus ex domo provocat: qui ex tenebricoso cubiculo solus sine duce progressus*), baculo innixus, umbrae quam corpori similior, diram calamitatem sua ira effectam vix cognovit, cum patria excedere per Creontem, minime quidem impium, sed responsis Tiresiae parentem, iubetur. Voluit Euripides irae insanæ atque intemperantis fructum exemplo quam maxime insigni ostendere. Haec enim ira malorum, quaecunque in hac tragoedia eveniunt, omnium causa fuit; et poenituit eius Oedipum ipsum, sed sero. Multum diversus hic est Oedipus ab eo, quem in altera Oedipi fabula Euripides effinxerat. Vituperant eum accusantque omnes, ne Iocasta quidem excepta, et acerrime Tiresias. Plane a vero aberrarunt et longissime a voluntate Euripidis intelligenda alieni fuerunt qui abundare Oedipi personam opinati sunt, id quod praeunte eodem grammatico, qui *τειχοσκοπίαν* et introitum Polynicis imprudentissime vituperavit, recentiorum multi creduli affirmarunt. Oedipus, ut princeps auctorque fuit rerum, quae evenerunt, ita necessario interest epilogo, quo quasi ratione ducta res consummantur atque absolvuntur. Non fuit Euripides numero eorum poetarum, qui portentis animos spectatorum terrerent, quum ex remotis quibusdam causis, velut scelere aliquo proavorum, mala repeterent et repeti poenas a filiis, a nepotibus, a posteris insontibus fingerent. In pectore uniuscuiusque fontem tum bonorum tum malorum esse censebat, neque magis prosperitatem vitae et externas commoditates, quam virtutem, diis acceptas referendas esse, neque culpam culpae insciis necessario annecti iis, qui imperare sibi et moderari cupidini didicissent, neque calamitates et infortunia, ut peccatorum supplicia, ex ira deorum neque felicitatem prosperitatemque, ut praemia probitatis, ex favore numinum

*) Schol. ad v. 1539: *τάχα δὲ πάντες (θεράποντες) ἐξῆλθον θεαταὶ γενέσθαι τῶν παρόντων κακῶν· διὸ μεμονωμένον θεράποντος τὸ Οἰδίποδος πρόσωπον ἕξεισιν.*

repetenda esse, aut etiam animi perturbationem et libidinem iisdem auctoribus imputandam; nimios autem affectus gravissimam esse pestem vitae mortalium, quos regere in nostra situm esse potestate. Longe igitur Euripidis Oedipus, tum probus ille et constans, tum intemperans hic insanusque, a Sophocleo Oedipo diversus est.

Iniqua fortuna se ab infantia usum et deorum ira ad scelera compulsam esse Oedipus queritur. Sed quid ei succumbere isti iniquitati et patrare scelera magis necesse fuit quam aliis plurimis, qui laqueos istos daemonum vel declinaverunt vel ruperunt? Liberis per insaniam interfectis miserrimus fuit Hercules, sed non noxius, et potuit magno animo fluctus infortunii eluctari. Amore exitiabili affecta Phaedra nihilominus, quod mori quam peccare maluit, incestum vitavit; denique alter ille Oedipus, quod invitus patrem interfecerat insciusque cum matre concubuerat, haud multo miserior fuit cognito errore, quam fuerat antea, cum illo teneretur: vacuus enim fuit culpa neque irae obtemperans aut oculos sibi effodit aut execratus est filios.

Eteoclis deinde mandata edens Creon Polynicem iubet insepultum eiici, Antigona autem misso luctu intra aedes se recipere, ut Haemoni nubat. Inde egregium nascitur diverbium, quo Antigone, ut est dolore ad obnitendum incitata, firmum consilium tum humandi fratris tum aspernandi nuptias tum comitandi patris declarat. Quaesitum est iam a veteribus*), quomodo fieri potuisset, ut Antigona, patrem continuo abeuntem comitata, eadem fratrem relictum apud Thebas sepeliret. Finge igitur Oedipum statim, cum deductus Athenas fuisset, liberatum errore de vita decessisse, aut, egresso extra fines terrae Thebae patre et in religioso aliquo loco collocato, virginem clam noctu ad humandum fratrem redisse. Altercans cum Creonte Antigone negat iure puniri eum, qui, si quid peccarit, morte luerit; negat mortuos ullo modo violandos esse: quamobrem se, etiamsi una moriendum sit, iusta ei pie persoluturam. Per vim deinde a cadavere

*) Cf. schol. ad v. 1692.

abstrahere Creon conatur obtestantem, ut saltem pulverem iniicere, vulnera obligare, abluere corpus et exosculari liceat: quod infaustum nuptiis esse dicente Creonte, illa iuramento affirmat se, si filio Creontis nubere cogatur, Danaidum unam futuram: quibus perterritus minis hic eam abire patitur. Cum patre enim et exilium et mortem toleratura est, illud non dedecori sibi, sed gloriae esse intelligens. Contrectans deinde manu cadavera Oedipus oraculi reminiscitur, quo in delubro dei equestris prope Athenas mors ei portendatur. Manum igitur porrigente filia ac dirigente gradus, senex coecus simulacri instar fluxus caducusque, quondam clarissimus victoria Sphingis, patria excedit.

Patheticum hoc est drama, id quod veterum quidam grammaticorum notavit: *περιπαθεῖς ἄγαν αἱ Φοίνισσαι τραγωδία**). Idem illud argumenti ditissima copia et personarum multitudine et sententiarum praestantissimarum crebritate et scenici apparatus cultusque varietate atque amplitudine excellere testantur: ἔστι δὲ τὸ δράμα καὶ πολυπρόσωπον καὶ γνωμῶν πολλῶν μεστὸν καὶ καλῶν — ἔστι ταῖς σκηρικαῖς ὄψεσι καλὸν τὸ δράμα. Quarum laudum de extrema hodie difficile est indicare; sed videtur tum turris, ex qua in hostium castra Antigone prospiciebat, tum peregrinus chori habitus tum pompa spoliolorum ex proelio relatorum habuisse quod adverteret spectatores oculosque teneret. Haec autem omnia necessaria fuerunt, ut fastidium spectatorum, duobus iam tragoediis fatigatorum, vinceretur. Componentes hoc carmen cum Aeschyli dramate eandem materiam tractantis, quantum ars tragicorum poetarum profecerit, intelligimus. Apud hunc enim per unum actorem modo cum choro sermones conserentem modo nuntii audientem relationes modo consilia sua declarantem pleraque transiguntur, quae forma orationum a continua narratione per rhapsodum aliquem recitata haud multum differt. Euripides vero numero personarum tanto est usus, ut, quomodo tres actores suffecerint, difficile sit explicatu. In quam rem qui nuper inquisiverunt, hos fugit quod in scholiis ad v. 93. memoriae

*) Vulgo τῆ τραγωδία.

est proditum, ab uno histrione Iocastae et Antigonae personas actas esse et interposita esse hoc consilio paedagogi verba: *ἐπίσχες, ὡς ἂν προὔξερεννήσω στίβον*, ut copia interim esset mutandarum personarum histrioni. Atqui quum Iocasta atque Antigona, priusquam ad locum, in quo pugnatur, abeant, una in scena versentur, planum est ibi, quoniam paucissima huic dicenda fuerunt, secundum aut tertium actorem successisse, et errare omnes, qui pluribus actoribus unam personam commendari potuisse negent.

Aucto personarum numero chori munera necessario imminuta sunt. Neque tamen a vera ratione descivit Euripides, ut aliena et ad argumentum nihil pertinentia carmina dramati insereret, id quod schol. Arist. Acharn. 442. falso exprobravit, et iterarunt imprudenter, ut pleraque, recentiores: *εἰσάγει τοὺς χοροὺς οὐ τὰ ἀκόλουθα φθεγγομένους τῇ ὑποθέσει, ἀλλ' ἱστορίας τινὰς ἐπαγγέλλοντας, ὡς ἐν ταῖς Φοινίσσαις*: quae satis iis, quae supra disseruimus, refutata sunt. Sunt autem quibus non satisfaciat chorus intercinens quae conducant proposito et haereant apte, nisi etiam more proctophantasmistae, qui est apud Goethium, singula, quae geruntur, examinata vel probet vel reprehendat:

Ei, der ist eben überall!

Was Andre tanzen, muß er schätzen;

Kann er nicht jeden Schritt beschwätzen,

So ist der Schritt so gut wie nicht geschehen.

Multis nominibus mancum, rude, inconditum Aeschyli carmen esse apparet. Nulla enim per magnam tragoediae partem fit caussarum commemoratio, nulla fraternae discordiae mentio, nulla iniuriae ab alterutra parte illata expositio, nulla impii vel nefarii cuiusquam facinoris indicatio. Sola belli administratio urbisque oppugnatae defensio ostenditur, et proponitur species imperatoris officiis suis strenue, fortiter prudenterque satisfaciens; laudantur ducum utriusque exercitus virtutes, animus uniuscuiusque ad vincendum occumbendumque aequè paratus praedicatur: ubi cum ultimo loco eorum, qui portas invasuri essent, Polynices nominatus esset, Eteocles, cognita illius

cum fratre congregandi voluntate, adversus eum, quasi sorte ad id delectus sit, consistere decernit, nulla cogente necessitate. Potuit enim alium, quem vellet, ei portae, quam frater oppugnaturus erat, praeficere et magis decuit imperatorem moenia obire atque adesse laborantibus, quam uno stantem loco parem se reliquis praestare. Pugna eventum habet eum, quem dedit tum corporis tum animi virtus, nullo divinitus allato momento, praeter mutuam fratrum caedem. Contra Euripides non in sola bellica virtute illustranda neque in imitando armorum conflictu, proeliantium tumultu, trepidatione incolarum elaboravit. Idem perspicuitati summa cum diligentia studuit et exposuit non minus priora quam posteriora, ab Aeschylo vel neglecta vel carptim obiterque commemorata, et chori munera, quoniam difficilius percipiuntur quae canuntur quam quae dicuntur, attenuavit. Tum operam dedit causis rerum omnium explicandis, utque necessario evenire viderentur quaecumque evenirent curavit: qua in re adiutus est ea, qua valebat, affectuum imitandorum facultate, velut fraternae caedis cupidinem non temere in animis fecit gigni neque caedem ipsam fortuito occursum patrari. Denique nullam argumenti partem reliquit obscuram et quasi pictor diligens accuratissime effinxit et quae coram in propinquo spectarentur et quae procul prospicerentur. Ad repraesentanda autem ea, quae extra scenam aguntur, uberioribus usus est nuntiorum relationibus, epicam operis partem dramaticae lyricaeque adiiciens. Eae autem relationes tantae sunt praestantiae, ut non minus quam vehementissimae disputationum contentiones theatrum teneant; cf. schol. ad v. 1402. Contra in Aeschyli imaginibus, etiamsi non abscinditur, tamen negligitur prospectus; exauditur quidem armorum strepitus, quasi obscuro sono per moenia penetrante, proelia autem ipsa non describuntur; afferuntur corpora mortuorum, caedes autem ipsa non depingitur.

Sic Euripides, cum longe diversum ab Aeschyli ratione consilium inisset, non mediocrem laudem consecutus est, neque in iis ipsis, quae hic praeoccupaverat, bellicis

rebus administrandis, levis visa est eius auctoritas sum-
mis viris Polybio atque Augusto, quorum hic sententiam:

ἀσφαλῆς γὰρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης,
saepius usurpavit, ille Demetrium ad fugam impellens usus
est hocce versu:

ἴσον φέρει νύξ, τοῖς δὲ τολμῶσιν πλέον.

Contra recentiorum ii, qui nil rectum esse, nisi quod
aut Aeschylus aut Sophocles invenisset usurpassetque, opi-
nabantur, vituperarunt copiam argumenti uberrimam et ob-
trectarunt laudi praestantissimae, constipata esse in unum
drama plurium argumenta et sollertiae laudem prava arte
quaesitam esse arguentes. Hi vituperatores, cum misere-
ret eos egestatis aemulorum, malignitatem obtrectatorum,
quos Cicero perstrinxit, aemulati sunt, qui, „quum ob-
ruerentur copia sententiarum atque verborum, ieiunitatem
et famem se malle, quam ubertatem et copiam dixerunt,
sed brevi conticuerunt, paene ab ipso foro irrisi” (Cic.
Tusc. II, I.).

Cum hieme anni 408 acta haec fabula esset, aestate
anni 406 nocte, quae praecessit pugnam apud Arginusas
factam, Thrasyllus, Atheniensium imperator, visus sibi
est in somnis plenissimo theatro hanc tragoediam ipse
cum sex collegis agere, Supplicum Euripidis fabulam ad-
versariis agentibus, et videre victoriam quae diceretur
Cadmeam evenire, morientibus omnibus, qui septem illo-
rum ducum vices tenerent; cf. Diod. XIII, 97. Ex hoc so-
mnio quam graviter populus, quum primum spectaret, hoc
dramate affectus sit, aestimare licet. Et admirati esse
Athenienses adeo traduntur, ut ne Aristophanes quidem
ei auderet obtrectare, sed silentio eam praeteriret eo loco,
quo Aeschyli septem contra Thebas laudans occasionem
nactus erat maledicendi imitatori*). Neque irridendi Eu-
ripidis causa Phoenissas comoedias aut ab Aristophane
aut a Strattide, quamvis materiem ab Euripide mutuanti-

*) Schol. Ranar. Aristoph. v. 53: ἐπειδὴ οὐ συνοφαντέα ἦν
τοιαῦτα.

bus, editas fuisse pridem intellectum est a viris doctis, qui huic rei scrutandae operam dederunt*). Quanti autem omni tempore aestimata sit, nisi diceretur a veteribus interpretibus, posset vel inde colligi, quod et eruditis lectitando et multitudini spectando in theatris familiaris fuit. Pauci enim sunt huius carminis versiculi, quos non aliquis eorum, quorum scripta exstant, vel operi suo intexuerit vel imitando reddiderit vel aliquo modo respexerit, quos scriptorum locos singulari diligentia Valckenarius collectos commentario, quem scripsit, inseruit. Reprehenderunt quaedam grammatici Alexandrini, qui Aristophanem plus aeque admirabantur, id quod cum aliis ex vestigiis tum ex verbis ad v. 1539. scriptis intelligitur: *Ὅλωσ ἐν πᾶσιν Εὐριπίδης πτωχοποιός ἐστι, καὶ νῦν ὁ Οἰδίπους οὐδὲ ὀδηγὸν αὐτῷ ἔχει ἐν τῇ πατρίδι ὄν, ἀλλὰ μόνος ἐκπορεύεται ἑαυτὸν ὀδηγῶν.* Quorum auctoritatem neque Morus sequi (de Eur. Phoen. Lips. 1771.) neque G. Hermannus debuit, quorum hic vituperandi libidini liberius indulsit. Non minore apud Romanos, quam apud Graecos, hoc drama gloria, Attii versione divulgatum, floruit. Imitatus est inter eosdem Stautius et Seneca. Ex recentioribus, qui honestum de Phoenissis iudicium fecerint, duos instar omnium nomino, Hugonem Grotium et Schillerum. Quorum ille et Latine vertit et prolegomenis instruxit, quibus hanc optimam Euripidis tragoediarum esse censuit. „Utraque,” inquit, „virtute, qua praestare Euripidem diximus, sententiarum prudenti inventionem et vi movendorum affectuum, imprimis misericordiae, quantum ille alios vincit, tantum eius alias tragoedias a Phoenissis vinci et veteres critici notant et

*) Vide Bergk. Aristoph. fragm. p. 279., Welckerum p. 563. De Stratridis fragm. vide Casaub. ad Athen. p. 357 seq. et Valck. ad Phoen. v. 463. et 549. Harum imitationum alterutram Latine verterat Naevius, quod colligo ex fragm. apud Festum servato s. v. scirpus:

„Sume arma: iam te occidam clava scirpea.”

Vide Fest. ab Odofr. Müllero editum p. 330. et Bothium in poet. Lat. scen. fragm. p. 90.

res ipsa loquitur. Ego in carcerem coniectus ab his, qui me ignorabant, post sacras meditationes existimavi remedium mihi posse aliquod et a tragoedia praestari, quam affectuum non tantum movendorum, sed et movendo purgandorum caussa institutam a summis magistris proditum memineram. Itaque tragoedias alias quidem legere, hanc supra alias eximiam et vertere institui." Igni spectata esse carmina arbitror, quae non tantum otiosis delectationi, sed afflictis quoque et dolentibus solatio fuerint. Schillerus autem non vertit tantum elegantissime magnam huius tragoediae partem, sed etiam totam imitatus est, qua in re dolendum, quod nostrorum obsecundans studiis femineum amorem pro fraterno et simultatem pro regnandi cupidine et privatas pugnas pro bello populorum substituit. Recentissimis temporibus, ex quo lacerari coepit Euripidis fama ab hominibus pietatem et religionem et medii quod dicitur saeculi admirationem affectantibus, impudentissime praestantissimum opus vexatum est. Sed horum inscitiam celare quam arguere satius esse duco.

D. O r e s t e s.

Medium quoddam inter tragicum et comicum genus hoc drama locum tenere veteres interpretes quasi uno ore monuerunt, et adiecerunt parem esse huius et Alcestidis dramatis naturam, ex numero autem tragoediarum, quae proprie dicerentur, utramque fabulam a criticis eximi: cuius exemptionis quam attulerunt caussam, quod ex misero statu in feliciorum res commutarentur, eam non sufficere supra ostendimus*), quo eodem loco quartum in tetralogia

*) Scriptores argumenti: τὸ δὲ δράμα κωμικότερον ἔχει τὴν καταστροφὴν. — ἰστέον δὲ, ὅτι πᾶσα τραγωδία σύμφωνον ἔχει καὶ τὸ τέλος· ἐκ λύπης γὰρ ἄρχεται καὶ ἐς λύπην τελειούται· τὸ παρὸν δὲ δράμμά ἐστιν ἐκ τραγικοῦ κωμικόν· λή-

locum huic dramati assignatum fuisse, qui locus proprius satyricis erat, docuimus.

Nullae ergo res magnificae, sed privatae ac vulgaris vitae imago statim in principio dramatis in conspectu ponitur, et quasi discincti homines domesticisque tecti vestibus conspiciuntur. Argis ante domum Agamemnonis scena dramatis constituitur; ostenditur Orestes aegrotus in cubili decumbens et soror sextum iam diem lecto assidens curis atque vigiliis ipsa confecta, dum ille formidinum terrore exanimatur. Mirum est sub dio degere aegrotum et in publico lectum collocatum esse; sed habet excusationem, quod furor Orestis eum in domo manere non patiebatur. Ceterum hoc, quod secum ferebat consuetudo, qua foris omnia agi fingebantur, minime mirati sunt veteres; at in eo haeserunt, quod non ad caput Orestis, sed ad pedes, Electra sederet: propius enim, inquirunt, consideret et curare commodius posset, si ad caput collocata esset. Caussam tamen afferunt, qua hanc sedem excusent: propius eam partem, a qua chorus intrabat, considendum ei ideo fuisse, ut facultas esset silentium choro statim cum intraret suadendi, ne Orestes, qui vix paullo ante somnum capere coepisset, expergisceretur. Haec in argumento priore scripta inveniuntur, quae profecto non magni sunt acuminis indicia. Theatro officeret Electra ad caput sedens aegroti et vultum eius corpore suo tegens, id quod vitandum fuit, praesertim reliquo illius corpore velato.

Quiescente igitur tandem Oreste, qui gravissimo malo cruciatur, Electra rerum statum exponit exordio utens satis magnifico:

γει γὰρ εἰς τὰς παρ' Ἀπόλλωνος διαλλαγάς, ἐκ συμφορῶν εἰς εὐθυμίαν κατηνητηκός· ἢ δὲ κωμωδία γέλωσι καὶ εὐφροσύναις ἐνύφανται. Eadem paene ad v. 1686. scripta sunt, et praeterea haec adiecta: ἀλλὰ καὶ ἐν Ἀλκίτιδι ἐκ συμφορῶν εἰς εὐφροσύνην καὶ ἀναβίωσιν καὶ ὁμοίως καὶ ἐν Τυροῦ Σοφοκλέους ἀναγνωρισμὸς κατὰ τὸ τέλος γίνεται, καί, ἀπλῶς εἰπεῖν, πολλὰ τοιαῦτα ἐν τῇ τραγωδίᾳ εὕρισκεται. Adde quae p. 400. exposuimus.

*„Neque tam terribilis ulla fando oratio est
Nec sors nec ira coelitem invecum malum,
Quod non natura humana patiende eferat,”*

quae verba revocata a Socrate esse, quum forte in theatro adesset, tradunt. Et sunt revera gravissima, quum et gentis Tantalidarum fata et omnium tragoediarum argumenta describant. Tantalus enim intemperantis linguae peccatum luens per aerem fertur, saxo vertici imminente; Thyestes suorum liberorum viscera gustavit, a fratre Atreo apposita; huius filius Agamemnon ab uxore adultera interfectus est: quod ulciscens scelus Orestes, suadente Apolline, adiuvante et Electra et Pylade, matrem occidit facinore nequaquam apud omnes decoro. Inde miser immani tabescens morbo in cubili iacet, materno sanguine furorem excitante et agitantibus eum Furiis. Sextus iam dies est, ex quo iugulata mater et rogo corpus illatum est, quo tempore ille neque cibo recreatus neque lavacro purgatus in lecto cubans amiculis involvitur; remittente se interdum morbo lacrimat aut e cubili prosiliens equi instar iugo liberati circumagitur. A civibus autem aqua ignique parricidis interdictum est, arcentur colloquio, atque etiam capitis supplicium intenditur. Haec est dies praefinita, qua capitale periculum subeundum est, decernentibus Argivis, ut aut lapidibus obruantur aut gladium iugulo admoveant. Una relinquitur spes, fore ut Menelaus, qui modo ex Troia reversus in portum Nauplium naves deduxit, suscepto patrocinio periculum propulset. Helenam ille, malorum caussam, noctu ad urbem praemisit timens, ne quis eorum, quorum liberi apud Ilium occubuerunt, conspectam lapidibus impeteret: quae intus commoratur cum filia Hermiona, quam Clytaemnestra educavit, et calamitatem domus deplorat.

Communis vitae imaginem, malorum talium, qualia accidere etiam humilibus solent, et morum vulgarium imitationem vides; adest aegrotus in lectulo cubans, adest cognata, quae curet, instat iudicium forense et periculum capitale homicidis; femina nobili loco nata, adulterii rea et communis caussa malorum, dum odium popularium atque etiam contumeliam veretur, palam in publicum prodi-

re non audet; denique socco, quam cothurno, digniorem vides materiam. Sed non levibus malis ii, quorum sors agitur, laborant; non leves neque contemnendi ii ipsi sunt, qui laborant. Clarissimo imperatore per nefarium scelus ab uxore adultera, quum post longam absentiam maximis rebus gestis domum reversus esset, interfecto, filius eius, sive quod oraculis deorum iubebatur, sive quod more a maioribus tradito sibi, ut haeredi bonorum regniue paterni, officium illius ulciscendi iniungi arbitrabatur, certe nulla vitiosa cupidine adductus, sed tristi cuidam parens necessitati, poenas caedis paternae a matre exegit eam interficiendo. Propter quod factum si quo supplicio afficiendus est, certe non a civibus, quorum instituta defendit, decernendum. Antigona, cum fratrem invito rege sepeliret, fecit quod natura iubebat, leges vetabant; Orestes, quod patrem ultus est matrem interficiendo, fecit quod concedebant leges, sed contra naturam est luce privare eos, a quibus ipse lucem acceperis. Itaque Antigona non recusavit, quominus poenam, quam rex statuerat, subiret; ceterum hic, quod legem naturae contrariam proposuerat, a diis punitus est; Orestes a Furiis, id est angore conscientiae fraudisque cruciatu, merito ac necessario exagitur, ceterum iure recteque sperat fore, ut intercedente deo, cuius iussu legibus satisfecerit, ab illarum comitatu aliquando liberetur; ad cives vero animadversio huius sceleris minime pertinet, qui, si utique quae non sunt ipsorum potestatis curare volunt, praemio afficere Orestem debent, quod cum suo incommodo mores institutaque publica tutatus est, non aures praebere calumniatoribus neque obtemperare factiosis ambitiosisque hominibus illius infortunio ad occupandum principatum transferendumque in suam domum regnum abutentibus. Iunius Brutus et Manlius Torquatus, quod legum caussa filios interfecerunt, non modo non reprehensi sunt a civibus, sed etiam laudati. Atrocius est parentes a liberis quam liberos a parentibus interfici; sed nihilominus Homerus laude dignum Orestem esse iudicavit et imitandum Telemacho: defuncto enim patre rege filius haeres vitae necisque in

snos potestatem habebat. Quod si Orestem functum officio, in quo aequatae essent pietatis impietatisque rationes, liberum ab aliis poenis, solis Furiarum cruciatibus vexari videremus, quamvis hos necessarios esse cruciatus intelligeremus, tamen esset quod misereremur; quod autem eundem languidum corpore aegrumque animi ambitione propinquorum et iniquitate civium circumveniri, quod prostrato a diis crudeliter homines insultare videmus, id vero indignum atque acerbum est!

Menelai et Helenae culpa in has Orestis miseras devenit. Vir uxorius et mulier adultera inter se nequitia certant. Helena, qualis est natura hominum nil perinde atque voluptates curantium, nil certi sequitur, neque damnat factum neque probat, miseretur interfectae sororis neque tamen vitat colloquium parricidarum*). Ad quos dum prodit, miserationem quandam tum iuvenis aegroti tum virginis connubio carentis et cum fratre laborantis prae se ferens, rogat Electram, quasi sensu humanitatis destituta, ut ad tumultum Clytaemnestrae pro se comae primitias et inferias ferat: ipsa enim palam se Argivis ostendere veretur. Suadente autem Electra hoc deinde munus Hermionae mandatur**). Extremos crines caute, ne conspicua sit iactura, desecat Helena, quos cum libamine tradens filiae, iubet eam pro se simul et coniuge atque etiam pro interfecto preces facere et se manibus sororis, quod non ipsa inferias rite mittat, excusare. Electra, animadversa mulieris, quae et ipsam et Orestem et universam Graeciam malis affecit, mollitie, merito eam exsecrat dicitque illud, quod in Alcibiadem Plutarchus transtulit:

*) Anceps Helenae ingenium et ambigua verba notavit scholiasta. Contemptum verborum inanium Electra prodit v. 81: *Ἐλένη, τί σοι λέγοιμ' ἃ καὶ παροῦσ' ὄργῃς*; de quibus videnda scholia; adde quae ad vv. 71—80. 108. et 121. scripta sunt.

***) Haud decere virgines in vulgus prodire dicens Helena, nihilominus Electrae iniungit id, quod Hermionae honeste iniungi posse negat, quasi hanc pudore carere necesse sit.

„Est eadem illa, quae ante fuit, femina” (ἔστι δ’ ἡ πάλαι γυνή)*).

Ab hoc tempore ad reditum Hermionae tantum intercedit spatium tantumque peragitur rerum amplissimarum, ut a veritate commenticius temporis decursus nimis videatur abhorrere. Quod incommodum vitari potuit, si alio loco hoc colloquium insertum esset. Sed nimirum noluit Euripides graviorum rerum seriem interpellatione aliena interrumpere, et plus dedit lucidi ordinis venustati quam notandi temporis subtilitati.

Appropinquante caterva virginum familiarium Electra timens, ne somno frater excitetur et redintegretur furor, anxie monet, ut suspenso gradu incedant sine strepitu, sine vestigiorum sonitu, et procul a lecto stent. Submissa igitur voce canunt mulieres valetudinem Orestis sciscitantes: quem sero tandem in somnum incidisse et spirare tenuiter et cum gemitu audientes, ubi vel paullulum corpus commovet, communiter cum Electra pavent, ne dulci privatus sopore oculos aperiat miser, quem fallaci deus oraculo deceptum perdidit. Precatur Electra: „O alma nox, quae somnum aerumnosis mortalibus tribuis, adsis ex Erebo, veni volucris in Agamemnonis domum, ne doloribus et calamitate pereamus.” Quum cibo sextum iam diem abstineat Orestes, mors manifesto imminere videtur; Electra vero, caelebs, orba, prole carens, luctu et lacrimis absumitur. Sic Clytaemnestra et patrem et liberos et semet ipsam perdidit.

Hoc mollissimum ac dulcissimum carmen, verissimam continens piae sollicitudinis imitationem, cum pari fere spectatorum atque chori miseratione solitum in theatris cantari, ex frequentiore scriptorum laudatione coniecere licet. Moduli musici quales ei accommodati sint, Euripides ipse dicit, vocem tenuem, submissam, retusam (ὑπόροφον gedämpft) postulans. Accedit nota scholiastae (v. 179): τοῦτο τὸ μέλος ἐπὶ ταῖς λεγομέναις νήταις ἄδεται

*) Schol. v. 129: ἐλέγχει δὲ αὐτὴν, ὅτι οὐδὲ τοῖς ἀμαρτήμασι σεσωφρόνισται, ἀλλ’ ἐν τοῖς ἡθροῖσι μεμένηκεν. Ad theatrum conversa haec dicit Electra; cf. T. I. p. 323.

καὶ ἔστιν ὀξύτατον. ἀπίθανον οὖν τὴν Ἠλέκτρον ὀξεῖα φωνῇ κεχοῆσθαι, καὶ ταῦτα ἐπιπλήσουσιν τῷ χορῷ· ἀλλὰ κέχρηται μὲν τῷ ὀξεῖ ἀναγκαίως, λεπτότερον δὲ ὡς ἐνι μάλιστα. Item Dionysius Hal. (compos. verb. c. 11.) hoc utens exemplo non eosdem esse cantus et orationis accentus ostendit: intendi enim in cantu voces, quae in oratione inclinarentur, invicemque inclinari quae in hac intenderentur, ut acuta vox in locum gravis et gravis in locum acutae succederet.

Duobus verbis Euripides in hoc carmine significavit, quid de facinore Orestis sentiret, idemque veteres omnes conspirantes sentiebant: esse, ait, matrem a filio iuste quidem, sed infeliciter interfectam: δίκη μὲν, καλῶς δ' οὐ. Hanc enim vim esse vocis καλῶς versiculus, qui est in Iphig. Taur. 546., ostendit: ὡς εὖ κακὸν δίκαιον εἰς-επράξατο. Bene fecisse ait Orestem, quod, ut patrem ulcisceretur, ne matris quidem vitae pepercisset: sed miserum esse, quod satisfacere officio non nisi violata pietate potuerit. Pulcra sunt eadem, quae decora, decora autem esse Cicero ait ea, quae consentanea sint hominis excellentiae in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differat: unde patet decora non esse quae pugnent cum humanitate. Inhumane contraque naturae legem fecit Orestes, sed non violavit leges reipublicae, et obedivit voluntati eius dei, cuius auctoritate rata fiunt iura civitatum. His enim legibus cum haereditate bonorum simul ultionis haereditas a patribus ad filios tradebatur: quam ultionem si quis non poterat per iudicia obtinere, poenam sua manu exigere debebat. Quamobrem Orestes, ut non obnoxius civibus erat, ita a Furiarum cruciatu sive conscientiae angore ne ab Apolline quidem, cuius est certarum civitatum iura cum communibus, sive humanis divinisque, conciliare, liberari potest sine reliquorum deorum, certe Minervae, summi Iovis vicariae, auxilio atque interventu: qui dii, quum traditis moribus institutisque facinus immane condonant, scilicet illorum volunt auctoritatem servandae societatis humanae caussa tantam esse, ut, etiam si quis contra naturae legem illis paruerit, ignoscendum esse discernant.

Expergiscitur deinde ex somno Orestes cum verbis lenissimis: „O gratum somni oblectamentum, morbi levamen, quam dulce mihi recto tempore venisti! o alma oblivio malorum, quam es opportuna et optabilis afflictis dea!” Quærit deinde, quomodo huc venerit, priorum ignarus. Allevat corpus aegroti soror, spumam ore oculisque abstergit, comam squalentem vultu demit, tum rursus in lectum reclinat in remissione furoris infirmum, rursusque erigit impatientem status omnis et vicissitudinis cupidum. Mox in solo vestigia ponit Orestes, ut opinione sanitatis recreetur. Tum solatium aliquod aegritudinis se afferre credens Electra Menelai adventum commemorat*). Gaudet Orestes lucem sibi affulsisse virum et sanguine et beneficiis patris iunctum**); sed repente Helenæ dedecore dedecus matris et supplicium de ea sumtum in mentem revocante, in furorem recidit, distortuens oculos clamansque: „O mater, obsecro, ne immittas mihi sanguinolentas virgines, serpentibus horridas: iamiam enim propius irruunt. O Phoebe, necabunt me truces, specie canina, inferorum sacerdotes, horrendæ deæ!” Inter hæc dum soror sedare furorem et in lectulum reducere saltantem amplexa studet, ille eam numero Furiarum esse credit et in Tartarum corpus suum demittere velle***). Despondet igitur animum Electra et obvoluto capite lacrimatur. Ille vero arcum poscens, ab Apolline ad arcendas Furias donatum†), certamen sibi mortali cum immortalibus inire

*) Schol. v. 231: διὰ τούτου ψυχαγωγεῖ τὸν ἀδελφὸν ὑπομιμνήσκει τὸν πατρικὸν ἀδελφοῦ καὶ ἐλπίδας ἀγαθὰς ὑποτίθεται διὰ τοῦ θεοῦ.

***) Schol.: προσπαθήστερον δὲ ποιεῖ τὸ δρᾶμα καὶ τὸ πόσῳθεν διαβάλλεσθαι τὸν Μενέλαον, καθὸ ἐλπισθεὶς βοηθῆσαι οὐκ ἐβοήθησεν.

****) Haec respexit Horatius Serm. II, 3, 141. Laudibus extulit hanc totam furoris imitationem Longinus de subl. sect. 15: ἐνταῦθ' ὁ ποιητὴς αὐτὸς εἶδεν ἐρινύας· ὃ δ' ἐφαντάσθη μικροῦ δεῖν θεάσασθαι καὶ τοὺς ἀκούοντας ἠνάγκασεν.

†) Schol. v. 258: Στησιχόρῳ δὲ ἐπόμενος τόξα φησὶν αὐτὸν εἰληφέναι παρὰ Ἀπόλλωνος. Ἔδει οὖν τὸν ὑποκριτὴν τόξα λαβόντα τοξέειν.

videtur*) et fugare tandem e conspectu monstra Apollini inimica. Tum ad sanitatem redit anhelans rursusque ex tempestate serenitatem aspicit**); conspecto igitur moerore sororis consolatur eam mitissimis verbis, accusat autem Apollinem, quod, quum exhortatus sit ad facinus impium patrandum, verbis consoletur, non factis. Et poenitet eum facti: arbitrari se, ait, patrem, si coram illum interrogasset, essetne mater interficienda, multis precibus obsecraturum fuisse, ne in matris iugulum ferrum demitteret, siquidem neque ille lucem recuperaturus et ipse haec mala toleraturus esset. „Quamobrem, inquit, soror, revela caput, mitte lacrimas, quamvis simus miseri. Quando ego in insaniam incido, tu me compesce et mitiga, vicissimque ego te dolentem consolabor. At, o misera, in domum ingressa somno, cibo et lavacro corpus refice: nam si deficias assiduitate, periiimus: te enim solam adiutricem habeo, a reliquis destitutus.” Respondet soror cum fratre se et vivere et mori velle. Ceterum morem gerit suadenti, sed monet, ut interim in lecto maneat tranquillus, etiamsi minus aegrotet: augeri enim morbum, si negligatur***).

*) Oresti tribuendum esse versum 261: βεβλήσεται τις θεῶν βροτησία χειρὶ, docui in praefat. ad Iphig. Aul. p. 28.

***) Multum derisus est Hegelochus histrio ab Aristophane et Strattide comicis propterea, quod γαλῆν pro γαληνά pronuntiaverat: quorum hic in Ἀνδροπορόχαιστη scripserat haecce:

Καὶ τῶν μὲν ἄλλων οὐκ ἐμέλησέ μοι μελῶν,
 Εὐριπίδου δὲ δρᾶμα δεξιότατον
 Διέκναισ', Ὀρέστη Ἠγέλοχον τὸν Κιννάρου
 Μισθωσάμενος τὰ πρῶτα τῶν ἐπῶν λέγειν.

ποῖ ποῖ γαλῆν ὄρω; ποῖ ποῖ, πρὸς τῶν θεῶν,
 γαλῆν γαληνά;

Item Sannyrion in Danae posuerat haec:

Τίς ἂν γενόμενος εἰς ὀπήν ἐνδύσομαι;
 Φέρε', εἰ γενοίμην — — γαλῆ;
 Ἄλλ' Ἠγέλοχός με μηνύσειεν ὁ τραγικός·
 Ἀνακράγοιτ' ἂν οὗτος εἰς ἐχθροὺς μέγα·
 „Ἐκ κυμάτων γὰρ αὐθις αὐτὴν γαλῆν ὄρω.”

***)) κάματος βροτοῖσιν ἢ ἀμέλεια γίγνεται. Vide scholia ad v. 304. extr.

Potestne ullo modo pietas eorum, qui impie fecisse putantur, evidentius depingi? Vix et aegre se Orestes ad interficiendam matrem adductum esse ostendit, Apolline sive opinione officii impellente, et poenitet eum facti, naturali sensu opinionem superante.

Furiarum personas nullas Euripides in scenam produxit propterea, quod partem iis actionum tribuere commode nequibat. Nam philosophiam non obstitisse, Lyssa, quae est in Hercule Furente, ostendit. Ceterum non solum animi angorem et conscientiae cruciatum in illarum locum substituit, sed fecit species earum quasi corporum ab Oreste conspici et imaginem earum quam maxime vividam depingi, ut conspectam a poeta ipso esse putes.

Aegrotorum in lectulis decumbentium, mulierum parturientium, virorum in dolore vulnerum clamantium et plurimarum rerum gravium atrociumque imitationem horrent molles nostrorum et virorum et feminarum animi auresque delicatae et abesse a scena iubent; contra iidem puerili caedium proeliorumque imitatione, cum admoto vestibus gladio homines more puparum corruunt, eximie delectantur. Tanta est saeculorum diversitas.

Postquam se collegit Orestes, Electra autem in aedes se recepit, chorus pro illius salute preces facit et eversionem gentis Tantalidarum deplorat. Hoc carmen imprimis grave et sublime est, naturam Furiarum et miseram Orestis conditionem depingens simulque studium chori ac misericordiam declarans.

Saepius monendum esse videtur, ne scenae tempora eadem, quae veritatis, esse credantur. Etenim Orestes, qui paullo ante languens morbo vix se sustinere potuit, iam firmior factus est, ut ad causam dicendam vires sufficiant. Hic enim actus causae expositionem continet, quacum coniuncta est impeditio argumenti. Venit Menelaus laetus rebusque secundis circumfluens ad afflictos. Qui de fratris morte iam in Maleae promontorio, de Clytaemnestrae autem caede in Naupliae portu certior factus, explorata civium voluntate, regno Orestis insidiari decrevit. Enarrante igitur causam suam Oreste et propter patris summa in eum beneficia fidem eius auxiliumque et

misericordiam implorante, ipse interim nil aliud agit, quam ut opportunitatem exsequendi quam tectissime quae cupit speculetur. Huius quanta in exquirenda Orestis conditione fraudulentia, quam improba in ficti doloris significatione laetitia elucet! quam acerba vituperatio commiserationi ipsi immiscetur! Et postquam fideliter se causam Orestis defensurum esse affirmavit, prudentiam tergiversationi praetextens, derelinquit etiam quae malignissime promisit. Subdolae huius vafraeque naturae signa acuto observavit iudicio Philochorus sive quis alius grammaticorum, et perstringi Spartanos, quorum quasi effigiem proponi personam Menelai, animadvertit; cf. schol. ad v. 361. A primo igitur statim introitu monet malignitatem manifestari: non enim Spartam illum, sed Argos, quasi ad expellendum Orestem profectum esse; verba vero eius omnia suppressa esse; invidere eum vitam Oresti quasi nimiam felicitatem: id enim significare, cum *εὐτυχοῦντας* pro *σωζομένους* (v. 363.) dicat; improbam ei caedem esse videri quae pro pia habenda sit (v. 363. 366.); importune acerbique eum de furoris vi et assiduitate quaerere, quod eum redintegrari cupiat (v. 391. 393. 401.); crudeliter dicere, „non est mirandum atrociam pati qui atrociam perpetrarint,” et spem divini auxilii maligne refutare, quum cessante Apolline Furias praesentes obsidere atque incumbere arguat (v. 409. 411.), denique male dissimulare gaudium, ubi de odio civium et imminente periculo capitali cognoscit (v. 417. 427.). His adde, quod in primo statim congressu speciem Orestis confusam, squalidam comam, siccos oculos, corpus universum umbrae quam homini similis conspiciens horrorem pro misericordia significat. Tam crudeli malignitati ex adverso positae simplicitas, candor fidesque Orestis acerrime movent spectatores. Ingenue enim enarrat quaecumque sciscitatur insidiator de caede, de morbo, de Apollinis promissis, de civium iniquitate. Conscientia se ait et moestitia cruciari, cui accedere furorem, quem, cum noctu matris rogo assideret ad legenda ossa paratus, primum invasisse: tres enim virgines nocti similes visas esse appropinquare; ex eo inde tempore se iis perpetuo vexari. Civitatis autem hic est status: Oeax,

Palamedis frater, societate inita cum Aegisthi et Clytaemnestrae amicis, factione rempublicam oppressam tenet neque tantummodo regno Orestem spoliare, sed etiam interficere lapidatione studet et intercludit fugam armatis circum moenia positis. His igitur inimicis Menelaus se cum opibus suis quartum adiungens sine dubio oppressurus est Orestem.

Hoc diverbio nihil potest concinnius inveniri. Tam apte enim verba omnia quadrant, tam congruenter tum interrogata tum responsa singula cadunt, tam vera inest morum imitatio tamque aperta voluntatis tectae significatio, ut natura, non arte, omnia effecta esse videantur.

Vix autem his explicatis Orestes miser ad genua patruī infidi procumbens oravit, ut ex sua abundantia aliquid afflictis commodi impertiat et paternorum memor beneficiorum verum se amicum liberis Agamemnonis, qui propter illa ipsa beneficia perierit, praestet, cum Tyndareī avi adventu interpellatur. Insigne pietatis et pudoris Orestis signum est, quod ad aspectu senis, a quo se parvulum blande appellari foverique meminit, perturbatur et caliginem sibi offundi cupit, ne eius oculis conspiciatur. A tumulto filiae rediens Tyndareus *ὁ τὰς ἀρίστας θυγατέρας σπείρων πατήρ* et salutatum Menelaum veniens merito odium et aversionem conspecto matricida testatur*), et indignum eum dicit alloquio Menelai esse: quo pietatem simulante officioque se teneri affirmante et iram senis reprehendente, hic ad accusandum Orestem insurgit. Debuisse ait Orestem interfecto Agamemnone (quod foedum esse facinus confitetur) legitimum constituere caedis iudicium more Graecis communi, et iure persequi matrem domo eiectam, non in idem crimen incurrere. Nam si perpetua serie caedes caedem procrearet, quemnam fore scelerum finem? Sapienter igitur a maioribus institutum esse, ut qui caede polluti essent conspectum hominum vitarent et fuga se ultioni subtraherent, ne caedes caede

*) Schol. v. 464: *εὐοικονομήτως ἐποίησε τὸν Τυνδάρεων ἀπὸ τῆς πάτρης διὰ τὰς χοὰς τῆς θυγατρὸς ἐλληλυθῆναι, ἵνα εὐκαίρως τῷ Μενελάῳ καὶ τῷ Ὀρέστῃ διαλεχθῆ.*

expiaretur: semper enim unum, qui postremus ultus esset, caedi obnoxium fore. Ego, inquit, odi impias mulieres et aversor Helenam neque probo, quod tu, Menelae, improbae uxoris gratia Troiam profectus es; sed idem legem defendo et immanitatem istam, qua societas humana evertitur, coerceo. Nam quid, o miser, tum animi habebas, cum supplex tibi mammas exseruit mater? quam ego miseriam etsi non adspexi, tamen non possum lacrimis temperare. Recte igitur diis invisus es et furore ac terrificulis vexaris: quibus diis noli tu, Menelae, adversari impium adiuvando, sed sine eum lapidibus obrui. Filia mea recte interfecta est; sed non huius manibus debuit interfici. Ego autem fortunatus in ceteris rebus ab hac una parte infelix sum, quod filiae degenerarunt.

Verissima haec sunt omnia et cum humanitate congruentia, essetque omni laude Tyndareus dignus, si, quanta severitate matricidam accusat, tanta interfectricem viri ipse punivisset. Pudoris documentum est, quod hanc ei socordiam Orestes non exprobrat, qui tanta est verecundia, ut in conspectu senis vix consistere ad causam defendendam audeat. Impie se fecisse matrem occidendo fatetur, sed rursus alio nomine pie patrem ulciscendo. Atqui pro auctore generis patrem potius quam matrem haberi; ergo illi plustribuendum fuisse, praesertim cum causa caedis adulterium esset. Adultero interfecto matrem una immolatam esse: quod se facientem bene meruisse de moribus civium, cum nihil praesidii feminis debere improbis in misericordia liberorum esse ostenderet. Morte autem Clytaemnestram omnium longe dignissimam fuisse, quae virum totius Graeciae imperatorem prodere non satis habuerit, nisi etiam, ut poena ipsa liberaretur, interficeret. Verendum fuisse, ne sibi Furias pater, si matris factum tacitus probaret, immitteret: etenim eas non matribus magis quam patribus auxilio esse. Clytaemnestram solam malorum causam esse: quae si Penelopen imitata esset, se Telemacho similem futurum fuisse. Iussisse caedem fieri Apollinem, cuius responsis mortales cunctos merito parere; hunc igitur accusandum, hunc puniendum esse:

nam quo quis se vertat, si non idem qui iusserit deus periculo eripiat? Iustam igitur caedem esse, sed miseram, et everti semper domos, ubi coniugiorum fides violetur. Aeschylum persona Orestis indutum haec dicere putes: summam enim argumentorum, quae et Choephoris et Eumenidibus insunt, continent, et perstringi Aeschylum tum hoc tum aliis huius dramatis locis planum est. Peccavit Orestes, sed peccavit deceptus virorum gravissimorum auctoritate, suum errorem diis imponentium, id quod miserum est. Neque habet quo se tutetur praeter oraculum dei: nam reliqua argumenta, id quod ipse sentit, infirma sunt.

Non vincitur hac oratione Tyndareus, sed irascitur vehementius et ad perdendum Orestem accenditur. Itaque continuo hinc in concionem pergat, ut in supplicium nepotum populum incitet: nam Electram quoque poena ait dignissimam esse, ut quae sermones auribus insusurrando et somnia de Agamemnone narrando et adulterii turpitudinem ostendendo animum fratris exacerbarit, donec incendium excitaret, quo domus consumeretur. His dictis monitoque Menelao, ne impios cognatorum piis praeferat, sed sinat a civibus interfici, aut interim terra Spartanorum excedat, cum famulis abit.

Cuius discessu confirmator animo Orestes, cum ambigere Menelaum videat, argumentis gravissimis auxilium eius expugnare conatur: Nihil tu mihi tuorum imperti, sed redde quae a patre mutua accepisti: non opes dico, imo opum instar erit, si animam meam servaveris. Fac me noxium esse; nihilominus mihi auxilium debes: nam Agamemnon quoque, pater meus, te iniuste facientem, ipse culpa vacuus, adiuvit, corpus periculis obiciens, ut coniugis tuae peccatum corrigeret. Unum diem pro nobis operam naves, non decem annos; etiam sororis, quae Aulide immolata est, necem tibi condono, neque ut Hermionam interficias postulo. Aeque animo te superiorem esse patior, sed vitam meam et sororis grandaevae patri misero serva: moriens enim orbam relinquo domum. Difficile esse factu ais: at ubinam amici officium praestabunt,

nisi in rebus amicorum afflictis? nam in secundis quidem non est opus. Amas coniugem tuam; per hanc te obsecro (o me miserum, quo deveni!*)), sed quid mihi opus est hac obtestatione, qui pro domo universa supplicem? O patris frater, o patruæ, ipsum illum extinctum sub terra hæc audire existima et animam eius supra te volantem eadem quæ me dicere. Has ego lacrimas, hunc luctum, has aerumnas salutem quaerens, cui omnes student, suscepi.

His auditis Menelaus necesse sibi esse dicit cognatorum mala etiam cum discrimine capitis suscipere: sed enim se cum exigua sociorum manu, fatigatum laboribus, venisse neque fieri posse, ut armorum vi superior fiat, et dementis esse, populum ira inflammatum velle vi comprimere. Esse igitur callide cedendum saevienti et tempus speculandum, donec remisso spiritu locum det misericordiae. Quamobrem se operam daturum, ut Tyndarei et civium vehementiam sedet: nocere enim omnia nimia. Non posse Orestem nisi astutia servari; non se vereri Argivos, sed amici causa temporari servare necesse esse. His dictis sine mora abit vir ad bella quidem uxoris causa movenda paratissimus, ad opitulandum autem amicis ignavissimus, et destituitur Orestes eo praesidio, in quo solo confidebat.

In tam necessario tempore propere a Phocide Pylades accurrit, amicus Oresti fidissimus idemque Electrae sponsus: cuius adventus ut exstet causa, fingitur a patre Strophio propter societatem sceleris eiectus esse. Iam cives in forum ad iudicium de parricidis faciendum congregantur: itaque Pylades videns amicum, quem perinde ac se ipsum diligit, desolatum, Menelao ignavo atque infido, Tyndareo huius affinitatem amicitiae Agamemnonis ante-

*) Schol. v. 660: ἡρόεμα καὶ καθ' ἑαυτὸν λέγει, οὐκ εἰσὶν αὐτὸν, ὅτι μέχρι τοσούτου προῆλθεν αὐτῷ τὰ τῆς δυστυχίας, ὡς διὰ τοῦ μεμνησθαι τῆς Ἑλένης προσδοκᾶν βοήθειαν τυχεῖν· ἀνάξιον γὰρ ἑαυτοῦ ἡγεῖται τὸ καὶ μόνον μεμνησθαι τοιαύτης γυναικός, μήτι γε καὶ δοκεῖν σώζεσθαι δι' αὐτῆς.

ponente, tum interclusam esse fugam, vias omnes armatis obsidentibus, decernit non cedendum esse malis, sed obviam eundum. Deliberantibus igitur optimum factu esse videtur, non timide vitare periculum, sed prodire in concionem ad causam dicendam: honestius enim est pugnantem mori quam fugientem, et potest fieri, ut nonnullos Agamemnonis reminiscentes misereat filii, qui eum defenderit. Itaque Pylades neque contagionem verens Furiis obnoxii neque opinionem curans vulgi comitatur euntem latus lateri applicans, primum quidem ad patris sepulcrum ducturus, cuius manes in auxilium vocandi sunt, deinde in concione ei adfuturus, ut curet, si forte Furiae subito invadant. Intelligisne igitur amicum, qui moribus tecum coaluerit, quamvis non sit sanguine coniunctus, cognatis omnibus potiorum esse? Videbamus in Phoenissis duorum fratrum discordia domum opibus florentem funditus everti; iidem iam duorum amicorum mutua fide domum paene iam eversam, proditam a cognatis, restitui videmus.

Prudenter Euripides, cum iudicium ipsum in scena agi nequiret, causam fecit coram spectatoribus quasi coram iudicibus dici, qua causae dictione etiamsi nihil aliud efficeretur, nisi ut uberius diligentiusque mores et conditio rerum depingerentur, tamen non liceret eam producendae fabulae causa inventam esse dicere. Accurata enim morum sententiarumque imitatio dulcedine quadam retinet spectatores et valet plurimum ad movendum. Sed cum causae explicatione morumque descriptione coniuncta est ea argumenti implicatio, qua ad extremum discrimen res adducantur. In quo enim auxilio salutis spes Orestis omnis nitebatur, hoc ei eripitur: Menelaus, in cuius fide summa rerum Orestis momenta sunt, infidus ignavusque filium fratris deserit, quo fit, ut damnatio iam certa misero imminere videatur.

Interim dum concio populi habetur, chorus, eventum praesagens, domus Atridarum ruinam, continua scelerum serie ex pristina felicitate et virtute effectam, deplorat. Haec scelera scelus traxerunt Orestis, qui falsa honesti specie deceptus commisit id, quod rectum esse nullis

argutiis defendi potest: „Honestum illud non est honestum, parentum saeva manu corpora lacerare et atrum cruore ferrum ad fulgorem solis tollere: id ipsum cum ratione peccare est versuta impietas et pravorum hominum dementia*). Clamavit in mortis timore mater: Impia conaris, fili, o noli infamiam perpetuam, dum patri gratificaris, suscipere! Quid miserius, quid funestius, quid luctuosius est, quam matris sanguinem manu effundere? Quo tu facinore perpetrato Furiis obnoxius, oculos distortuens, insanis, miser, qui exserta intuens ubera nihilominus matrem percussisti!?”

Hoc carmine noster quid de matricidio Orestis sentiret apertius, quam reliquis locis omnibus, declaravit. Ceterum his non Orestes, sed Apollo, qui iussit, sive opinio Graecorum idem sentientium et imprimis tragicorum, velut Aeschyli et Sophoclis, qui illam opinionem scriptis suis comprobabant confirmabantque, damnatur, et merito quidem. Non est Orestes istis scelestior neque supplicio afficiendus, siquidem poetae idem exemplum proponentes absolvuntur, sed potius miserandus, qui officio se satisfacere putans pro praemio supplicia tulit.

Prodit Electra Orestem quaerens eo ipso fere tempore, quo senex quidam e concione reversus damnatos esse Agamemnonis liberos sententiis Argivorum nuntiat. Imaginem concionum populi verissimam expressit poeta

*) Schol. Gu.: τὸ δ' αὐτὸ δὲ μετὰ λόγον καὶ πιθανότητος ἐπιχειρεῖν τι καὶ πράττειν κακὸν οὐχ ἀπλῆ ἔστιν ἀσέβεια. Hic quidem certo in codibus scriptum invenerat idem quod Triclinius reposuit ἀσίβεια ποιίλη. Praeterea autem operae est quaerere, undenam illud μετὰ λόγον καὶ πιθανότητος sumserit, cuius hodie ne vestigiū quidem in scriptura codicum ullum exstat: certe enim non de nihilo adiectum esse alterius scholiastae (ad v. 811.) consensus manifestat, cuius haec sunt verba: τὸ κλέπτειν προᾶξιν κακὴν, τοντέστι τὸ μετὰ λογισμῶν δῆθεν εὐλόγων ποιεῖν τι κακόν, ἀσέβεια καὶ παράνοια. His diligenter examinatis, scriptum fuisse sic intelligis:

τὸ δ' αὐτὸ κλέπτειν ἀσίβεια ποιίλη
κακοφρόνων τ' ἀνδρῶν παράνοια.

oratores inducens factiosos ambitiososque et populum his potius quam probis ac simplicibus parentem, simulque multa per hanc occasionem utiliter monuit. Surrexit igitur primus Talthybius praeco, quod genus hominum, ut penes quemque potentia est, ita huic addictum esse solet: itaque semper Aegisthi amicos blandis intuens oculis et ambigua oratione miscens benevola malevolis verbis admirari se dixit Agamemnonem, sed improbare filium eius, qui pessimum morem contra parentes induceret. Post hunc verba Diomedes faciens rex suadebat, ut mortis quidem poena Orestes et Electra absolventur, sed mulcerentur exilio, quae verissima sine dubio sententia (quid enim aliud, nisi ne contagione sceleris pollueretur, civitati curandum fuit?) non omnibus probata est. Tum prodiit ad dicendum vir quidam procaci lingua, temeraria audacia, in civitatem per vim receptus, tumultu fretus et dicendi licentia, in perniciem natus civium, qui non medicinae similem facultatem esse dicendi volunt, sed dulces orationes salutaribus anteponunt*). Is igitur, a Tyndareo subornatus, lapidatione reos affici iussit. Cleophontis demagogi**) effigiem expressisse Euripidem in huius oratoris moribus describendis Philochorus suspicatus est; contra is, qui post illum prodiit, Aeschyli vel personarum huius imaginem referre videtur, cum sit vir robustus magis quam venustus, agrestis et operibus rusticis ita deditus, ut raro urbem et forum visat, sed prudens et ad contendendum oratione promptus, sinceritate et integritate vitae insignis. Is igitur corona dignum Orestem esse censuit, qui cavisset, ne virorum in bella profectorum uxores ii, qui domi remansissent, stuprarent. Postremus Orestes

*) Scriptum fuit in libris, quos schol. Gu. m. pr. et sec. sequebantur, sic:

— θεᾶσθαι δ' ὧδε χρητὸν τὸν προστάτην
 ἰδόνθ'· ὁμοίον γὰρ τὸ πρᾶγμα γίγνεται
 τῷ τοὺς λόγους λέγοντι τῷ τ' ἰωμένῳ.

Hoc docent illorum interpretamenta: καὶ οἱ τῶν λατρῶν
 παῖδες τοῖς μὲν νοσοῦσι βαρεῖς τὸ καταρχὰς φαίνονται,
 ἀλλ' ὕστερον πολλοῦ τινος ἄξιοι κτλ. cf. p. 413 seq.

**) Vide de hoc Fritsch. ad Thesm. p. 289 seqq.

prodiens se civium non minus quam suam iniuriam ultum esse affirmavit: nam si viros interficere impune esset uxoribus, mortem omnibus timendam fore, qui feminis servire nollent. Neque tamen persuasit, sed vicit improbus ille, qui interfici reos iubebat; lapidationem deprecans vix impetravit, ut sua manu mortem inferre sibi et sorori liceret. Abeuntem e concione praeter Pyladem etiam reliqui amici sodalesque cum lacrimis et miseratione comitantur.

Moriendum igitur est Agamemnonis liberis, et hodie quidem, neque eos iuvat Apollinis oraculum. His auditis Electra, quum aliquamdiu muta oculos defixisset, in lamenta dolorem cum planctibus et laniatu genarum effundit, non mollibus utens querelis, sed iis, quae dignae sint Tantali prole. Domus enim Pelopidarum quondam beatae ac potentis interitum, invidia civium effectum, et rerum humanarum vicissitudinem deplorat; optat, ut ad petram illam inter coelum terramque suspensam tollatur, ut coram Tantalo proavo vociferetur calamitates gentis aliam super aliam invectas commemorans, aurei agni funestum prodigium et diras epulas, quibus conspectis sol retro currum ad Auroram egerit, et seriem cladum a Myrtili caede ad Agamemnonis et liberorum eius interitum continuatam.

Revertitur iam e foro Orestes, Pylade gressus eius sustentante, et magno animo ad mortem se obeundam parat, abstinens querelis ipse et luctum sororis compescens. Generosam indolem ambo declarant constituentes, ut prior Orestes gladio se percutiat, tum Electra eodem utens ferro exemplum eius imitetur. Hoc constituto, dum fratris collo brachia soror circumdat, frangitur Orestis quoque animus. Mutuis igitur amplexibus haerentes cupiunt se una interfici et uno tumulo componi; desertos autem se a cognatis esse videns Orestes, Pyladi mandat, ut in patris sepulcro corpora condat, et valere eum iubet ad mortem proficiscens. Is vero negat se vel amico vel virgini sibi desponsae superstitem fore; sed, cum socius fuerit caedis, socium se fore etiam mortis affirmat; suadente autem Oreste, ut patri se reddat, ut patria et opibus,

quas habeat, fruatur, ut aliud coniugium quaerat, Electra
 privatus, ille alia se apud animum statuisse ostendit et
 sancte adiurat ita se cupere, ut corpus suum terra ali-
 quando accipiat, ut amicum nunquam deserat. Sed si mo-
 riendum sit, curandum esse, ne inulti moriantur. Hele-
 nam igitur ut interficiant suadet, quae iam bona Orestis
 obsignat intus commorans, Phrygibus servis ignavissimis
 custodientibus, unguentorum speculorumque procuratoribus,
 ipsa luxuria circumfluens Asiatica, ut parva ei Graecia esse
 videatur. Tum rationem docet rei perficiendae: intrandum
 esse ipsis in aedes quasi morituris et lacrimandum; dece-
 pta autem Helena, famulos alium in alia aedium parte in-
 cludendos, quibus remotis facile fore Graeciam ulcisci tol-
 lenda femina, cuius culpa plurimi parentes filiis, liberi
 patribus, virgines sponsis privati sint. Gratulatu-
 ros diis Graecos et fausta interfecto-
 ribus precatu-
 ros esse, si cae-
 dem patrare potuerint; sin minus, incensis aedibus se mo-
 rituros esse: sive igitur moriantur, sive serventur, cum
 decore et gloria fore utrumque. Haec laetus accipit Ore-
 stes et collaudat amicum fidelissimum consiliorum aucto-
 rem et periculorum socium. Bis se mori velle perditis
 iis, per quos ipse pereat: etenim Agamemnonis se filium
 esse, penes quem Graeciae imperium fuerit; hunc non
 esse servili morte dedecorandum, sed decere ingenue,
 non inultum, occumbere. His auditis Electra se salutis
 quoque viam reperisse ostendit: Hermionam, ubi redierit,
 pro pignore comprehendi posse, ut, si ulcisci Menelaus
 Helenam extinctam velit, illi mortem minitentur gladium
 ad iugulum virginis apponentes. Menelaum, qua sit igna-
 via, cito ira repressa mollem fore. Hoc virilis animi si-
 gnum merito admiratur frater et felicem fore Pyladem di-
 cit, si huius coniugio potitus fuerit. Iubet deinde Electram
 pro foribus manentem excipere Hermionam et, si quis
 amicus Helenae interveniat, clamore aut pulsanda ianua si-
 gnificare. His compositis et vocatis in auxilium manibus
 Agamemnonis cum Iovis iustitia, iuvenes quidem habentes
 gladios vestibus tectos intro ad ultimum certamen abeunt,
 Electra autem chorum bipartitum ad custodiendos aditus
 disponit et prospicere caute quaquaversus atque observare

iubet, dum ipsa aure ianuae admota quae intus geruntur auscultat. Audito deinde Helenae clamore, gestit sic, quasi praesens tenensque gladium pestem Graeciae una cum illis de medio tollat. Hoc ipso tempore Hermiona redit et in laqueos devenit. Anxiam propter auditum clamorem Electra solatur, Orestem dicens capitis damnatum ad genua Helenae supplicem procubuisse et mortem deprecari: monet igitur, ut in domum ingressa preces miseri adiuvet. Intransentem iuvenes, signo ab Electra dato, intercipiunt*). Interim chorus clamorem tollit cavens, ne quo strepitu foris audito cives ad opem ferendam accurrant, donec certo sublata sit mulier pernicioosa. Huius igitur mors ne quid miserationis moveret, sed cum laetitia ab omnibus exciperetur, enarrari eam fecit noster a Phryge spadone, cuius lamenta ipsa hilaritate afficere spectatores possent. Iam enim facta rerum conversione festiva seriis recte immiscentur. Gloriaturo homo fugiendo, quam pugnando, aptior se pernicitate Asiatica (*βαρβάροις εὐμαρίσιν*) mortem effugisse: etenim ex cella, in qua inclusus fuisset, in tectum escendisse atque inde super cedrina pastadis lacunaria superque triglyphos Doricos (*κεδρωτὰ παστάδων ὑπὲρ τέρεμνα Δωρικός τε τριγλύφους*) sublimem (*φροῦδα, φροῦδα, γᾶ, γᾶ*) in aulam desiluisse**). Erat *παστάς* (i. e. *παραστάς*) sive *προστάς* peristylum inter aulam et gynaeconitin medium, a dextra et sinistra iunctum thalamo atque amphithalamo; cf. Vitruv. VI, 10. Beckeri Charicl. T. I. p. 175. Schneideri lex. Gr. s. v. *παστάς*. Ex aula autem per *θυρωρεῖον* foras prodierat servus, ianua non obserata: nam qui ne Cyclopiis quidem antrum claudi fecit Euripides, cum oculis hunc

*) Una cum Hermiona Electra quoque introit; mox mutata persona idem histrio Phrygis servi partes agens in scenam revertitur. Secundum actorem canticis destinatum fuisse putato, primi autem erat, ut Strattidis verbis utar, *τὰ πρῶτα τῶν ἐπῶν λέγειν*.

***) Schol. v. 1357: *ταῦτα οὕτως φησὶν ὡς ὑπερπεπηδηκῶς τῶν ἔσω τινὸς οἴκων· παστάδων γὰρ τῶν θαλάμων*. Verum viderat iam Barnesius. Alia Musgravius sensum verborum detorquendo elicere conatus est.

ab Ulysse privari fingeret, multo minus in hac occasione videtur com metu intercluso impedire voluisse, quominus nuntius foras ad spectatores perferretur. Nam iussos esse histriones capitis periculum subire, cum in pulpitum ex fastigio scenae inspectante populo desilirent, absurdius est, quam quod scholiastae dicenti credamus. A scenicis enim ait inculcatos esse versus 1352 — 1354., quibus per ianua[m] prodire Phryx ille dicatur: nam quod periculosum ex aedibus saltum formidarent, cavisse eos suppositis istis versiculis, ne per vestibulum prodiens histrio, qui personam ageret Phrygis, contra voluntatem auctoris peccare videretur. Rectius alius quidam grammaticorum ex parte domus (*οικήματος*) alia in aliam eum desiluisse intellexit; erravit autem in eo, quod effractis ianuis dixit*), nihil Euripide neque de claudenda ianua neque de effringenda commemorante.

„Minime dubitandum est, quin poeta sub persona Phrygis totam Persarum gentem, communem Graeciae hostem, civibus suis deridendam propinare voluerit. Nam sic alibi Persarum habitus et instituta Phrygibus tribuit: *Androm. 174. Cycl. 182.* Phrygem igitur hunc ridiculi causa non modo timidum et fugacem fingit, sed fuga, tanquam re praeclare gesta, gestientem et exsultantem:

Ἀργεῖον ξίφος ἐκ θανάτου πέφενγα.

Nulla re indolem gentis luculentius ostendere potuisset. Qui enim inter homines bellicosos vixisset atque in civitate, quae fortitudinis laudem sectaretur, timiditatem suam vel celasset vel invitus et cum pudore fassus esset, nunquam certe velut gloriabundus et gratulans sibi commemorasset.” Argute haec Musgravius disseruit; addendum est, quod Menelaus et Helena quasi imago efficti sunt Spartanorum luxuria Asiatica corruptorum; cf. T. II. p. 112.

Ἀρμάτειον μέλος, quo se uti dicit Phryx ille, unde dictum fuisset, Didymus et Alexandrus grammatici multa coniectantes non potuerunt reperire, quas coniecturas in

*) οὗτος ὁ Φρύξ εὐνοῦχος ὢν ἄλλον μὲν οικήματος ὑπερπηδήσας τὰ στεγὰ, ἐν ἄλλῳ δὲ ἐλθὼν καὶ ἡσφαλισμένους εὐρῶν τὰς τούτου πύλας, τὰ τούτου κλειθρα συντριψας ἐξῆλθεν.

scholiis et in Etymol. M., si lubet, videas. Sed contenta voce illud (σύntonον μέλος) et sono arguto (ὄξύς καὶ λεπτός φθόγγος) cantari et esse naturae eunuchorum accommodatum*) non ex coniectura illi, sed ex usu haustum tradidisse videntur. Potuit hic modus bellicis carminibus accommodari, id quod ex iis intelligitur, quae Plutarch. de fort. Alex. c. 2. memoriae prodidit; sed hoc quidem canticum lugubre est et simile iis, quae in regum caedibus a barbaris cantari solebant: id enim docent vv. 1380—1384., quo loco ἀρχὰν θρήνον pro ἀρχὰν θανάτου ex scholiis in textum reponendum est.

Insaniens metu primo incondita vociferatur spado, Idae et Ladae et Ganymedis faciens mentionem; tum momente choro, ut singula ordine exponat, haecce cum horrore et membrorum vocisque tremore (qui vel numeris declaratur) refert cantans: venisse in aedes duos quasi leones, quorum alterum quasi Ulysem dolosum esse, tacite astutum, manu promptum, proeliorum peritum, fidum amicis, et intro ingressos a laeva dextraque Helenam lacrimantes supplicesque obsedis. Accurrisse Phryges et metuisse nonnullos, ne subesset dolus, se autem adstantem perpetuo Helenae fusum digito torquenti (pallium enim ex spoliis Troianis nebat Clytaemnestrae tumulo inferendum) ventulum flabello fecisse. Tractam deinde Helenam ab Oreste ad larum focum, Pylade servos, quasi fas non esset secreta eos auscultare, e thalamo abigente et partim in equili partim in exedra includente. Tum repente ambo strictis gladiis adortos esse illam clamantem et effugere conantem, et Orestem, cum occupasset, manum capillis implicuisse et retorto collo paratum fuisse ad ictum. Interim servos effractis ianuis accurrisse lapidibus, iaculis, gladiis armatos, quorum omnium impetum Pyla-

*) Schol. v. 1369: ἔνιοι δὲ τὸν Φρύγα τὸν ἐκπεπηδηότα εὐνοῦχόν φασι· τοὺς δὲ εὐνοῦχους ἐπιεικῶς ὀξυφώνους ὑπάρχειν· τὸ οὖν ὄξύτονον ἀρμάτειον αὐτὸν φάναι κτλ. "Οτι δὲ εὐνοῦχος ἦν, φησὶν (v. 1521) „οὔτε γὰρ γυνὴ πέφυκας οὐτ' ἐν ἀνδράσιν σύ γ' εἶ", καὶ πάλιν „ὄξυ γὰρ β ο ἦς ἀκοῦσαν Ἄργος ἐξεγείρεται."

dem unum sustinuisse; occisis aliis, aliis vulneratis, reliquos partim supplicando salutem impetrasse partim in latebras effugisse. Tum illos in Hermioniam forte venientem velut Bacchas in vitulum invasisse: qua correpta, quum ad Helenam interficiendam in pastadem redissent, hanc evanuisse et e conspectu, quasi magicae artis vi, ablatam esse.

Lepidissimam narrationem lepidissimum excipit diverbiū. Animadversa enim spadonis fuga Orestes timens, ne populares concitet clamoribus, prodit, ut illum in aedes reducat. Haud facile fidem haberemus narratis, nisi, quanta Phrygum nequitia esset, exemplo ante oculos posito intelligeremus. Illic igitur servus statim, ubi conspexit Orestem, eo modo, quo Persae regem solent, veneratur et clamasse se, ut Oresti subveniretur, testatur: optimo enim iure Helenam, etiamsi triplici gutture praedita fuisset, iugulatam fore, idque iuramento confirmat, ferrum vehementius quam Gorgonem horrens et ad quilibet faciendum, dummodo mortem effugiat, paratus. Haec servo extorquens Orestes non per iocum timiditati eius insultat, id quod veterum quidam opinati esse videntur (vide schol. ad v. 1505.), sed auget servorum, quorum vitae pepercit, pavorem, ut, donec in angustias Menelaum compulerit, quiescant.

Obseratis deinde foribus incendium aedium parant Orestes ac Pylades, dum Menelaum exspectant: quo ad nuntium accurrente, illi cum Electra stantes in fastigio aedium cum facibus ardentibus, mediam inter se Hermionam tenentes, gladio cervici imposito, convulsis suggrundis, quas in caput Menelai, si forte portas effringere conetur, demittant, mortem et ipsi et filiae et incendium aedibus minitantes postulant, ut Argivis persuadeat, ut damnationem capitis aboleant. Solus Orestes verba facit, mutis personis Pyladis atque Electrae*), et fas esse scelestos tollere affirmat, et iustius se quam Menelaum regnum et auspicia habere: esse enim se, quamvis manus polluerit, mente purum. Potuit iam tragoedia hac ratione concludi, ut

*) Tertius nimirum actor personae Apollinis reservandus fuit.

compulsus terrore et parens necessitati Menelaus faceret quae Orestes postularet, quam viam Euripides vv. 1193 seqq. praeparavit; sed quum deo opus esset, qui consummaret res et futura praediceret, fecit Menelaum clamores tollentem, quibus ad auxilium ferendum cives inutiliter concitaret (non poterant enim, praesertim illis ad moriendum paratis, mortem Hermionae arcere), et induxit Apollinem res componentem. Ostenditur in aethere imago Helenae ad deos sublatae, quae, quo magis digna fuit, quae interficeretur, tanto minus digna quibusdam esse visa est, quae in deorum templa reciperetur. At ii minus, quid de virtutum honoribus antiqui sensissent, quam quid nostri sentirent, reputasse videntur. Certe enim de venustate formae nullo loco Euripides Helenae quicquam derogavit neque eam ulla ex parte deteriorem Venere esse dixit, quae et ipsa honoribus divinis fruebatur. Deorum nemo omnibus numeris perfectus habebatur, et sufficiebat unius virtutis praestantia ad impertiendam divinitatem. Perfectae autem pulchritudinis species, qualem animis fingimus, infuisse Helenae putabatur, cuius generis imagines aeternas divinasque esse docent philosophi et mira excitare hominum studia, ut saepe cupiditate illarum habendarum abrepti reliqua bona omnia abiiciant, id quod Graecis Troianisque accidit, de Helenae inani specie inter se dimicantibus.

Orestem iubet Apollo unum annum exsulare, eoque peracto iudicium caedis maternae, accusantibus Furiis, apud Areopagi iudices subire, quo iudicio eum absolutum iri praedicat. His peractis eidem Hermionae matrimonium et regnum Argivorum a Menelao concedendum fore, Pyladi autem Electram collocandam esse. Sic compositis rebus conciliatisque inter se omnibus, omissis contentionibus, Apolline Helenam ad superos, Pylade Electram in Phocidem abducente, drama finitur, quod numero praestantissimorum habitum ab antiquis et celebratissimum theatri fuisse multa testantur: Strattis comicus l. 1.: *Εὐριπίδου δράμα δεξιότατον Ὀρέστην*. Argum. pr.: *τὸ δράμα τῶν ἐπὶ σκηνηῆς εὐδοκιμοῦντων*. Terentianus Maurus: „Fabula sic Euripidis inclyta monstrat Orestes.” Vituperationem scriptor argumenti adiecit, vitiosis

esse moribus personas omnes praeter Pyladem (*χειριστον δὲ τοῖς ἡθροσι· πλὴν γὰρ Πυλάδου πάντες φαῦλοι ἦσαν*), quo iudicio non potest quicquam stupidius inveniri, nisi si quis forte adstipuletur. Primum enim non potest Pylades, omnium et consiliorum et factorum non particeps tantum, sed etiam auctor atque instigator, vel Oresti vel Electrae anteponi. Horum autem mores quis, obsecro, nisi insipiens, malos esse affirmabit? quis tam multa tamque luculenta generosi animi signa omittet? Sic argumentatus est homo vecors: Orestes matrem necavit, ergo malus est. Quasi non primum sit, qua mente quidque sit factum, exquirere. Accusandus esset Orestes, si quae religio inebat duro animo neque ullo pietatis sensu mollito peregisset. Quod ne factum esse putaremus, prudenter curavit poeta. Horret enim Orestes ipse crudelitatem facinoris, quod iussu oraculi patravit, ita, ut interdum, ne a larva aliqua, Apollini simulata, ludificatus sit, timeat. Idem in Tyndareum non minus pium se quam verecundum praestat. Sororis autem atque amici tantum prodit amorem, ut a feritate animi alienissimus esse intelligatur. Iam vero fortitudo ei et constantia et magnitudo animi tanta inest, ut etiam modum excedere videatur. Fieri enim posse negant, ut qui paullo ante morbo affectus vix se sustentare potuerit tanta certamina sustineat. His reputandum est primum morbi genus eiusmodi esse, ut recreationem intermissione patiatur, deinde spatium temporis imaginarii non accuratissime examinandum esse, tum animi vires ad confirmandum corpus plurimum valere.

Pyladis ingenium optime exprimitur his verbis:

*οἶος Ὀδυσσεὺς σιγᾷ δόλιος,
πιστὸς δὲ φίλοις, θρασὺς εἰς ἀλκίαν,
ξυνετὸς πολέμου.*

Itaque apud Goethium, qui Euripidem imitatus est, Ulyssis exemplum se sibi imitandum proposuisse fatetur. Ex quattuor igitur partibus, a quibus manare ait Cicero honestatem, tribus certissime praeditus est, prudentia, fide, quae caput est iustitiae, et fortitudine, neque vero absunt moderationis decorisque documenta. Quamquam enim pari amore sponsam atque amicum amplectitur,

tamen plus omnibus in rebus huic quam illi tribuit, neque cum illa intempestive confabulatur.

Electra omnibus virtutibus Pyladi par et similis est, meritoque Orestes hunc miserum fore dicit, si illa privetur. Cum virili autem fortitudine non corporis tantum, ut ait Orestes, formam habet muliebrem coniunctam, sed teneritatem quoque animi summam et pietatem. Fratri se emancipavit; in huius amore tota est; hunc morbo absumi, hunc capitis damnatum videns plorat et lamentatur; ipsa mortem pati non recusat.

Sic tribus praestantissimis personis drama ornatum videmus. Quibus multum dispares sunt Menelai Helenaeque mores, adeo vitiosi, ut satyricae magis fabulae quam tragicae convenire videantur. Neque me fugit hoc a multis reprehensum esse, inter quos est Aristoteles, qui in poeticae c. 15. §. 5. Menelai personam tanquam exemplum posuit pravitatis morum non necessariae*). Qui si propter ea, quae de Menelai factis tradebantur, non fuisse necessarium censet, ut pravitate morum ab Euripide deformaretur, recte quidem sine dubio statuit, sed vitio vertit id, quod vitium non esse hodie omnes intelligunt. Nam etiamsi non fuit necesse, fieri tamen potuit, ut morum pravitas iis, quae Menelaus egerat, subesset: et quis unquam derogabit poetis licentiam, quam vel rerum scriptoribus damus, mores hominum voluntatesque tales, quales factis eorum convenient, effingendi? Sin propter argumenti naturam seu fabulae structuram necessariam fuisse istam negat pravitatem, dixit id, quod dicere vix dignum fuit tanti acuminis viro. Planum enim est vel indocto tollenda illa pravitate tolli rerum, quae aguntur, implicationem, tolli causam interficiendae Helenae, neque quicquam relinqui, quo efficiatur, ne tres illae, de quibus supra exposuimus, personae crudelissimae atque atrocissimae esse videantur. Mirum id quoque est, quod Aristoteles Menelai quidem mores, quod deformati essent, vituperavit, Helenam autem plurimum mutatam ab illa, quam effinxit Homerus, et non in

*) ἔστι δὲ παράδειγμα πονηρίας μὲν ἥθους μὴ ἀναγκαῖον ὁ Μενέλαος ὁ ἐν τῷ Ὀρέστη.

hac sola, sed in omnibus fere fabulis male ab Euripide habitam silentio praeteriit, cui feminae factam iniuriam esse nostri paene uno ore questi sunt. Ceterum si hoc vituperandum esset, vitium haberet non poeta, sed morum aestimator et philosophus. Sed quidnam, obsecro, hoc criminis est, plus in aestimandis feminarum virtutibus honestati quam venustati tribuere, neque quidquam recti vel sani credere talis mulieris ingenio inesse, quae illa, quae prima sunt in mulierum vita, fidem atque pudicitiam, violarit? Quis vero iure reprehendat poetam, quod nullam laudem putaverit ei tribuendam esse, qui recuperandae feminae improbae caussa miscens turbansque omnia et domum et patriam et cognatos perdidisset? Mirum est, cum aliis poetis laudi vertatur castitatem et pudorem defendisse, Euripidi hoc ipsum crimini dari. Utut autem haec sunt, singularem illius artem in Menelai Helenaeque moribus describendis apparere quilibet intelligit.

Chori persona, dispar Phoenissarum choro, pro virili parte *συναγωνίζεται*, neque minus etiam in Antiopa et Hypsipyla actoris munus sustinuit. Falso igitur criminantur quidam chori officia per incitiam ab Euripide sene imminuta esse. Neque illud verum est, quod praepollentibus modis musicis plus horum iucunditati quam verborum numerorumque elegantiae tribui solitum esse opinantur. Certo enim lenissimis modis adspirasse tibiam necesse est carmini, quod submissa voce recitans in scenam chorus intrabat. Quis vero unquam prudens poeta cantico narrationem rerum extra scenam gestarum inclusisset, si cantu verbis obstrepente parum percipi ea, quae sic narrarentur, intelligeret? Atqui illud Phrygis canticum tanta diligentia elaboratum est, ut ipsius *μισευριπίδους*, qui illa crimina invenit, egregiis laudibus praedicatum sit: „Numeris quidem,” inquit, „quum omnino animi perturbationem tum varios dissimillimosque affectus, quibus homo iste, dum quae acta sunt refert, in diversa trahitur, admirabili cura significatos videmus. Nam primo neque antistrophicum est carmen illud neque non antistrophicum. Antistrophicum enim si esset, eam haberet aequabilitatem, quae plane a pavidi hominis trepidatione abhorreret; si

autem totum non antistrophicum esset, motibus animi quidem conveniret, sed non exprimeret tantam perturbationem, quantam cernimus tum in iteratione eorundem numerorum tum magis etiam in coeptis quidem, sed rursus interpellatis iterationibus etc. Quod si quis reputarit hominem barbarum eumque Phrygem, nec Phrygem tantum, sed etiam eunuchum esse qui ista agit et recitat, facile sentiet non magis quidquam indignum tragoedia in ista persona inesse, quam in excubitore aut nutrice, quas Aeschylus inferioris conditionis personas in Agamemnone et Choephoris introduxerit." Numeri sermonum liberiores sunt quam in reliquis fabulis praeter Cyclopem. Observavit enim nescio quis quingentos circiter et septuaginta trimetris solutiones inesse, inter quas quinquaginta in initio positos anapaestos, cui licentiae consulto quin indulserit Euripides, quippe drama satyricis propinquum scribens, non est quod dubitemus. At chori carmina, Orestis sortem miserantis et facinoris atrocitatem horrentis et eventum timentis et ipsum rerum discrimen describentis, maximam partem e dochmiis constant, praeterquam quod rerum nexum statumque contemplans glyconeis utitur.

Stetisse hanc fabulam etiam posterioribus temporibus inde intelligitur, quod veterum interpretum quidam eam in theatris spectaverant, id quod ex scholiis ad vv. 58. 258. 632. scriptis et ex argumento perspicitur. Hanc fuisse causam arbitror, cur ei recensendo explicandoque plurimi operam darent, velut Callistratus, Didymus, Apollodorus Cyrenaeus et Dionysius, quorum commentarii laudantur ad vv. 304. 424. 1369. 1686., ad Phoen. v. 1748. Doctis illud familiare fuisse inde apparet, quod in sermonibus passim multi ad illud respexerunt, velut versu 271. Anaxarchus usus est irridens Alexandrum, Chrysippus autem vv. 243, 4. et 533, 4. de se et Cleanthe usurpavit. Versum 129. ad Alcibiadem transtulit Plutarchus (vit. Alc. p. 203. D.), idemque ad alios versus complures respexit. Usurparunt quosdam versus etiam Aristoteles (656.), Aelianus (1105.), Lucianus (746. 855.), Dionysius Hal., Iulianus (16.), Longinus fragm. 8. et de subl. 15., Dio Chrys.

orat. XI. p. 188. C. D. Ex comicis poetis universam fabulam nemo imitatus esse videtur; sed singulos versus opportunitate data arripuerunt, velut huncce (730.):

οὐκ ἐκείνος, ἀλλ' ἐκείνη κείνον ἐνθάδ' ἤγαγεν.

Ad ridicula transtulerunt Aristophanes v. 279. in Pluto (v. 8.), Alexis vv. 245, 6. (apud Athen. VII. p. 339. D.), Alcaeus (ap. Macrob. Sat. V, 20.) et Lucianus vv. 855 seq.

Latinorum poetarum an quisquam Orestem imitando expresserit, dubito; fuit autem nihilominus haec fabula Romanis notissima, ut Horatius ad Orestis furorem, qualem Euripides (v. 254.) descripsit, tanquam exemplum in promptu positum respexerit (Serm. II, 3, 140, 1.).

Admirati sunt antiqui censores, quanta arte Euripides Menelaum quasi invitum quae tecte et subdole machinaretur denudantem exhibuerit. Laudarunt etiam, quod quae moliretur poeta longe antea praepararet neque quidquam, quod valeret ad animos sic, ut vult, afficiendos, omisisset*). Iidem laudibus praedicarunt diligentiam eius sollertiamque, qua effecisset, ut quaecunque fierent necessario fieri viderentur neve ulla persona temere interveniret. Non debuerunt igitur hostes Euripidis ab ea parte hoc carmen impugnare, a qua illud optime munitum esse veteres intellexerunt. Qui nihil unquam rerum parum credibilium in Aeschilo, refertissimo illis, deprehendit G. Hermannus, plurima parum verisimilia in Orestis fabula sibi est visus invenisse, quod sane mirandum est, istum, quae exprobraret, non potuisse graviora reperire.

Ab aliis, velut Schlegelio, quaecunque reprehensa sunt, originem ex inscitia ducunt et in laudem iam ex criminibus vertuntur, ex quo cognitum est voluisse Euripidem tristitiam risu temperare et iucunda varietate grataque novitate spectatorem ad festivitatem revocare. Ceterum isti, si sibi constare voluissent, non debuerunt eandem rationem, quam in Euripide damnarunt, in Shaxperio admirari, qui quidem Falstaffium cum Henrico consociando et tragoediam intermixta comoedia distinguendo nihil aliud

*) Velut ad v. 231: *προσπαθέστερον δὲ ποιεῖ τὸ δράμα καὶ τὸ πόρρωθεν διαβάλλεσθαι τὸν Μενέλαον, καθὸ ἐλπισθεὶς βοηθήσαι οὐκ ἐβρόθησεν.*

egit, quam ut varietate spectatorem delectaret. Etenim poetis

„quidlibet audendi semper fuit aequa potestas”,

hac scilicet conditione, ut etiam ea, quae discrepantia componerent, quodammodo congruerent atque conspirarent.

Argumentum fabulae et rerum implicationem totam Euripides ipse invenisse videtur. Habuit tamen in iis, quae ad Helenam pertinent, auctorem Stesichorum, quem et criminantem et revocantem crimina, quum modo improbam modo castam puramque illius personam effingeret, imitatus est. Fecerat autem Stesichorus quoque lapidationis mentionem; sed formae venustate obstupefactos homines de manibus emisisse lapides, neque potuisse quod voluerant efficere, dixerat*). Idem Oresti arcum ab Apolline traditum ad arcendas Furias fuisse docuerat**). Helenam ab Oreste sublatam esse antiquitus traditum fuisse consentaneum est. Erat enim ille ad hoc ipsum natus, ut caedibus impiis quidem, sed iustissimis atque sub dei ipsius auspiciis patris, celebritatem nominis adipisceretur; sic matrem, sic Neoptolemum, sic Helenam sustulit. Ambarum igitur sororum caedem ita contexendo, ut altera ex altera nasceretur, argumentum noster effecit id, quo theatrum posset moveri atque delectari.

XX. De extrema Euripidis aetate.

Diem supremum Euripides, teste Apollodoro chronographo apud Diodor. Sic. XIII, 103., eodem obiit anno, quo Sophocles***), sed aliquot mensibus prius, ut memoriae prodidit Suidas: *τελευτᾷ δὲ (Σοφοκλήης) μετὰ τὸν*

*) Schol. ad v. 1274.

**) Schol. ad v. 258.

***) Adde Euseb. Chron. can. p. 158. cum Scaligeri animadvv. p. 101. Schol. Rav. ad Thesmoph. v. 190: *γέγων γὰρ τότε Εὐριπίδης ἦν· ἐκτῶ γοῦν ἔτει ὕστερον τελευτᾷ.*

Εὐριπίδην ἐτῶν ἑννεήκοντα, quibuscum congruunt Diodori ipsius verba: *μικρῶ πρόσθεν τούτων τῶν χρόνων*. Is fuit annus 406^{mus} a. Chr. n., et quidem cum primo vere Euripides decessisse videtur. Nam Timaeus apud Plutarch. Sympos. VIII. quaest. 1. c. 1. eodem dixit die Euripidem extinctum esse atque Dionysium maiorem inter Syracusanos tyrannidem occupasse*). Id autem factum est circa idem anni tempus, quo Poeni Gelam urbem ex Agrigento proficiscentes adorti sunt, i. e. ineunte vere; cf. Diodor. XIII. c. 93. et 96**). Itaque Euripides praetore Antigene Ol. 93, 2. aliquot mensibus ante Sophoclem extinctus est, et potuit hic illum lugere (cf. T. II. p. 297.): nam Sophoclem quidem archonte Callia Ol. 93, 3. decessisse constat testimonio Diodori XIII, 103., quocum non pugnat marmor Parium Olympiadem 93, 2. et Antigenem archontem nominans; coniunctae summorum poetarum mortes utroque loco commemorantur, sed altero Euripidis, altero autem Sophoclis potissimum tempus significatur. Superstes igitur dimidio fere anni Sophocles (cf. Appuleium Apol. p. 298.), statim postquam de illius morte certior est factus, eum, cum forte tragoediis certaret, luxit. Id factum esse puta ineunte vere anni 406^{mi} Dionysiis magnis, quo tempore Euripidem extinctum esse decrevimus. Absumta deinde aestate et ineunte hieme ruralibus Dionysiis decessisse Sophocles videtur, quem ferunt, quum ultimum certaret, accepta victoria gaudio correptum immodico exspirasse. Altero autem vere mense anthesterione Ranas docuit Aristophanes, qua fabula fecit Euripidem cum Aeschylo, praesente Sophocle, de principatu apud inferos decertantem***). Sic testimonia omnia optime congruere et constare rationem videmus. Erravit igitur Boeckhiius, Euripidem et ipsum Callia praetore et Ol. 93, 3. exspirasse

*) Aut erravit Plutarchus aut corrigenda sunt illa verba sic: *καθ' ἣν ἐγένετο Διονύσιος ὁ πρῶτος ἐν Σικελίᾳ τύραννος.*

***) ἐπὶ τὴν ἔαρινὴν ὄραν.

****) Argum. Ran. Aristoph.: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Ἀντιγένη διὰ Φιλωνίδου εἰς Ἀθήναια.*

et paullo post Sophoclis mortem insecutam esse coniectans: quem videas de hac re pluribus disserentem Gr. tragoed. princ. p. 209—213.

Plus septuaginta annos Euripidem, cum de vita decederet, natum fuisse recte Philochorus (vide vit. cod. Mediol. coll. Ambros.) cum aliis affirmavit. Septimum enim aut octavum supra septuagesimum agebat annum, id quod testimonio marmoris Parii confirmatur, cuius optimam esse fidem et in nascendi et in moriendi tempore definiendo cognovimus. Vulgarem famam secutus est Eratosthenes cum Suida.

Filios reliquit tres superstites, Mnesarchidem, maximum natu, sui patris nomine insignem, qui mercaturam exercuit, Mnesilochum, qui avi materni et nomen et artem accepit, quum fabulis in theatro agendis operam daret, denique Euripidem, qui fabulas a patre relictas docens coronatus est; cf. vit. cod. Mediol. coll. Ambros. Hi ex Choerila sive Choerilla nati omnes fuisse traduntur; cf. Thom. Magist. Potest hic Euripides idem fuisse, quem Aristophanes Eccles. v. 825 seqq. perstringit, nisi forte filius fuit eius Euripidis, qui, cum apud Potidaeam pugnasset, pestilentia exstinctus est. Spurios noster filios nullos reliquit, quippe quem ab incerta Venere alienum fuisse Dionysius Byzantius epigrammate testetur:

οὐ σε κυνῶν γένος εἶλ', Εὐριπίδῃ, οὐδὲ γυναικὸς
οἴστρος, τὸν σκοπίης Κύπριδος ἀλλότριον,
ἀλλ' Ἀθῆναι καὶ γῆρας· ὑπαὶ Μακέτῃ δ' Ἀρεθούσῃ
κεῖσαι, ἔταιρείῃ τίμιος Ἀρχέλεω.

ὅν δ' οὐ τοῦτον ἐγὼ τίθεμαι τάφον, ἀλλὰ τὰ Βάκχου
βήματα καὶ σκηνὰς ἐμβάδι (cothurno) πειδομένας.

Addaeum Macedonem huius epigrammatis auctorem fuisse alii scripserunt: qui sive Alexandri Magni aequalis sive posterior fuit, certe dignus est testis, cui fidem habentes, fabulas de canum deque feminarum furore, a quibus discerptum esse Euripidem multi memoriae tradiderunt *),

*) Vide vitas a grammaticis conscriptas, Valer. Max. IX, 12. extr. 4. Steph. Byz. περὶ πόλεων s. v. Βορμίσκος. Gell. XV, 20. Ovid. Ibid. 597. Hermesianactis Coloph. eleg. v. 67. Hygini fab. 247. Diodor. XIII, 103.

respuamus, quibus fabulis sine dubio magis comicorum malignitas quam fatum Euripidis significatur. Locum autem sepulcri accuratius descripsit Vitruvius VIII, 3. p. 317: „In Macedonia quo loci sepultus est Euripides, dextra ac sinistra monumenti, advenientes duo rivi concurrunt in unum, (quorum alteri) accumbentes viatores pransitare solent propter aquae bonitatem; ad rivum autem, qui est in altera parte monumenti, nemo accedit, quod mortiferam aquam dicitur habere.” Cf. Plin. H. N. XXXI, 1, 19. Adde Ammian. Marcell. XXVII. p. 458: „Ex angulo tamen orientali Macedonicis iungitur collimitis per artas praecipitesque vias, quae cognominantur Acontisura: cui proxima Arethusa convallis et statio, in qua visitur Euripidis sepulcrum, tragoediarum sublimitate conspicui, et Stagira, ubi Aristotelem natum accepimus.” Sine dubio Archelaus, cum illum sepulcro locum deligeret, recordatus est versuum de Alcestide scriptorum (v. 1007.):

μηδὲ νεκρῶν ὡς φθιμένων χῶμα νομιζέσθω
 τύμβος — —, θεοῖσι δ' ὁμοίως
 τιμάσθω, σέβας ἐμπόρων·
 καὶ τις δοχμίαν κέλευθον
 ἐμβαίνων τάδ' ἐρεῖ·
 οὗτός ποτε κτλ.

Et revera multi viatorum admirationem viri et pietatem suam testificati sunt titulis in monumento scriptis, velut hocce:

οὐ σὸν μνήμα τόδ' ἔστ', Εὐριπίδη, ἀλλὰ σὺ τοῦδε·
 τῆ σῆ γὰρ δόξῃ μνήμα τόδ' ἀμπέχεται.

Alterum Ionis vel Iophontis epigramma hoc fuisse fertur:

Χαῖρε μελαμπέλοις, Εὐριπίδη, ἐν γνάλοισιν
 Πιερίας, τὸν αἰεὶ Νυκτὸς ἔχων θάλαμον·
 ἴσθι δ', ὑπὸ χθονὸς ᾧν, ὅτι σοι κλέος ἀφθιτον ἔσται,
 ἴσον Ὀμηρείαις ἀενάοις χάρισιν.

Ac dii ipsi credebantur certo signo honorem defuncti divinum declarasse: ter enim fulmine Iovis percussum tumulum eius atque consecratum esse Bianor Bithynus, qui vel Augusti vel Tiberii temporibus vixit, affirmat:

ἂ Μακέτις σε κέκευθε τάφου κόνις· ἀλλὰ πυρωθεὶς
 Ζανὶ κεραυνεῖα γαῖαν ἀπηχθίασας*)·
 τρεῖς γὰρ ἐπαστράψας Εὐριπίδῃ ἐκ Διὸς αἰθῆρ
 ἤγγισε τὰν θνατὰν σήματος ἱστορίαν.

Idem alio epigrammate confirmatur:

Σάρκες δ' αἰθαλέαισι πυρὸς ῥιπῆσι τρυφηλαὶ
 ληφθεῖσαι νοτίην ὄσαν ἐπαιδόμεναι·
 μούνα δ' ἔνεστι τάφῳ πολυδακρῦτῳ ὄστέα κωφά,
 καὶ πόνος εἰνοδίοις τῆδε παρεροχόμενοις.

Hic honos, teste Plutarcho, praeter Lycurgum haud temere contigit cuiquam clarorum virorum alii, „id quod magnum suppetit argumentum ac testimonium studiosis Euripidis, quod soli ei post fata evenit contigitque illud, quod diis gratissimo et sanctissimo viro ante evererat.”

Per omnia saecula hunc sepulcri honorem durasse testimonia, quae attuli, declarant, nec prius imminutus est, quam extincta Graecarum litterarum gloria barbari et illum locum, in quo situs erat, et universam Euripidis patriam occuparent. Evenit igitur quod Macedones, gloriantes, quod in ipsorum terra egregius poeta sepultus esset, epigrammate praedixerant:

οὐ σόν γε μνήμ', Εὐριπίδης, ὄλοιτό που.

Cf. Gell. XV, 20. Quid? quod in Daciae finibus titulus cenotaphii hic est repertus:

„Siste, quid ipse velim, rogito, cognosce, viator:

Euripides, tragico carmine clarus homo,

Hic iaceo: istud erat, quod te cognosce volebam.

Ergo diu felix, care viator, abi!”

Cenotaphio Athenienses quoque nuntio mortis accepto civem optime meritum honorarunt; cf. Pausan. Att. I, 2. vit. Thom. Mag. Ex Piraeo enim in urbem proficiscentibus loco celeberrimo celeberrimorum poetarum, Menandri atque Euripidis, obvia erant monumenta, quorum in altero titulus a Timotheo Milesio scriptus hicce fuit**):

*) Id est: terrae onus deposuisti.

**) Alii Thucydidis esse dixerunt; cf. Thom. Magist. vit. et Frid. Osann. in diurnis schol. a. 1828. P. II: n. 15. 1829. P. II. n. 43.

*Μνήμα μὲν Ἑλλάς ἅπασ' Εὐριπίδου, ὅστέα δ' ἴσχει
 γῆ Μακεδῶν· ἧ γὰρ δέξατο τέρατα βίου·
 πατρὶς δ' Ἑλλάδος Ἑλλάς Ἀθῆναι· πλεῖστα δὲ
 Μούσας*

τέρας, ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει.

Cui vicinum sensum alterum exhibet epigramma:

*ἅπασ' Ἀχαιὶς μνήμα σὸν γ', Εὐριπίδη,
 οὐκοῦν ἄφωνον, ἀλλ' αἰεὶ λαλητικόν.*

Ossa Euripidis frustra ab Atheniensibus per legatos repetita esse dicit Gellius XV, 20., maximo enim consensu Macedones in ea re deneganda perstitisse.

His de morte Euripidis explicatis, restat ut de Archelai amicitia quae tradita sunt referamus. Primum Euripidis aetate, et quidem hoc maxime auctore, eruditio consummata et in tantum fastigii evecta est, ut Graecorum hominum angustam cognitionem et opiniones iis insitas egrederetur. Quo postquam pervenit, supra Graeciae fines necessario prolata est. Et primi quidem Macedones, propinqui Graecis et consanguinei, in hereditatem bonorum ab illis partorum successerunt; iidem ad vincendos barbaros ac divulgandum per orientalem orbis partem sermonem Graecum cum eruditione et artium liberalium studio fati destinabantur. Graecarum gentium numero Macedones habendi sunt et quicquid rerum gesserunt Graecorum rebus accensendum est. Errant igitur qui extinctam esse Graeciae gloriam proelio apud Chaeroneam facto putant, quo proelio ad Macedones principatus ab iis, qui tenendo ei minus idonei erant, Thebanis Atheniensibusque, translatus factaque potestas est perficiendorum eorum, quae et Agesilaus rebus gerendis et Isocrates dicendo et omnes omnibus temporibus boni efficere conati erant.

Utile est recentibus antiqua et antiquis recentia componere. Quemadmodum igitur medio nostri populi aevi saeculum id, quod et Persicum bellum et Peloponnesiacum vidit, simile fuit, ita tempora ea, quae Macedonum imperium antecesserunt, cum iis, quibus res sacrae a nostratibus emendatae sunt, haud absurde comparaveris. Praeter alias enim similitudines, quas hoc loco persequi alienum est, utraque aetate eruditio ad vicinos et quidem septentrionales ma-

xime populos prolata est; eruditionem autem mox potentia secuta est, ab iis, qui antea clari fuerant, ad obscuriores translata. Huius mutationis inter Macedones princeps Archelaus fuit rex *), gloriae gentis illius, sicut Fridericus Guilielmus Borussorum, auctor, quanquam iam Alexander, qui primus hoc nomine appellatus est, temporibus belli Persici clarus, divitias, quibus abundabat, ad colendos poetas contulerat: de quo haec scripsit Solinus c. 15: „Ita affluenter successus eius ampliandis opibus proficiebant, ut ante omnes Apollini Delphos, Iovi Elidem statuas aureas dono miserit. Voluptati aurium indulgentissime deditus fuit sic, ut plurimos, qui fidibus sciebant, dum vixit, in usum oblectamenti donis tenuerit liberalibus, inter quos et Pindarum lyricum.” Hunc igitur imitatus Archelaus clarissimos quosque artium liberalium auctores ad se arcessivit et receptos liberaliter habuit atque munifice. Nam et Socratem invitavit (Diogen. Laert. II, 9, 25. Senec. de benef. V, 5. **). Aelian. V. H. XIV, 17.) et Platone usus est amicissimo (Speusippus ap. Athen. XI, 15. p. 506.) et Timotheum musicum, Agathonem poetam, Zeuxidem pictorem arcessivit (Plutarch. regum apophthegm. p. 177. (94.). Aelian. V. H. XIV, 17.), quorum hunc, quadringentas impendens minas, iussit domum suam picturis exornare, quarum tanta fuit pulcritudo, ut multi e longinquis terrae partibus magno studio illarum contemplandarum causa, venirent. Euripidis vero consuetudine non tantum delectabatur, sed etiam adiuvabatur adeo, ut quemadmodum Goethium dux Weimarensis, ita ille Euripidem consiliorum suorum faceret participem. De qua poetae regisque amicitia haec memoriae prodidit Solinus c. 15: „Archelaus, prudens rei bellicae, navalium etiam commentor proeliorum, in tantum litterarum amator fuit, ut Euripidi tragico consiliorum suorum summam crederet. Cuius suprema non

*) Regnavit ab Ol. 91, 3. ad Ol. 95, 1. sive ab anno 414 ad annum 400.

***) „Archelaus rex Socratem rogavit, ut ad se veniret; dixisse Socrates traditur nolle se ad eum venire, a quo acciperet beneficia, cum reddere illi paria non posset.”

contentus prosequi sumptu funeris, crinem tonsus est et moerorem, quem animo conceperat, vultu publicavit. Idem Archelaus Pythias et Olympicas palmas quadrigis adeptus Graeco potius animo quam regali gloriam illam prae se tulit." Idem in vita Elmsl. (καὶ μάλα ἔπραττε παρ' αὐτῶ, ὅτε καὶ ἐπὶ τῶν διοικησέων ἐγένετο) et apud Suidam (παρ' ᾧ διῆγε τῆς ἀκρας ἀπολαύων τιμῆς) aliosque scriptum legimus. Sic cum bene de rege Euripides mereretur, dona ab eo ipse petere noluit. Itaque Archelaus, cum ab eo super coenam quidam, qui nil nisi munera capere honestum duceret, poculum aureum petisset, iussit puerum id Euripidi dare, coniectisque in istum hominem oculis, Tu quidem, inquit, dignus es qui petens non accipias, hic qui accipiat, etiamsi non petat (Plutarch. de vitioso pud. p. 531., regum apophth. 93.). Immerito igitur parasitorum numero Euripidem posuit Lucianus maledicentissimus (paras. c. 35.). Aulicorum invidiam honore Euripidis motam esse facile intelligitur. Quorum quum quidam graveolentiam oris nostro exprobrasset, hic ridens quidem, Multa, inquit, secreta in ore meo computruerunt*); sed poenam maledici nihilominus exegit. Postulanti rex adolescentulum, cui erat nomen Decamnichus, Euripidi tradidit verberibus castigandum, cuius ille contumeliae nunquam oblitus postmodum dux auctorque fuit insidiarum, quibus circumventus Archelaus in venatu interfectus est; cf. Aristot. Polit. V, 10. p. 305. F. Plat. Alcib. II. p. 141. D. Diodor. XIV, 37. Haec res originem dedisse famae videtur, qua Euripides canibus a quodam aulicorum immissis laceratus esse credebatur*): quae si vera esset fabula, Aristotelem eo loco, quo de regis caede exponit, poetae fatum non fuisse omisurum arbitror.

Praeter regis amicitiam etiam Agathonis amore Euri-

*) Stob. serm. 39. (127.) de arcanis. Aliud Euripidi responsum tribuit is, qui vitam Elmsl. scripsit: ἡ φήμη μέλιτος καὶ Σειρῆνος γλύκιον στόμα.

**) Ex Decamnichi nomine de cem mina e confictae sunt, quibus corruptum Lysimachum quendam canes regias, quas aleret, immisisse mentiuntur; cf. Pflugk. ad vitam Moschopuli p. LXVI.

pides in Macedonia delectatus esse traditur, quem dicitur quondam inter coenam amplexus osculatusque esse, tum admirante rege, quod barbatum oscularetur, respondisse venustorum etiam autumnum venustum esse

πάντων καλῶν τοι καὶ τὸ μετόπωρον καλόν.

Cf. T. II. p. 301. Plutarch. Alc. c. 1. Ne huic quidem narrationi multum tribuo: quippe manifestum est eam ex versu tragoediae alicuius, ut multas alias eiusmodi fabulae, originem duxisse.

Mireris, quod rex liberrimae potentiae amans cum poeta populorum imperii fautore societatem iunxerit. Sed idem nostri reges saeculo, qui huic praecessit, fecerunt, quum Gallorum scriptores regum imperiis infestos et novandarum rerum cupidos ipsi, dominatui plus aequo adsueti, accesserent, colerent atque admirarentur. Magis mirandum est, quod patria, in qua consenuerat, Euripides carere voluit. Neque tamen, ut causam explicemus, ad probrum uxoris et scelus Cephisophontis amici fingenda confugiendum est, quae crimina tum Aristophanis ceterorumque aequalium silentio tum epistolarum, quae sub Euripidis nomine feruntur, aperto testimonio refutantur: quarum scriptor etsi non Euripides fuit, tamen veram famam sequi potuit et melioribus certe fontibus usus est, quam sunt grammaticorum Aristophanem interpretantium commenta. Is igitur auctor, quisquis fuit, certe non postponendus scholiastis, narrat Euripidem pecuniam quidem ab Archelao Athenas missam repudiasse, sed rogasse, ut adolescentes quosdam Pellaeos nobili loco natos ex vinculis dimitteret. Quorum patrem, quum paullo ante squalidus opem implorasset Atheniensium, receptis filiis, repente splendidum gratias non minores Euripidi quam diis egisse simulque felicem praedicasse civitatem, quae tales aleret viros. Hac igitur regis generositate commotum Euripidem, quum invitanti, ut ad se veniret, obtemperasset, Cephisophontis amici nunquam esse oblitum, quum Archelai et Clitonis consuetudine egregie delectaretur, sprevisse autem Aristophanis et reliquorum malignorum maledicta et vetuisse Cephisophontem ad ea respondere, dona autem a rege oblata et suadente Clitone accepta amicis et familiaribus in patriam misisse. Cephisophontem necesse est, quo tempore a

patria Euripides abiit, iam grandiore natu fuisse: id enim ex hisce Aristophanis versibus (cf. vit. Elmsl.) intelligitur, qui ansam ad comminiscenda illa, quae refutavi, grammaticis dederunt:

*Κηφισοφῶν ἄριστε καὶ μελάντατε,
σὺ δὲ συνέξῃς ὡς τὰ πόλλ' Εὐριπίδῃ
καὶ συνεποίεις, ὡς φησι, τὰς μονωδίας.*

Euripidem vero non est mirandum patria lubentem caruisse (cf. Plutarch. de exilio p. 604. (426.)), quippe in qua iam pauca, quibus gauderet, gererentur; felix autem praedicandus est, quod extinctus est antequam calamitatem civium et captivitatem urbis videret.

Priusquam in Macedoniam se conferret, in Magnesia Thessalorum commoratus traditur et hospitio atque immunitate ab incolis honoratus esse; cf. vit. cod. Mediol. coll. Ambros. Alius peregrinationis mentionem Eparchides apud Athenaeum II. p. 61. fecit, narrans Euripidem in Icarum insulam profectum, mortua in agris femina quadam cum liberis, duobus quidem adultis maribus, una autem puella, fungorum pestilentium esu omnibus interfectis, hoc composuisse epigramma:

*ὦ τὸν ἀγήραντον πόλον αἰθέρος Ἥλιε τέμνων,
ἄρ' εἶδες τοιόνδ' ὄμματι πρόσθε πάθος;
μητέρα παρθενικήν τε κόρην δισσοῦς τε συναίμους
ἐν ταύτῳ φέγγει μοιριδίῳ φθιμένους;*

Statim cum postremam didascaliam commisisset, Euripides a patria abiit. Nam Suidas eum quadraginta sex annis tragoedias docuisse retulit (ἐπεδείξατο δὲ ὅλους ἐν-
αυτοὺς μὲν), id est ab Ol. 81, 1. ad Ol. 92, 4. sive ab anno 454 ad annum 408. Ab hoc igitur tempore ad mortem eius non plus duo anni intercesserunt, quo spatio et iter quod diximus confecit et degens in Macedonia quattuor fabulas, Archelaum, Iphigeniam Aul., Alcmaeonem Corinthium et Bacchas composuit: quarum tragoediarum primam rogante Macedonum rege huius gloriae et maiorum eius celebrandae tributam esse veteres memoriae prodiderunt scriptores. Diomedes grammaticus lib. III., quo loco quid inter comoediam et tragoediam intersit docet, „Euripides,” inquit, „petente Archelao rege, ut de se tragoediam scriberet, abnuat ac precatus est, ne accideret

Archelao aliquid tragoediae proprium, ostendens nihil aliud esse tragoediam, quam miseriarum comprehensionem." Satisfecit nihilominus roganti noster ita, ut quae de Temeno, ut regni Macedonum auctore, fama tradebantur, in illius nomen transferret, id quod Agatharchides apud Photium cod. CCL. p. 1332. notavit: οὐδ' *Εὐριπίδου κατηγορῶ τῷ μὲν Ἀρχελάῳ περιτεθεικός τὰς Τημένου πράξεις**, τὸν δὲ *Τειρεσίαν* (in Bacchis) *βεβιωκότα παρειαγόντος πέντε γενεῶν πλέον;* cf. vit. cod. Mediol. coll. Ambros. Certamina autem ludosque scenicos Archelaus ad exemplum Atheniensium instituerat, teste Diodoro XVII, 16. In iis ludis quin praeter Archelaum etiam Iphigeniam, Alcmaeonem et Bacchas Euripides in certamen commiserit, noli dubitare. Regum enim praecipua vitia vario modo in his dramatibus arguuntur; tum magnifice laus Macedoniae praedicatur in Bacchis, cum quasi Euripidis verbis chorus optet, ut in Pieriam transferatur, ubi pulcherrima sit Musarum sedes, sacri Olympi vertex. „Istuc me duc, o Bromie, qui praees bacchationi; ibi sunt gratiae, ibi dulcedo, ibi Bacchis fas est orgia celebrare**)!” Item alio loco haecce cantat: „O beata Pieria, te colit Evius et veniet saltaturus cum strepitu bacchico adducetque secum Maenadas saltantes, transmittens rapidum Axium cum Loedia flumine***), quem audio opulentiae mortalibus auctorem esse, quum pulcherrimis aquis campos equis aptos irriget.” Possis ex scholio Hephaestionis c. 6. p. 87. conicere Bacchas satyricorum dramatum numero habitas esse: ἴδιον δὲ σατυρικοῦ τὸ μέσον εἶναι τραγικοῦ καὶ κωμικοῦ, ἤγουν δέχεσθαι καὶ τοὺς τρισυλλάβους μὴ κατακορῶς, οἷον ἦν δ' ἄγκος ὑψίκορημον ὄρεσι περιδρομον (cf. v. 1049. Elmsl.).

Sed natura huius carminis ab eo genere longe diversa est. Potius tertium ei locum in tetralogia assignatum

*) Rectius Perdiccae, Temeni filii, res in Archelaum translatas esse dixisset; cf. Herod. VIII, 137. Sed potuerunt alia ab aliis tradita fuisse.

**) Cf. Plutarch. vit. Alexandri c. 2.

***) Media inter utrumque fluvium sita erat urbs Pella, in qua reges Macedonum habitabant.

fuisse propter splendorem sumtuosum habitus scenici verisimile est: quandoquidem Plutarchus de glor. Athen. c. 6. p. 349. A. testatur plus pecuniae ab Atheniensibus in Bacchas et Phoenissas et Oedipodas et Antigonem et in Medae Electraeque mala, quam in bella pro principatu et libertate suscepta, impensum esse*). Certe gravius hoc est argumentum, quam quod ab numeris ducitur: observatum enim est a quibusdam senarios plus minus quinquaginta primum pedem anapaestum habere, et in 950 versibus solutiones 368 esse. Commodius Archelai fabula propter felicem rerum exitum locum satyrici dramatis obtinere potuit. Defuncto Euripide filius eius in Atheniensi theatro fabulas, quas pater in Macedonia docuerat, iteravit, sed omisso, opinor, Archelao, verens nimirum, ne alienorum amicitiam pater favori civium anteposuisse videretur. Testimonium didascaliarum exstat apud schol. Ran. Aristoph.: οὕτω δὲ καὶ αἱ διδασκαλῖαι φέρουσι, τελευτήσαντος Εὐριπίδου τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδασχέναι ὁμώνυμον**) ἐν ᾧστίι Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι, Ἀλκμαίωνα, Βάκχας. Quocum congruunt quae in vita codd. Mediol. Havn. scripta sunt: καὶ υἱὸς κατέλιπε τρεῖς, Μνησαρχίδην πρεσβύτερον, ἔμπορον, δεύτερον δὲ Μνησίλοχον, ὑποκριτὴν, νεώτερον δὲ Εὐριπίδην, ὃς ἐδίδαξε τοῦ πατρὸς ἕνα δράματα. Etiam Thomas Mag. filium cognominem περὶ λόγους διατρίβοντα et Moschopulus commemorant, additque hic quintam victoriam defuncto Euripide operibus postumis concessam esse: νίκας δὲ εἴλετο πέντε, τὰς μὲν τέσσαρας περιῶν, τὴν δὲ μίαν μετὰ τὴν τελευτήν. His tam consentientibus ac praesertim didascaliarum fide munitis testimoniis erroris vincitur Suidas (sive Dionysius), qui cetera quidem eadem atque iisdem paene verbis refert, sed pro Euripidis filio filium ex fratre fuisse iuniorum illum Euripidem affirmat et unum drama pro tribus commemorat: νίκας δὲ ἀνείλετο τέσσαρας περιῶν, τὴν δὲ μίαν μετὰ τὴν τελευτήν, ἐπιδειξαμένον τὸ δράμα

*) Cf. Schoen. de personarum in Euripidis Bacchabus habitu scenico. Lips. 1831.

**) Vulgo ὁμωνύμως. Emendavit Boeckh.

τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Εὐριπίδου. Paulo autem antea haecce posuit: Εὐριπίδης τραγικὸς τοῦ προτέρου ἀδελφιδοῦς, ὡς Διονύσιος ἐν χρονικοῖς. Ἔγραψε δὲ Ὀμηρικὴν ἔκδοσιν, εἰ μὴ ἄρα ἑτέρου ἐστὶ. Δράματα αὐτοῦ ταῦτα: Ὀρέστης, Μήδεια, Πολυξένη. Neque Hyginus, qui multa passim vicina confudit*), neque Dionysius dignus est, cuius auctoritatem didascaliarum fidei antepo-
namus, cum praesertim magis idoneus filius ipsius fuisse, qui patris loco coronaretur, quam fratris videatur. Tradiderunt artem filiis Aeschylus, Sophocles, Aristophanes: quidni igitur etiam ex Euripidis filiis unum patris voluntati respondisse credamus?

Fuerunt qui Iphigeniam Aul. per iuniorē illum Euripidem interpolatam esse contenderent, etsi de correctione tragoediarum, quas ille patris loco commisisse traditur, veterum nemo cogitavit et prioris, non iunioris, Euripidis carminibus victoriam concessam esse omnes docent. Aeschyli quidem dramatis, ut possent placere et cum politioribus recentiorum poetarum certamen inire, correctionem adhibendam esse Athenienses decreverant. Sed quis credat aut tam impium fuisse filium Euripidis, ut patris carmina, non postulantibus civibus, interpolando corrumpere, aut tam insipidos Athenienses, ut turpius deformatum opus, quam quod nostrates grammatici ferant, illi pro integro sibi venditari paterentur? Quodsi Iphigeniam nisi interpolatam ille docendo idoneam esse negaverat, quidni etiam Bacchas interpolaret? Inchoatum, inquiunt, a patre relictum opus filius perfecit. At, o boni, estne hoc perficere, si quis lacerata miroque modo perturbata exhibeat quae composita antea et congrua fuisse facile intelligas? Retravit filius quaedam paternarum tragoediarum argumenta sic, ut operum huius et illius diversitas neminem falleret et Orestes atque Medea fabulae filii a cognominibus patris fabulis facile dignoscerentur. Quidni igitur etiam Iphigenias

*) Hoc quidem loco ad Euripidem transtulisse videtur quae de Sophocle tradebantur; cf. argum. Oedip. Col.: τὸν ἐπὶ Κολωνῶν Οἰδίποδα ἐπὶ τετελευτημένῳ τῷ πάντῳ Σοφοκλῆς ὁ υἱδοῦς ἐδίδαξεν.

utriusque, si modo exstitissent, distingui potuisse credamus? *Μεταθετικὸν γέννημα γὰρ ἐστὶν*

Sin quis a posteriorum poetarum aliquo interpolationem factam esse arbitratur, reputet, quam difficile fuerit factu, ut permutarentur surriperenturque hominibus Graecis ea, quae plerique memoriter didicissent. Plane incredibile est locum eiusmodi fraudi fuisse ante ea tempora, quibus imminui coepit eruditio vulgi et ignorantia Graeciam invasit, quibus temporibus scriptus est cento Christi Patientis. Memoriae traditum est exemplum interpolationis vetustum a Neophrone Sicyonio factae, qui fuit Alexandri Magni temporibus et in vulgus edidit fabulam Medae, quam mutatione quadam adhibita Euripidis esse Dicaearchus atque Aristoteles arguerunt; vide scriptorem argumenti prioris (ed. Pflugk. p. 4.): τὸ δράμα δοκεῖ υποβαλέσθαι παρὰ Νεόφρονος διασκευάσεως, ὡς Δικαιαρχὸς τε περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ὑπομνήμασι. Sic scriptum est in cod. Flor. Vulgo διασκευάσεως, ex qua corruptela natus est error, quem iteravi ipse, secutus alios, T. I. p. 345., quo errore Euripidem a Neophrone, non Neophonem ab Euripide mutuasse quae pro suis venderet opinantur. Veriora docent Suidas et Diogenes Laertius, quorum ille s. v. Νεόφρων, Σικωνίος, τραγικὸς οὗ φασιν εἶναι τὴν Εὐριπίδου Μῆδειαν, ὃς πρῶτος εἰσηγάγε παιδαγωγοὺς καὶ οἰκειῶν βάσανον. Ἐδίδαξε τραγωδίας ῥά. Συνην δὲ Ἀλεξάνδρῳ τῷ Μακεδόνι, καὶ διότι φίλος ἦν Καλλισθένει τῷ φιλοσόφῳ, σὺν ἐκείνῳ καὶ αὐτὸν ἀνεῖλεν αἰκισμοῖς. Diogenis autem II, 134. haecce sunt verba: τῆς Μηδείας τῆς Εὐριπίδου, ἣν ἐν τοῖς Νεόφρονος εἶναι τοῦ Σικωνίου φασιν. Qualis haec fuerit interpolatio, ex duobus exemplis cognoscitur, quorum alterum apud Stobaeum XX. p. 172. (107.) exstat, haesitationem continens Medae liberos interfecit:

εἶεν, τί δράσεις, θυμέ; βούλευσαι καλῶς
πρὶν ἔξαμαρτεῖν καὶ τὰ προσφιλέστατα
ἔχθιστα θέσθαι· ποῖ ποτ' ἐξῆξαι, τάλας;
κατίσχε λῆμα καὶ σθένος θεοστνγές.

καὶ πρὸς τί ταῦτ' ὀδύρομαι, ψυχὴν ἐμὴν
 ὀρῶσ' ἔρημον καὶ παρημελημένην
 πρὸς ὧν ἐχρῆν ἦμιστα; μαλθακοὶ δὲ δὴ
 τοιαῦτα γιγνόμεσθα πάσχοντες κακά.
 οὐ μὴ προδώσεις, θυμέ, σαυτὸν ἐν κακοῖς.
 οἴμοι, δέδοκται· παῖδες, ἐκτὸς ὀμμάτων
 ἀπέλθετ'· ἤδη γὰρ με φοινία μέγαν
 δέδυκε λύσσα θυμόν. ὦ χέρες, χέρες,
 πρὸς οἶον ἔργον ἐξοπλιζόμεσθα! φεῦ·
 τάλαινα τόλμης, ἢ πολὺν πόνον βραχεῖ
 διαφθεροῦσα τὸν ἐμὸν ἔρχομαι χρόνῳ;

cf. Eurip. v. 1010—1070.

Alterum fragmentum schol. Eurip. Med. ad v. 1377.
 servavit, sed vitiiis pluribus deformatum: *Νεόφρων* δὲ *ξε-*
*νικώτατον ἀγχόνη ποιῆ**) *τελευτήσαι* (τὸν *Ἰάσονα*)· *τὴν*
γὰρ Μήδειαν παράγει πρὸς αὐτὸν εἰποῦσαν·
 „τέλος μόρω γὰρ αὐτὸς ἐχθίστῳ φέρεις**),
 βρόχον τὸν ἀγχόνης ἐπισπάσας δέρη.
 τοία σε μοῖρα σῶν κακῶν ἔργων μένει.
 ἄλλους διδάξεις μυρίους ἐφημέρους***)
 θεῶν ὑπερθε μήποτ' αἰρεσθαι θράσος†).”

A. Iphigenia in Aulide.

Quum ante hos septem annos ego prooemium huius
 tragoediae in initio eius collocandum esse ostendissem,
 quanti undique clamores! Magnam nimirum hominibus eru-
 ditis iniuriam feceram, qui videram quod multorum aciem
 fugerat ac demonstraveram quod semel demonstratum dis-
 simulari posse desperabant. Quid enim? num narratio
 eo loco, quo vulgo ponitur, quadrat? Nemo sanus affir-

*) Vulgo γὰρ pro ποιῆ.

**) Vulgo τέλος γὰρ αὐτὸς ἐχθίστῳ μόρω φέρεις.

***) Vulgo διδάξεις τοὺς ἄλλους μ. ἐφ.

†) Vulgo αἰρεῖσθαι βροτούς vel βροτοῖς.

mare potest recte se habere quod est contra naturam rationemque: nam neque initio quaerit senex ea, quae Agamemnon respondet, neque postquam hic exposuit quae nemo desideraverat, ille eorum, quae cum maxime multis verbis explanata sunt, gnarum se esse ostendit. Num demta illa narratione reliquum colloquium non recte procedere et singula apte haerere concedendum est? Expeditum profluit colloquium et congruunt inter se verba omnia; qui autem a quibusdam viris doctis iniecti sunt scrupuli, ii faciliori negotio tolluntur quam iniecti sunt. Num ad principium relata narratio illa non iusti prooemii munere fungitur et forma eius prooemiis reliquarum fabularum non similis est? Plane nihil neque deest neque abundat, nisi quod Agamemnon, quo sit nomine, non aperte pronuntiat: quod si omnino necessarium sit, nonnullos versus a principio eius per interpolatorem ablatos esse discernendum erit.

Duabus fere ex partibus, ut saepius monui, prologi fabularum Euripidis, i. e. actiones eae, quae chori ingressum praecedunt (*μέρος ὄλον τραγωδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου*, Aristot. Poet. c. 12, 1.), constant, quarum altera est continua narratio*), altera fere colloquii, interdum cantici, formam induit. Narratione continua sive prooemio nullum Euripidis drama caruisse testibus iis, quos T. I. p. 12 seq. et 322. posui, credendum est. Quae qui agunt prooemia, ii ad theatrum conversi de rebus, quae actionibus praecedere finguntur, prolixè edocent, hoc unum curantes, ut caussae rerum omnes spectatoribus pateant, quo fit, ut poetae magis quam suam personam agere videantur. Omnes enim commemorant enarrantque ea, quae commemorare atque enarrare neque affectibus, quibus eos cum maxime moveri necesse sit, neque occupationibus eorum aut temporis necessitati satis convenit. Deme ex fabulis haec prooemia, et habebis prologos Euripidis cum Sophoclis prologis exaequatos neque dramata mutilata esse videbuntur. Est igitur Euripidis prooemiorum

*) εἰς τὸ μὲν τὰ γεγονότα ἢ τὰ ἐσόμενα δηλών, grammaticus quidam in Rhett. Att. T. II. p. 19. ed. Walz.

ratio eadem, quae Menandri fuit, qui prosopopoeia utens *Ἐλεγχον*, *Φόβον* et eius generis alias personas ad dicenda prooemia producere solebat; cf. Meineke Men. et Phil. fragm. p. 284. Quamobrem quum neque ab imperitia illud poetae institutum neque ab inertia profectum esset, sed potius a prudentia atque diligentia, non erat quod unquam a more consueto Euripides recederet; et si vel maxime in hac fabula recedere placuisset, omisisset prooemium, non in medium colloquium temere intrusisset, neque absurda mixtione alteram partem in alteram discrepantem abhorrentemque importune inserendo corrupisset utramque. At nunquam Euripidem instituti sui poenituit, nunquam prooemiis dramata instruere omisit. Documento est fabula Baccharum, quae una cum Iphigeniae fabula in scenam delata est. Nam si extrema aetate Euripides aut defuncto eo filius eius prooemia improbaret, cur in Bacchis relinqueret?

Altera pars, quam dixi, prologorum in Ionis fabula ex cantico satis longo, et quod totum in rebus exponendis versetur, constat. In Bacchis vero parodus ipsa vice prologi fungitur; idem fit in Supplicibus et in Cyclope, in quibus fabulis chorus, quod minime otiosum se praestaturus est spectatorem, adveniens statim grave affert rerum momentum. Quae autem in ceteris fabulis colloquia inter prooemia et parodos interiecta sunt, iambicis numeris inclusa sunt omnia praeter Phoenissarum prologum et Iphigeniae Aul.: nam qui in Hecubae, in Medae, in Troadum, in Andromedae fabulis trimetros excipiunt anapaesti diversae sunt conditionis, quum lamenta contineant anticorum, quibus chori ingressus praeparatur, ut parodi pars quam prologi verius esse videantur.

Agamemnonis narratio alte repetit ortum rerum, ab Helenae nuptiis, tanquam fonte, proficiscens: qui mos prooemiorum a Loxopatre in Rhet. Att. T. II, 228. notatus est: *σύντομον ποιήσεις τὴν διήγησιν, ἔὰν μήτε πόρρωθεν ἄρχῃ, καθάπερ ἐν τοῖς πολλοῖς* (scr. *προλόγοις*) *πεποιήκεν Εὐριπίδης κτλ.* Haec diligentia parum congruit cum festinatione hominis antevertere cupientis, ne filia in castra perveniat, et plane abhorret a trepidatione, in qua

somno privatus media de nocte, absoluta tandem epistola, quam scribens iterum iterumque delebat, ex cubiculo prodiit, denuo exploraturus, an ne nunc quidem mutatae tempestatis spes praesagiumque appareat. Verum talia, ut dixi, consueta sunt in prooemiis, quorum omnium ea est natura, ut possint, levi adhibita mutatione, ad quamlibet aliam personam transferri; eadem in aliis dramatum locis posita plane intolerabilia essent. Ex praetorio (βασιλικῶν δόμων, v. 853.) sive tentorio (σκηνηῆς, v. 73.) prodicens rex cur non statim secum famulum adducit, utpote in eodem tabernaculo commorantem et in latere suo haerentem? cur tum demum, postquam ipse foras egressus est, clamando illum intus cubantem e somno excitat? Nimirum expositurus antea theatro fuit ea, quae ante illud colloquium collocanda esse docuimus. Contrarium absurdum est et a consuetudine scenicorum poetarum abhorret. Ab Euripidis vero privato more abhorret, solius confabulationis caussa, ne quis ad concionem theatri dicere videatur, alteram personam supervacaneam induci et malle reges cum singulis servis quam cum populi frequentia consilia sua communicare. Evocat igitur senem rex eo demum tempore, quo illo opus est: qui vocatus extemplo progreditur; nam quum natura alacer, sagax vegetusque sit, tum animadversa domini perturbatione curas pectore volventis noctem insomnem egit. Quamobrem hic quidem cupidus est cognoscendi; rex autem, cunctabundus atque ambiguus, rursus coelum et noctis tempus et futurae tempestatis praesagia exquirat, misere cupiens citra suum incommodum Graecos ingruente vento voti compotes fieri. Postquam durare malaciam ac tranquillitatem sensit, suam sortem cum famuli sorte comparans et cupidinem imperandi causam sibi fuisse infelicitatis reputans, senem „laudat et fortunatum esse dicit, qui inglorius sit atque ignobilis ad supremum diem perventurus.“ Ibi famulus fidelis confirmare studet animum domini praeter modum demissum simulque obsecrat, ut secum communicet causam sollicitudinis et quidnam animo agitans per noctem accensa face epistolam eam, quam manu teneat, scripserit scriptamque deleverit, signaverit rursusque solverit, abie-

cerit in terram lacrimas fundens abiectamque resumserit, ut paene furere atque insanire videretur. Aperit igitur Agamemnon id agi, ut filia sua Iphigenia ex vaticinio Calchae Dianae immoletur: cuius perniciiei vitandae causa epistolam a se scriptam esse, quam ad uxorem statim perferendam esse; simul, ut famulus litteris consona nuntiet, voce refert quae perscripta sunt: „Mitto tibi, o Ledaee filia, super priores litteras alteras, ne filiam tuam Aulidem mittas: alio enim tempore nuptias filiae celebrabimus.” His auditis causam quidem arcendae virginis cognovit senex, ceterum quod omnibus persuasum est, virginem Achilli desponsam ad nuptias celebrandas initio arcessitam esse, id fictum esse nondum cognovit. Itaque timendum esse dicit, ne Achilles nuptiis frustratus Agamemnoni graviter irascatur. Ubi autem hic aperte dixit nuptias obtentui sumtas atque inscio Achille simulatas esse, vehementer miratur senex per fraudem atrocissimam ad aram deae virginem pro victima adduci, et miratur Agamemnon ipse adeo se mente captum fuisse, ut committeret ea, quibus ipse pessumdaretur. Iam properare iubet senem neque quiescere, donec ad eos, qui Iphigeniam deducant, pervenerit, et speculari, ne quo tramite praetervehentes ipsum fallant. Fac, inquit, portas castrorum festinanter traicias, ut, ubicunque obviam habueris rhedam, qua filia mea vehitur, equos arreptis frenis retrorsum Mycenae agas. Quaerenti deinde seni, quomodo fidem facturus sit virgini aut etiam matri eius, quarum nuptiarum spe laetae fuerint, eas nullas esse nuntiando, Agamemnon signum epistolae documento fore respondet.

Haec si quis non optime cohaerere, si non singula interrogata responsaque apta esse, quadrare et congruere intelligit, eum puto ipsum mente labefacta delirare. Trimetros autem in fronte prologi ponens num audacius feceris quam reliquorum grammaticorum plerique, qui turbatum versuum ordinem videntes codicum fidem et ipsi repudiarunt? Quod autem quinque trimetros spurios esse iudicavi et in anapaestorum locum substitutos, minus miraberis, si qua ratione is, qui Christum Patientem composuit, Euripidis versiculos immutaverit reputabis. Neque

enim dubito, quin eiusdem versificatoris manu atque opera, qui illam egregiam fabulam ex versibus Euripidis undique depromptis consarcinavit, nostro quoque dramati corruptelae illatae sint.

Interim, dum illa rex cum famulo agit, dies illuxit*): ficta enim tempora pro veris in scena transiguntur. Multum iam diei choro ingrediente absumtum esse necesse est, siquidem hoc die illa omnia, quae memorat, lustrata ab illo esse finxit poeta. Neque pernoctasse mulieres Aulide in media militum turba, quum praesertim nulla negotiorum functione tenerentur, verisimile est. Rursus igitur noster licentia corripendi producendique spatia temporum usus est *οὐ φροντίζων τῶν ἀκριβολογούντων*. Ex Chalcide autem profectae mulieres Euripum traiecerunt tam angustum, ut ponte iungi potuerit, teste Plinio H. N. IV, 12, 21. Et venerunt spectandi exercitus caussa, quem acceperunt ducibus Atridis Troiam ad repetendam Helenam proficisci. Iamque lucum Dianae peragrantes universa castra oculis lustrarunt: ubi quum arma et tabernacula et equos admirarentur, conspexerunt principes Graecorum partim aleae partim disco vacantes, Achillem vero armis indutum cum Eumeli velocissimis equis cursu certantem atque una ad metam pervenientem. Haec imago militum ludo ac certaminibus tempus fallentium ostendit desidiam exercitus ventum exspectantis, cuius desidia impatientissimus omnium Achilles contentione laboriosissima languori medetur. Et merito hunc poeta exemptum turbae peculiari laude conspicuum esse voluit; reliquorum autem duos posuit circulos, quorum alteri insunt Aiaces cum Palamede, alteri Ulysses Diomedesque cum Merione; neque Nireus formosissimus oculos effugit. Consociavit idem Ulysssem cum Diomede in Rhesi et Philoctetis fabulis: qui adversarii Aiacibus ac Palamedi interitum his apud Troiam parasse tragicis fingeantur. Tantum igitur abest, ut in molesta enumeratione hoc carmen versetur, ut prudenti utens

*) Antequam postremae vigiliae statione decederent occideretque Arcturus (*ἀκίνητοι φυλακαὶ τειχέων* — Σείριος ἔτι μεσσηγής), senem evocaverat Agamemnon.

dispositione simul et studia virorum diversa significet et illustriores eorum distinguat. Tum, etsi, ut parodus, docendo aptius quam commovendo est, tamen etiam insurgit, quo loco Achillem cum quadrigis cursu certantem imitatur. Quorum omnium contraria insunt navium indici, quem interpolator elucubravit; omitto, quod facultate numerandarum navium notandorumque ducum singulorum feminae, quae praesertim cito transirent et pudore impedirentur, plane caruerunt.

Quanta formidine ac poenitentia Agamemnon afficitur appropinquante die, quo filia in castra perventura est, tanto cum desiderio Menelaus eiusdem adventum, quasi pignus recipiendae uxoris, exspectat. Itaque quum uno tempore et ille famulum uxori filiaeque obviam mitteret eversurus quae instituit, et hic obviam proficisceretur ad deducendam victimam, factum est, ut famulus a Menelao interciperetur et ereptis resignatisque litteris fraus cognosceretur. Sene epistolam manibus regis rursus extorquere conante, hoc autem verbera illi intentante, rixantes ambo ad praetorium revertuntur, ex quo postquam prodiit Agamemnon, clamoribus famuli excitatus, Menelaus in eum, quasi hominem fraudulentum, varium mobilemque, magna cum confidentia invehitur, invicemque ille arrogantiam fratris acriter convincit. Haec contentio morum depingendorum praebet occasionem. Et Agamemnonis quidem persona quasi effigies et exemplar expressa est demagogorum misera honoris cupidine laborantium, ac nihil non facientium patientiumque, dum potentiam consequantur. Itaque ille, quo tempore operam dedit, ut imperium bellique administrationem adipisceretur, quamvis dissimularet cupidinem, comis humilisque omnium dextras prensabat, aditus diurnos nocturnosque cuilibet praebat popularium et quoscunque conveniebat, etiamsi minus desiderarent, blande compellabat, moribus quasi mercari studens honorem in medio positum. Idem accepto imperio, repente mutatus, priores amicos negligebat, difficilis aditu et in aedibus clausus. Ex hoc fastidio subito contracto ac demisso esse animo coepit, simulatque cum adversa fortuna conflictatus est: nam quum Aulidem pro-

fecta classis vento carens retineretur, despondebat animum, perierat, nullus erat. Quum autem duces dimitti exercitum iuberent neque frustra laborare, tum vero, spe deiectus terram Priami maximis copiis inuadendi, moesto admodum consternatoque vultu esse et quaerere ex fratre: quid faciam? quodnam inueniam remedium? scilicet ne imperio privatus gloriam amitteret! Mox viam ostendente Calcha ac dicente copiam fore navigandi, si Iphigeniam immolasset, lubens annuit ac sine mora nuntio misso uxorem iussit filiam quasi Achilli nupturam in castra mittere. Nunc rursus mutata voluntate aliam submisit epistolam, scilicet filiae suae interfector esse nolens. Optime vero*)! Hic idem aether contrarium profitentem audivit, et passus est idem, quod in rebus administrandis plurimi passi sunt: nam quum recentes in imperio nihil non laboris detrectassent, turpiter exciderunt, partim civium iudiciis stultis victi partim ipsi se moli pares non esse intelligentes. Ergo non decet proprii commodi caussa quemquam vel magistratum vel imperatorem creare: prudentia opus est iis, qui rempublicam administrant, qua quicumque praestat, quamvis sit privatus, princeps est. Paullulum in deterius haec morum lineamenta, ut ab homine irato, deflexa sunt; ceterum huic pravitati obnoxios plerosque esse, qui in liberis civitatibus magistratus petant, notum est, neque, nisi insana honoris cupidine mens Agamemnonis transversa raperetur, fieri potuit, ut filiam immolare, quam imperio se abdicare, mallet. Honestiorem effingere summi imperatoris personam licuit iis tragicorum, qui in scio illo vel invito virginem per Ulyssem Diomedemque, decepta matre, adduci fecerunt: quod factum a quibusdam esse ex Hygini (fab. 98.) et Dictyis Cret. (c. 19—21.) narrationibus intelligitur.

Alia cupidine, ac paene turpiore, Menelaus furit. Qui dum ambitionem fratri ira inflammatus, ardentibus oculis, exprobrat, ipse neglecto aequo honestoque, ut impudicam mulierem, qua deorum beneficio liberatus est, in domum atque in amplexus suos reducat, et patriam et fratrem et

*) *ὡς φορευὲς οὐκέτι θυγατρὸς σῆς ἔσει. Κάλλιστά γε.*

se ipsum it perditum. Quamvis autem vehementi cupidine Graeci ad bellum barbaris inferendum ferantur, tamen, quum fraus fuerit caussa eius principiumque, stulti est sperare felicem exitum habitura ea, quae ab iniusto fonte profecta sint. Haec dum alius alii exprobrat, tempus rei gerendae amittitur: itaque quo tempore vicisse Agamemnon constanter recusando videtur, eo ipso insidiis, quas ipse struxit, repente opprimitur: antevertit eum fortuna et fraude fraudem superat. Accurrit enim nuntius propter laetitiam, quam se putat afferre, properans, adesse virginem cum matre et fratre parvulo clamans, et obviam iis turbam militum videndi cupidam processisse: ergo sine mora iam tempora sertis redimienda esse, tiliarum strepitum cum saltatione instituendum; illuxisse enim diem virgini ac domo faustissimam. „Laudo,” inquit Agamemnon, „sed intro abi: reliqua, cursum suum persequente fortuna, procedent egregie.” Tanquam autem qui vinculis iniectis ad supplicium ducitur et dignissimum se poena esse intelligit, animum abiecit, ut ne lacrimas quidem retineat, in perniciem se honoris cupidine praecipitatum videns praesentiensque dolorem et cruciatus, quos uxorem filiamque et parvulum filium conveniens perpessus est. Menelaus vero hac conspecta fratris conditione, repente mutatus ab iracundia ad pudorem, a ferocia ad pietatem convertitur dextramque misero porrigens parcere eum vitae filiae ac dimittere exercitum iubet. At proh dolor! omnis iam huic abiit retexendi quae inchoata sunt facultas. Nam si volet filiam clam domum remittere, verendum erit, ne Ulysses palam in concione accuset, quod deam et exercitum victima fraudarit, quin etiam, concitata multitudine, interitum et ipsi et regno eius paret. Obtrectat enim Agamemnoni Ulysses, eamque ob rem ad calumniam aemulum spoliandumque pronus est. En verissimam morum saeculi et naturae rerum publicarum imaginem! Neque enim quisquam princeps civitatis unquam sine aemulo fuit, qui ex illius interitu gloriam sibi et honorem quaereret: quorum quum utriusque potentia in multitudinis mobilis stultaeque favore niteretur, fraus fraude vincenda insidiaeque insidiis vitandae erant neque fere per

bonas artes principatus aut parari aut retineri poterat. Semel igitur his negotiis implicato Agamemnoni non licet scelus abnuere: unum curandum est, ut quam paucissimis cum lacrimis perpetrare possit, celata Clytaemnestra, ne ante resciscat quam immolata sit virgo.

Omnium, quae unquam a poetis scripta sunt, nil potest praestantius esse quam hoc episodium. Nam ut alia omittam, quantus vigor est actionis, quam vehemens contentio, quam argutae sunt sententiae, quam decent omnia et apte haerent et necessario alia ex aliis nascuntur, quam movet animos nuntius ad desperationem adducens eum, cui summa cum laetitia gratulatur! Merito chorus haec intuens constantiam ut fundamentum virtutum praedicat, quam neutiquam dicit absentiam affectuum vel torporem esse, sed moderationem atque temperantiam. Ad moderationem autem partim natura homines partim disciplina duci: niti enim illam tum pudore, quo turpia vitemus, tum ratione, qua quid in quaque re deceat quaeramus. Et mulieres maxime castitate, viros innocentia laudem et gloriam aeternam adipisci: illa domus, hac civitates augeri. Hoc carmen perinde dulce atque utile est, dignumque quod omnium adolescentium memoriae inculcetur.

Venit Clytaemnestra cum Iphigenia et comitatu famularum. Species ipsa mulieris declarat eam et ipsam claris esse parentibus natam et filiam principis viri matrimonio adducere. Qua spe beata, magis etiam quam antea filiam diligit curatque delicatius; etiam Orestem parvulum, ut nuptiis intersit, secum adduxit. Postquam caute omnes de rheda descenderunt, conspecto Agamemnone, Iphigenia sine mora ad pectus patris se coniicit. Instituitur colloquium ambiguitate breviter dictorum insigne, quo in genere, ad movendum validissimo, maxime excellit Euripides. Simplex, placida, nullo adhuc dolore tacta puella tota est in amore parentis; haec innocentia virginis fraude circumventae, haec imprudentia gaudens recepto patre, qui immolaturus est, haec securitas et praesentium rerum iucunditas comparatione mali imminentis misericordiam commovent. Agamemnon autem suspensis atque ambiguis utitur verbis dolorem dissimulans et sen-

sorum indicia passim erumpentia reprimens. Miserrimus enim est, tanquam altera Medea interficere coactus quos diligit. Nam quasi qui insanus se ipse vinculis constrinxit, quae redeunte mente sana iam solvere nequit, in desperatam necessitatem coeco animi furore devenit, ut ne reluctari quidem liceat horribilia patienti. Merito igitur vel filiae sortem felicem praedicat cum sua comparatam, quandoquidem haec innocens imprudensque malo opprimitur, ipse sciens inspectansque obviam it malis sua culpa contractis. Evidentius, quam ullis disputationibus fieri possit, hoc carmine scenicus philosophus ostendit omni peste perniciosiores, omnibus dominis saeviores, omnibus vinculis arctiores esse animi perturbationes. Fac te potentissimarum civitatum gubernacula tractare, maximis imperare exercitibus, fortissimorum virorum ducem esse, tamen, nisi cupidinibus imperare et tibi res, non te rebus, subiicere didiceris, omnibus servis turpius servibis ac vi necessitatis te constringi videbis.

His peractis Clytaemnestra, ut mulier ambitiosa, de maioribus sponsi, de parentibus, de doctoribus quaerit curiosius; nuptiae vero quales apparentur, tam studiose sciscitatur, ut matris munere in illis fungi summae ei voluptati esse appareat. Irrita igitur spes est Agamemnonis persuadendi uxori, ut, priusquam res perficiatur, domum redeat, et confunduntur illius consilia, hac ius suum pertinaciter tuente. Sic rex potentissimus, dum iniusta per fraudem machinatur, cedere etiam uxoris voluntati cogitur.

Inde ad aliam meditationem avocamur choro tertio. Quum iam certum sit Iphigeniam immolari, ne hunc eventum tanquam rem saevam horreamus, quantum unius puellae morte commodi gloriaeque redimatur, docemur. Necessario autem chorus, cum sit a principum consortio et consiliis alienissimus et insuper silentio tegere quae audit iussus, omissis iis, quae mulierum Chalcidensium naturam decerent, graviolem quandam induit personam loco auctoris monens quae proposito conducant.

Venit deinde Achilles impatiens morae et postulaturus ab Agamemnone, ut omissa tandem cunctatione aut con-

silia ineat ea, quibus proficiscendi facultas impetretur, aut dimittat exercitum, alioquin ipse seorsum ab imperatore quae videantur executurus. Absente autem forte Agamemnone, Clytaemnestra ad salutandum generum, quem putat, prodire non dubitat. Mirante Achille atque nuptias a se ullas expetitas esse negante, Clytaemnestra autem stupore ac pudore confusa, famulus ille reginae fidelissimus, qui retro vertere iter Iphigeniae iussus erat, aperta paullulum porta praetorii exsertoque capite colloquium interpellat; mox, ubi solos illos sine arbitris adesse comperit, progressus, rem omnem reginae nil tale opinanti aperit. Lacrimatur Clytaemnestra, indignatur Achilles. Tum sine mora mulier ad genua iuvenis, tanquam dei praesentis, provolvitur; implorat, obsecrat, obtestatur, ut sibi et filiae opituletur destitutis proditisque ab eo ipso, quem pro praesidio habuerint, mortemque a virgine in ipsius connubium adducta defendat. Ad haec quae respondet Achilles, his ingenii eius inest descriptio. Sapientium est numero, utpote Chironis disciplina eruditus. Itaque magno sublimique est animo, ut neque adversis neque prosperis rebus gravius, quam par est, moveatur, quod genus hominum rationem, optimam vitae gubernatricem, constantius sequitur. Duce igitur ratione, quum sit simplicibus ingenuisque moribus, honeste quidem imperantibus Atridis obsecuturus est, sin minus honeste, officium detrectaturus. In hac autem re praeter misericordiam etiam iniuria, qua ipse affectus est, ad tutandam virginem et, si necesse sit, vel invitis omnibus, vi armorum defendendam impellitur. Ipsius enim corpus inscii fraudibus implicavit Agamemnon, ipsius nomine ad decipiendam perdendamque virginem abusus est. Esse se tanquam humilem aliquem ignavumque neglectum queritur. Certe enim ab ipso rogandum fuisse nomen, quo virgo irretiretur, neque se, si in hoc potissimum scrupulo laboraret profectio, quo minus id communi Graecorum commodo daret, detrectaturum fuisse. Nunc suam auctoritatem nullam esse, Atridas vero turpia honestaque, prout lubeat, miscere. Plus, quam par est, praeceptis philosophiae commendandis in hac oratione dedit Euripi-

des, ut parum absit, quin in ostentationem abeant quae de vitae suae instituto Achilles exponit. Verumtamen, si quid peccatum est, id continetur eo, quod ipsum de se fecit talia praedicantem, qualia, si vel Clytaemnestrae vel chori ore pronuntiarentur, molestia carerent. Hoc autem egit Euripides, ut, quum Atridas ut ambitioni ac libidini parentes notasset et Agamemnonem imprimis effinxisset parum sufficientem moli, quam regnandi ductus cupiditate suscepisset, his ex adverso poneret personam Achillis instructam iis virtutibus, quibus qui pollent soli constantiam servare, soli sibi aliisque recte imperare possunt, et principatum revera obtinent, non populi suffragiis, sed natura imperio praediti.

Merito talis viri tanquam dei auxilium ab afflictis, qui insidiis sceleratorum circumveniuntur, ad genua eius tanquam aram confugientibus, imploratur. Et multo quam dii, quos vulgus credit, sapientior est. „Idem,” inquit, „a me impetrabitis, sive supplicabitis mihi sive minus supplicabitis.” Itaque non solum abstinencia tanta est, ut adolescens virginis adpectu dolore confusae carere velit, sed etiam generositate tanta, ut pudori decorique miserorum ultro consulat; idem denique tanta prudentia, ut consilio prius quam vi res tractare constituat neque pacem et concordiam temere interpellare.

Haec excipit chorus omnibus numeris praestantissimus idemque rebus convenientissimus. Imago exprimitur nuptiarum Thetidis laetissimarum, cantibus Musarum, epulatione deorum, saltatione Nereidum illustrium. Cum hac festorum laetitia miseria componitur Iphigeniae, quam nuptiarum obtentu arcessitam Graeci ad aram pro victima tracturi sunt ac iuvencae instar iugulaturi regiam virginem principum virorum matrimoniis destinatam. Simul laudes Achillis praedicantur, cuius quantae essent futurae virtutes quantaque gloria, Apollo quondam cum Chirone et Centauris in splendidissimis matris nuptiis cecinit.

Sperans Agamemnon licere sibi filiam ignaram ab ignara matre ad sacra, quae nuptialia fingit, abducere, fraude detecta convincitur. Accusationem parat uxor, virginis ore

lacrimis oppleto unaque flente Oreste. Colloquium instituitur huiuscemodi:

Agam. Quid fles, filia, neque hilariter, ut ante, prospicis? quid obiecta veste in terram oculos defigis?

Quidnam accidit rei, quod moestis ac perturbatis vultibus cuncti conspiratis? quis vobis fecit iniuriam?

Clyt. Mene tu istud rogitas? Iste sensus ipse sensu caret. Dic quae te interrogavero ingenue, coniux!

Agam. Nihil opus est hortatu: ultro interrogari cupio.

Clyt. Filiam meam tuamque tu interficere conaris?

Agam. Eheu! dira elocuta es et suspicaris quae non oportet!

Clyt. Mitte haec, et rursus illud primum, quod quaesivi, responde.

Agam. Convenientia te interrogare oportet, si vis me convenientia respondere.

Clyt. At haec ipsa, quae quaero, convenientia sunt, tuque cave aliena respondeas.

Agam. O me infelicem! o gravem meam calamitatem!

Clyt. Et meam simul et huius! o nos omnes una miserimos!

Agam. Perii! prodita sunt secreta mea!

Confitetur igitur quae iam infitiamur nequit. Tum Clytaemnestra verba facit sic, ut optimo iure Agamemnonem, reducem Troia, ab uxore et liberis interfectum iri neque mortem Iphigeniae inultam fore intelligamus. Multum enim huius Clytaemnestrae mores ab iis, quae in Electrae fabula effinguntur, discrepant. Omnes enim numeros pudoris, probitatis pietatisque obtinet, gravissimis iniuriis lacessita ad vim vi ulciscendam coacta. Principio enim ille invitam duxit priore eius marito interfecto et infante recens nato per vim abstracto*): post quae etsi in gratiam cum eo rediit uxor, infantis nimirum desiderio impulsa, tamen facile intelligitur non potuisse animum mulieris ad amandum eum, qui maritus ex hoste factus erat, induci. Nunc rursus idem recuperandae pessimae mulieris caussa filiam Dianae immolaturus est nulla ipsius iniuria laesae neque

*) ἔγρημας ἀνουσάν με καμβάλες βία.

regis filiam nominatim poscenti, sed ambitione motus gratiam apud eos, quibus imperat, inire cupit. Huiusmodi sacrificium quid aliud, quam infaustum reditum, ei, qui obfert, praestare potest? His igitur lacessita maleficiis mulier, ubi, illo in bello absente, sola perpetuo cum luctu et lacrimis domi sederit, qua ratione interfectorem reducem exceptura sit, facile intelligitur. Sic Clytaemnestra causam dicens simul futura praedicit, qua praedictione propter saevum et flagitiosum Agamemnonis facinus non possumus facile carere. Clytaemnestrae exprobrationem minasque preces excipiunt Iphigeniae. „Si Orphei mihi vox et facundia esset, ut possem saxa trahere cantando et dicendo quoscunque cuperem delenire, eo confugerem; nunc lacrimis utar, quae solae sunt in mea potestate; pro suppliciis autem corpus meum a te procreatum genibus tuis applicabo. Noli me perdere immaturam: dulce enim est hanc lucem intueri; noli me cogere quae sub terra sunt videre! Prima ego te patrem appellavi et tu me filiam, prima tuis insidens genibus blandimenta et oscula dedi accepique vicissim. Ibi tu optabas, ut me quondam beati alicuius viri matrimonio felicem florentemque videres, ego autem, ut tibi seni hospitio penatium meorum excepto laborem nutrimentorum rependerem. Quorum tu oblitus me vis interficere. Noli, per Pelopem, per Atreum, per matrem hancce obsecro, cuius dolores partus non sunt huiusmodi praemio remunerandi. Quid ad me pertinent Alexandri nuptiae? an propter Helenae fugam mihi pereundum est? Respice me, largire adspectum osculumque, ut hoc saltem habeam moritura pignus, si nil moveris verbis meis.” His dictis necdum expugnato patris animo, fratrem infantem in auxilium vocat, ut ambo lacrimis pro verbis utentes mentumque patris tangentes supplicent. Unum addit verbum, quo omnia continentur: „Haec lux mortalibus adspectu dulcissima est, inferna autem pro nihilo aestimanda; stultus est qui mori cupit; misere vivere praestat quam pulcre mori.”

Haec oratio, si ulla alia, testimonio est, quantum dicendi facultati tribuerit Euripides, quem merito dixit Quintilianus cuilibet eorum, qui fuissent in foro disertis, comparandum

esse. Omnes enim habet numeros, neque ulla caret virtutum, quibuscunque amplissimae Demosthenis Ciceronique orationes ornatae sunt. Quis igitur dubitabit, quin ferro et hostium impetu violentius expugnet dicendi vis? Et Agamemnon, si quicquam in eo liberi arbitrii reliquum esset, non posset non filiam servare. Nam fractum eum dolore et misericordia esse facile intelligitur. Sed qui pridem non imperare subditis, sed parere consueverit, quomodo fieri potest, ut is vehementius filiae precibus aut uxoris ira, quam invidia armisque multitudinis moveatur? Qui ne tranquillo quidem mari cursum tenuerit, quomodo potest sperari eum ventis urgentibus obnisurum undarumque impetum aspernaturum esse? Itaque paucis dictis, quibus desperatam rerum conditionem suamque ignaviam significat, turpiter fugit, hac una in re laudandus, quod patienter tolerat quae mutare nequit. Ingens enim furor quidam, id quod Achilles quoque testatur, quasi divinitus immissus, exercitum universum invasit, flagrantque omnes cupidine ulciscendi contumeliam, finiendi mulierum rapinas, delendi barbaros, opibus gloriaque patriam augendi. His intellectis simulque necessitate moriendi cognita, Iphigenia ipsa iam minus patrem quam fatum suum a diis destinatum accusat, et paullatim in eam vertitur sententiam, ut pro exercitus victoria patriaeque gloria mortem fortiter sibi occumbendam esse decernat. Sed initio dolor recens querelis effunditur. Cantico igitur utens virgo iniquitatem fortunae sive deorum deplorat. Conspirat hoc carmen cum choro altero, quatenus libidine Paridis aliisque longinquis rerum caussis ad domum Agamemnonis pertinentibus interitum Iphigeniae parari ostendit.

Ex demagogorum aemulationibus tum reipublicae administrationem tum singulorum sortem pendere videmus. Obtrectans Agamemnoni et praestantissimo cuique Ulysses, societate cum vate inita, illum imperio spoliare studet. Huius ambitu effectum est, ut furor multitudinis ad poscendam victimam incenderetur, cuius furoris ne Myrmidones quidem Achillis expertes sunt. Itaque hic, quum dissuaderet immolationem et mortem virginis sibi desponsae deprecaretur, conviciis proscissus, quasi homo uxorius,

ac paene lapidum coniectu interfectus est. Pulsus igitur a multitudine, corpore armis munito, ad Clytaemnestram rediit, fidem, quam dedit, praestaturus, defensurus virginem, obstiturus abducentibus, solusque cum universis pugnaturus. His rebus cognitis Iphigenia consilium mutat. Committendum esse negat, ut unius mulierculae causa vir praestantissimus et ad vincendos hostes aptissimus vita famaue periclitetur. Deinde incassum se deorum hominumque voluntati reluctari intelligit neque spem salutis sibi ullam superesse: praestare igitur se sponte, quam vi coactam, immolari. Tum universa Graecia eunte poenas contumeliae a barbaris repetitum ac tam multis viris pro patriae honore vitam operamque obferentibus, non decere se virginem, in quam Graecia tota respiciat, vitae nimis amantem esse aut commodum suum gloria potioem ducere; hanc sibi fore pro dote, pro nuptiis, pro marito, pro liberis. Quamobrem se, quoniam per ipsam stet, ut Graeci barbaris imperent, vitam pro communi commodo libenter deposituram. Nihil his inest, quod cum prioribus Iphigeniae dictis pugnet: nam praestare pulcre mori quam incunde vivere ne nunc quidem dicit, sed, si semel moriendum sit, praestare more ingenuorum hominum genere quam more servorum turpiter occumbere. Quamvis enim sit mollis, placida simplexque puella, tamen committere, ut capillis ad aram vi trahatur, nullo modo potest; regis vero filiam Pelopisque prolem decet se non sibi soli, sed patriae natam esse reputare. Solet in feminarum ingeniis haec mollitiae et fortitudinis consociatio inesse, id quod, cum et Aristotelem et Sophoclem fugisset, intellexit Schillerus*). Solet autem fere

*) „Was Einige an dem Charakter der Iphigenia tadeln, wäre ich sehr versucht, dem Dichter als einen vorzüglich schönen Zug anzuschreiben: diese Mischung von Schwäche und Stärke, von Zaghaftigkeit und Heroismus, ist ein wahres und reizendes Gemälde der Natur. Der Uebergang von Einem zum Andern ist sanft und zureichend motivirt. Ihre zarte Jungfräulichkeit, die zurückhaltende Würde, womit sie den Achill selbst da, wo er Alles für sie gethan hat und zu thun bereit ist, in Entfernung hält, die Bescheidenheit, alle

ad deponendam vitam promptissimus esse ut quisque flore aetatis, corporis valetudine animique vigore maxime pollet. Quippe viribus ad occumbendam sponte mortem opus est, quibus carent qui morbis vel malorum diuturnitate languescunt.

Tentatur constantia Iphigeniae, Achille simul consilium moriendi meritis laudibus extollente simulque, ne coniugio virginis generosissimae prospera fortuna sibi oblato fraudetur, rogante, ut superstes esse velit. Sed negat Iphigenia se more Helenae caussam proeliorum viris fore. Tum ille ad aram cum armis abit, ibi praesto futurus virgini, si forte mutato consilio mortem deprecetur. Tanto maior erit laus fortitudinis Iphigeniae, si praesente auxilio gladium non horruerit, aberitque omnis coactae voluntatis suspicio.

Matrem deinde consolans Iphigenia forti eam animo esse iubet, abstinere lacrimis et remittere iram coniugi: neque enim se ut mortuam luctu, pullis vestibus, abscisis capillis et tumulo, sed quasi superstitem beatamque colendam esse et aram Dianae pro tumulo habituram. His editis mandatis sponte ad aram, ubi immolanda est, proficiscitur, non moesta lacrimansque, sed hilaris et tanquam victoria reportata triumphans, non tracta a militibus, sed ducente uno famulo familiari, choro eam non lamentis, sed laetis acclamationibus, quas praestit ipsa, et paean in honorem Dianae cantato prosequente.

Compositionem huius carminis foedo modo ab interpolatore confusi eam fuisse, quam pridem restituere conatus sum, hodie quoque mihi persuasum est. Alternis enim strophis, praeunte virgine, sequente choro et verba partim iterante partim variante atque explente, haec cantata esse tam manifestum est, ut mirer, quod potuerit un-

Neugier zu unterdrücken, die das räthselhafte Betragen des Vaters bei ihr rege machen muß, ihr heller Verstand, der ihr so glücklich zu Hülfe kommt, ihr schreckliches Schicksal noch selbst von der lachenden Seite zu zeigen, die sanft wiederkehrende Anhänglichkeit an Leben und Sonne — der ganze Charakter ist vortrefflich."

quam ab ullo intelligente aestimatore legi, quin qualis fuerit iustus verusque ordo statim ei in mentem veniret. Etenim non sententiae modo, sed etiam verba singula stropharum binarum inter se similia sunt et quasi ex adverso posita sibi respondent. In quibusdam versibus constituendis me errasse confiteor, commodius priorem stropham cum antistropa sic exaequari posse intelligens:

- στρο. 1. ἄγετέ με τὰν Ἰλίου
 2. καὶ Φρυγῶν ἐλέπτολιν·
 3. περίβολα δίδοτε (πλόκαμος ὄδε,
 4. καταστέφειν) χερνίβων τε παγὰς.
 5. ἐλίσσειτ' ἀμφὶ ναὸν
 6. τὰν ἀνασσαν Ἄρτεμιν μάκαιραν·
 7. εὐδροσοὶ πατρῷαι
 8. μένουσι χερνιβές με,
 9. ὡς ἐμοῖσιν, εἰ χρεῶν, αἵμασιν
 10. θύμασί τε θέσφατ' ἐξαμείψω*).

- ἀντιστρο. 1. ἴδεσθε τὰν Ἰλίου
 2. καὶ Φρυγῶν ἐλέπτολιν
 3. στείχουσαν, ἐπὶ κάρᾳ στέφει
 4. βαλουμέναν χερνίβων τε παγὰς,
 5. βωμὸν διαίμονος θεᾶς
 6. θανίσιν αἵματοβότοισι θανοῦσαν
 7. εὐφυνῇ τε σώματος
 8. δέρον ἐπισφαγεῖσαν,
 9. ὡς στόλος στρατός τ' Ἀχαιῶν θέλων
 10. Ἰλίου πρὸς πόλιν μολεῖται.

Quae restabant per Dianam ea ratione, qua fragmentum ex Aeliano depromptum significat, composita esse cogitandum est.

*) Vulgo ἐξαλείψω, quod quamnam haberet vim nemo explicavit. Imitatus haec est Ennius, sed liberius, ut solet. Fragmentum vulgo neglectum exstat apud Ciceronem Tusc. I, 48, 116:

„Ut hostium sanguis sanguine eliciatur meo.”

B. Alcmaeon*) in Corintho.

Materiam dramatis apud Apollodorum III, 7, 7. exstare vidit iam Barnesius: *Εὐριπίδης δὲ φησιν Ἀλκμαίωνα κατὰ τὸν τῆς μανίας χρόνον ἐκ Μαντοῦς τῆς Τειρεσίου παιδας δύο γεννηῆσαι, Ἀμφίλοχον καὶ θυγατέρα Τισιφόνην· κομίσαντα δὲ εἰς Κόρινθον τὰ βρέφη δοῦναι τρέφειν Κορινθίων βασιλεῖ Κρέοντι. Καὶ τὴν μὲν Τισιφόνην, διενεγκοῦσαν εὐμορφία, ὑπὸ τῆς Κρέοντος γυναικὸς ἀπεμποληθῆναι, δεδοικνίας, μὴ Κρέων αὐτὴν γαμετὴν ποιήσῃται. Τὸν δὲ Ἀλκμαίωνα ἀγοράσαντα ταύτην ἔχειν, οὐκ εἰδότα τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα (εἶναι), θεράπαιναν. Παραγενόμενον δὲ εἰς Κόρινθον ἐπὶ τὴν τῶν τέκνων ἀπαίτησιν, καὶ τὸν υἱὸν κομίσασθαι. Καὶ Ἀμφίλοχος κατὰ χρησμοῦς Ἀπόλλωνος Ἀμφιλοχικὸν Ἄργος ᾤκησεν. Stirpe liberorum carens Creon alienos liberos educandos acceperat, et Amphiloichum quidem ex se natum esse simulabat (fragm. 7.; cf. Welck. p. 581.), Tisiphonen autem captivi esse filiam ferebat et pro pellice habiturus erat, donec ea a regina venumdata est. Illum vatis munere et facultate ab Apolline donatum fuisse constat eoque nomine divinos honores mortuo pluribus locis institutos fuisse **). Itaque patrem, qui etiamtum furis agitabatur (fragm. 13.), sacris quibusdam secretis expiavit, quo in negotio ei feminae quaedam eiusdem artis peritae pro famulis et ministris adfuerunt (fragm. 17.), quibus chori munus ab Euripide delegatum fuit. Nil igitur obstat, quin Ennii fabulam, cuius reliquiae ad Furiarum*

*) Grammaticus quidam in Cramerī Anecd. II, 337, 4: Ἀλκμαίωνος, τὸ μὲ φιλόν, ὡς παρὰ Εὐριπίδην ἔχει ἢ χρησις. Συστείλας τὸ ε̄ φυλάττει τὸ ᾠ ὡς κύριον ἐν τῇ γενικῇ.

***) Livius 45, 27: „Inde Oropum Atticae ventum est, ubi pro deo vates Amphiloichus colitur templumque vetustum est, fontibus rivisque circa amoenum.” Pausan. Att. p. 33, 18: τῷ δὲ Ἀμφιλόχῳ καὶ παρ’ Ἀθηναίοις ἐστὶν ἐν τῇ πόλει βωμὸς καὶ Κιλικίας ἐν Μαλλῶ μαντεῖον ἀψευδέστατον τῶν ἐπ’ ἑμοῦ.

cruciatu fere omnes pertinent, ex hoc Euripidis opere expressam fuisse decernamus, id quod iam Matthiaeus suspicatus est. Fuit hoc drama sine dubio ex genere eorum, quae implicata appellavit Aristoteles, quorum structuram, a mythographis non perscriptam, agnoscere quamvis difficillimum sit, tamen, quid coniectura assequi possimus, experiamur.

Multos annos per multas terras a Furiis agitatus Alcmaeon postremo Corinthum se confert, liberos a Creonte repetiturus. Oraculorum iussu id fieri putandum est, iisdemque oraculis praedictum esse, fore ut in Corinthiorum terra receptis liberis a Furiarum cruciatibus liberetur. Comitatur miserum Tisiphone curatque aegrotum, nesciens se parenti officia pie praestando benefacere. Proserva enim Alcmaeon filiam suam ignarus ignaram secum habet: nam quum vendita ab uxore Creontis et in remotam aliquam terram a dominis abducta esset, forte a patre empta est.

A daemone aliquo, qui Creonti irascetur, prologum actum esse suspicor. Docent enim fragmenta illum regno, liberis, uxore bonisque omnibus propter superbiam privari, quae rerum commutatio sine numinis alicuius praesentis auxilio ab Alcmaeone vel liberis eius effici vix posse videtur. Huius igitur numinis favore ad salutem misero restituendam poenamque superbis irrogandam omnia pridem puta praeparata esse; hic Tisiphonen patri ignaro adduxit, hic Corinthum adire iussit Alcmaeonem, hic per Amphilochem morbo medetur.

Prologo colloquium patris filiaeque subiungendum fuit. Quorum ex sermone haec deprompta esse suspicor:

*ταπεινὰ γὰρ χρὴ τοὺς κακῶς πεπραγότας
λέγειν, ἐς ὄγκον δ' οὐκ ἄνω βλέπειν τύχης.*

Quibus verbis Alcmaeon se supplicem venire et auxilium malorum ab incolis petere significat. Tisiphonae autem haec tribuo:

μέτεστι τοῖς δούλοισι δεσποτῶν νόσος.

Aegroti enim speciem prae se ferebat Alcmaeon vixque corpus sustentabat per littus incedens; mox humi corpus demisisse videtur et Tellurem invocasse, antequam in somnum delaberetur:

ὦ Γαῖα μήτηρ· Ἔστ' ἔστιν δέ σ' οἱ σοφοὶ
βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι *).

Custodiente dormientem virgine, ministrae Amphilochoi venerunt, ad sacra aliqua facienda forte ad maris littus descendentes.

ΤΙΣΙΦΟΝΗ.

φίλοι, φίλοι,
πρόβατε, μόλετε.

ΧΟΡΟΣ.

τίς ὄδε;
ποδαπὸς δ' ξένος Κορινθίους
ἔμολεν ἀγχιάλος;

Notas sibi mulieres esse, quae appropinquent, significat Tisiphone. His igitur vitae suae casus interim, cum dormiret Alcmaeon, enarrare potuit. Simul ab his nuntium ad arcessendum Amphilocho missum esse suspicor. Alcmaeone expergefacto Furiarum impetus redintegratus est.

„Sed mihi neutiquam consentit cor cum
oculorum adspectu.”

— — — — —
„Unde haec flamma oritur?”

— — — — —
„Incede, incede: adsunt, adsunt; me, me
expetunt.”

Tisiphonae haec dicit, teste Cicerone Acad. pr. II, 28, 89. Eiusdem fidem his verbis implorat:

„Fer mi auxilium; pestem abige a me,
flammiferam hanc vim, quae
me ex cruciat.

Caeruleo incinctae angui incedunt, cir-
cumstant cum ardentibus
taedis.”

— — — — —
„Intendit crinitus Apollo
Arcom auratom luna innixus;
Diana facem iacit a laeva.”

*) Fragm. inc. 178.

Interposito deinde choro altero *), Amphilochnus venisse videtur, cui Alcmaeon, cum Creontis eum filium esse duceret, causam morbi et labores suos explicavit:

„*Factum est iamdiu.*”

„*Multi' modis sum circumventus, morbo,
exsilio atque inopia;
Tum pavor sapientiam omnem mi exanimato
expectorat.*

*Alter terribilem minatur vitae cruciatum
et necem,*

*Quae nemo est tam firmo ingenio et
tanta confidentia,*

*Quin refugiat timido sanguen atque ex-
albescat metu” **).*

Promittit Amphilochnus se expiando scelere hospitem morbo et Furiarum aggressionem liberaturum esse. Cui his verbis gratias agit Alcmaeon:

ὦ παῖ Κρέοντος, ὡς ἀληθὲς ἦν ἄρα
ἔσθλων ἀπ' ἀνδρῶν ἔσθλα γίγνεσθαι τέκνα,
κακῶν δ' ὅμοια τῇ φύσει τῆ τοῦ πατρὸς.

Ignarus igitur suum genus ipse praedicat, ignarus a duobus liberis, quum se destitutum esse in malis putet, adiuvatur. Statim deinde ad locum aliquem remotiorem abducitur miser, in quo perficiendis quibusdam sacris secretis expiatur. Et sequitur proficiscentes etiam chorus, non timens Furiarum, quae vi potentium sacrorum pellendae sunt, saevitiam:

γυναῖκες, ὀρμήθητε μὴδ' ἀθυμίαν
σχέθῃ τις ὑμῶν· ταῦτα γὰρ σκεθρῶς ὄραν
ἡμᾶς ἀνάγκη τοὺς νομίζοντας τέχνην.

Amphilochni haec esse verba videntur, qui famulas sibi in perficiendis sacris adesse iuberet.

Sola igitur in scena relinquebatur Tisiphone. Ad

*) Huc traho glossam Hesychii: ἀπαιώνιστον, δύσφημον·
Εὐγριπίδης Ἀλκμαίῳ διὰ Κορίνθου; cf. Matth. p. 428.
fragm. 255. Welck. 579.

**) Cic. de orat. III, 58, 218. Ennii hos versus esse Cic. Fin.
IV, 23, 62 et Tusc. IV, 8, 19. ostendit.

hanc deinde Creon venit agnitamque virginem, quam pridem amaret, in domum tanquam suam reducere voluit. Negante Tisiphone Creonti quicquam in se iuris esse venditae atque aliis dominis emancipatae, ille aperit eam Alcmaeonis filiam esse et a patre (quem pridem esse mortuum credit) sibi educandam traditam: quae docendo contrarium efficit eius, quod vult. Nam Tisiphone, his cognitis, voluntati illius magis etiam, quam antea, adversatur et magnis clamoribus patrem in auxilium vocat, qui expiatus forte hoc ipso tempore comitante choro ad virginem redit. Iam Alcmaeone a Creonte liberos repetente, Tisiphone ea, quae modo ex rege audivit, cum iis, quae illi inter se colloquuntur, componente, filia patrem, pater filiam agnoscit, simulque Alcmaeon Amphiloichum ex se natum esse intelligit. Ex hoc colloquio petatum esse suspicor fragm. 16:

*τὰ τῶν τεκόντων ὡς μετέρχεται θεὸς
μιάσματ',*

quod dicere Tisiphonae conveniebat. Praeterea ex incertis fragmentis quaedam commode ad Alcmaeonis orationem referri posse videntur:

*ὡς σκαιὸς ἀνήρ καὶ ξένοισιν ἄξενος
καὶ μνημονεύων οὐδὲν ὦν ἐχρῆν φίλον *).*

*εἴ μοι τὸ Νεστόρειον εὐγλωσσὸν μέλος
Ἀντήνορός τε τοῦ Φρυγὸς δοίη θεός,
οὐκ ἂν δυναίμην μὴ στέγοντα πιμπλάναι
σοφοὺς ἐπαντλῶν ἀνδρὶ μὴ σοφῶ λόγους **).*

Creonti autem hoc convenit dictum:

*ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἔλκεσιν βρύων ***).*

Eventum hoc colloquium hunc habuisse videtur, ut Creon Tisiphonem per vim abduceret. Interposito deinde chori carmine, Amphiloichus ad Alcmaeonem rediit, cognitaque caussa atque agnito patre, ad auxilium ferendum parenti liberandamque sororem se accinxit:

*) Fragm. 85.

**) Fragm. 10.

***) Fragm. 211.

ἢ τί πλέον εἶναι παῖδας ἀνδρώποισ, πάτερ,
εἰ μὴ ᾗ τοῖς δεινοῖσιν ὠφελήσομεν;

Patiens malorum Alcmaeon, ut philosophus, ab atrocioribus consiliis abhorruisse videtur. Nam virum bonum eum fuisse Cicero Fin. IV, 23, 62. testatur. Huic igitur convenire videntur verba, quibus Marcus Antoninus saepius usus est:

εἰ δ' ἡμελήθην ἐκ θεῶν καὶ παῖδ' ἐμῶ,
ἔχει λόγον καὶ τοῦτο.

Rerum commutationis indicia haecce satis perspicua exstant:

δοῶτε τὸν τύραννον, ὡς ἄπαις, γέρον
φεύγει· φρονεῖν δὲ θνητὸν ὄντ' οὐ χρὴ μέγα.

φεῦ, φεῦ· τὰ μεγάλα μεγάλα καὶ πάσχει κακά.

Deum autem rebus extremis interfuisse, qui Argos Amphiloichium condi iuberet et Alcmaeonem quidem regem Atheniensium fore, Amphiloichum autem divinis honoribus cum Amphiarao communiter affectum iri praediceret, necesse est *).

In vasorum picturis Hamiltoniis (T. I. tab. 20.) est una, qua Amphiloichus sororem ex manibus tyrannorum abducens exhiberi videtur. Juvenis altera manu gladium, altera virginem tenet, abeunti similis. Rex barbatus, sceptro insignis, indignabundus spectat quae prohibere non audet; regina tergum vertit et miranti similis respicit.

C. Bacchae sive Pentheus.

Thebis res aguntur ante domum regis Penthei. Scena praeter aedes regias sepulcrum Semelae imitatur et fumantes etiam nunc aedificii parietinas igni coelesti consumti cum flamma perpetuo vivente, idque fulguritum conse-

*) Cf. Apollod. I. I. Malalas Chronol. p. 72. Nieb.: ἐβασίλευσεν αὐτῶν Ἀλκμαίων ἔτη δύο, περὶ οὗ Εὐριπίδης ὁ σοφώτατος δράμα ἐξέθετο.

cratum a Cadmo et saepimento, ne calcetur, clausum est, a Baccho autem viva vite circumvestitum. Prodit Bacchus, specie indutus hominis mortalis, ducens catervam mulierum peregrinarum, sociarum comitumque suarum, tympana manibus tenentium et reliquo cultu Bacchico ornatarum. Peragrata Lydia, Phrygia, Persia, Bactria, Media, Arabia et Ionia, celebratis ubique choris, manifestata divinitate sua sacrisque institutis, Bacchus primam Graecarum urbium Thebas adire decrevit, ut ululatus, thyrsos et nebride cives excitaret. Etenim matris sorores, quas minime decebat, illum Iovis filium esse negabant, Semelen ex mortali viro compressam dicentes Iovi crimen stupri imposuisse suadente Cadmo, quapropter iratum Iovem fulmine peremisse eam, quae mentita esset concubitum. Hanc ob causam insaniam iis immisit Bacchus et fecit eas cum cunctis Thebanorum feminis ex domibus in silvas discursare sacrorum suorum insignia gerentes atque mente alienatas. Potentiam Bacchi tum universa civitas tum Pentheus rex experturus est, Cadmi nepos, qui ab aris templisque deum arcet neque in votis eius mentionem facit: quod si milites armatos contra Bacchas ducere voverint, Bacchus ducem se Maenadibus adiungens ne proelia quidem detrectaturus est.

His expositis Bacchus, antequam in Cithaeronem ad choros Baccharum abeat, feminas Lydias, comites suas, iubet ante aedes tyranni strepitum tympanorum facere, quo civitas excitetur. Ordiantur igitur carmen mulieres numero ionici qui a maiore dicitur insigne, qui est accommodatus bacchicae saltationi ac sono tympanorum, et iubent, dum Bacchum dulci labore rite celebrent, decedere via obvios et favere linguis. „Beatus est quisquis gnarus sacrorum vitam caste degit et concitatur mente in montibus discurrens, puris utens lustrationibus, et magnae matris sacra rite peragit et thyrsus iactans, hedera redimitus, colit Dionysum. Ite, Bacchae, Bromium deum, dei filium, ex Phrygiis montibus in Graeciae fines deducentes, quem quondam mater in partu doloribus icta Iovis fulmine utero eiecit vita privata et exceptum Iuppiter femori clam Iunone inclusit fibris consuens aureis, et

peperit tempore expleto deum cornigerum coronavitque anguina corona, unde eam praedam Maenades capillis innectunt."

„O Semelae nutrices Thebae, cingite capita hedera et smilace florida, bacchamini cum quercus et abietis frondibus, nebridum pelles distinguite flavis crinium fasciculis et ferulas lascivas sacro sumite ritu. Iam terra universa saltabit, cum Bromius in iuga montium choreas ducet, ubi feminarum moratur turba, a texendi opere per Bacchum stimulis furoris agitata. O Curetum contubernia, Iovis domicilia, ubi Corybantes triplici tecti galero orbis tympanorum invenerunt, quorum miscuerunt strepitum cum tibiaram sono acuto et tradiderunt Rheae haec instrumenta ulalibus congrua Baccharum; ab hac autem Satyri furentes impetrarunt, ad trieteridum, quibus Bacchus gaudet, sacra coeuntes."

„Dulce est in montibus ex discursibus humi procumbere, ubi caprum arripueris, cruda vescentium voluptatem, per iuga Phrygia insecutus; praesultor autem Bromius est, evoe! Fluit lacte campus, fluit vino, fluit melle, thuris instar odoro. Ipse vero Bacchus gerens rutilantem in ferula facem, cum impetu fertur, incitans choros vagos, cum clamore exsultans, mollem in aere comam iactans, simulque ululatus increpat: o ite Bacchae, Tmoli decus atque deliciae, canite Dionysum sub tympanorum raucorum sono, evoe! Evium celebrantes deum Phrygio ulutatu, quando tibia sacra ludicra strepit congrua discurrentibus in montes, in montes! et laetitia iam exsultans Baccha velut pullus equinus cum matre pascens celerem tollit saltu pedem!"

Parodus haec vicem prologi explet: alias enim proemii, alias prologi partes esse saepius ostendimus. Sacrorum igitur Bacchi naturam describit, imaginem admirabili mentis ardore effictam continens, ut intueri nobis videamur saltationem, audire tympanorum strepitum, interesse bacchantium lusibus et furorem illum universum praesentes conspiciere. Neque minori cogitationis vigore etiam res praeteritae repraesentantur et origines rituum solemnium demonstrantur. Furor poeticus bacchico aequalis

tum hoc carmen tum universam hanc tragoediam genuit.

Hodie tanta est mortalium morositas, ut paucos fore putem, quin damnata illa bacchantium insania Pentheum probent, sobrium disciplinae publicae moderatorem, severum morum censorem castigatoremque et perfectum magistrorum exemplar. Itaque mirati sunt quidam, quod a Bacchi partibus Euripides, doctus, sapiens severusque senex, stetisset: nec defuerunt, qui eum crederent mutata sententia, cum iam mortem sibi vicinam esse intelligeret, colere ac celebrare deos, quos antea contempsisset, decrevisse ac defendere vulgi opiniones, confirmare superstitiones, quas quondam iuvenis impugnasset. At hi si magis quid carmina Euripidis docerent scrutari quam quid ipsi opinarentur effutire voluissent, eandem sententiam iuvenem atque senem profiteri intellexissent. Similis enim caussa Hippolyti atque Penthei est, similis Bacchi atque Veneris ultio, eandemque fere sententiam in illa fabula satelles senior, in hac Tiresias vates defendunt, utrumque denique carmen docet esse popularibus diis honores sollemnes rite persolvendos (*τιμαῖσιν, ᾧ παῖ, δαιμόνων χρῆσθαι χρεῶν*), neque Venerem et Bacchum, voluptatum dulcissimarum auctores et remediorum moeroris praebitores, spernendos.

Tiresiam induxit Euripides, qui veram sententiam disputans cum Pentheo tutaretur. Plura saecula ille vates duravisset, si idem sub Cadmo et sub Eteocle fuisset. Verum talia non sunt accuratissime numerando pendendoque examinanda. Vate vel sapiente opus est: qui quo nomine appelletur, nil refert; sed noto aliquo nomine eum commendari necesse est. Hic igitur vates caecus et Cadmus grandaevus soli ex viris Thebanis, utpote soli sapientes, obliti senectutis sumtis thyrsis pellibusque hinnuleis cum hederaceis coronis decreverunt per diem noctemque iunctis manibus saltare, iactare capita, pulsare thyrso terram: „etenim non decet contra deos argutari, neque unquam ratio, quamvis subtili utens acumine callida elaboraverit, ad evertenda paterna instituta et aequalium consensum satis valet. Neque vero deus senes iuvenesque

discernens ab alterutris, sed ab omnibus aequaliter se coli postulat."

Intervenit peregre rediens Pentheus rex ira percitus, quoniam certior factus est de mulierum licentia in silvis lascivientium, cum Bacchum, commenticium deum, colant. Esse, ait, in medio plenas crateras positas, et aliam alio in solitudinem concedere, ut virorum concubitu indulgeat, Bacchum Veneri praetexentem. Itaque se partem earum iam cepisse et custodiri iussisse, reliquas, imprimis Inonem, Agaven, matrem suam, et Autonoen, investigaturum, ut captas ferreis constrictas vinculis ab improba ista bacchatione cohibeat. Venisse ex Lydia praestigiatores quendam, flava caesarie decorum, miram oculis nigricantibus venustatem habentem, quem dies noctesque cum puellis conversari sacra secreta praetendentem. Eum, ubi comprehensus fuerit, resecta cervice, destitutum caput iactare Iovisque femore se editum esse dicere et contumeliose irridere civitati.

Haec cum theatro locutus Pentheus novo miraculo commovetur, conspiciens avum suum cum Tiresia augure pelle ac thyrso ornatum. Pudet me, inquit, senis deliri, Tiresiam vero lucri causa novum deum inducere suspicor: quod nisi canities eum tutaretur, vinctum cum Bacchis eum custodiri iuberem prava commendantem sacra. Quid enim sani sperare licet, ubi feminae vino indulgent?

Contra haec impie dicta Tiresias disputat sic, ut non Pentheum solum, sed etiam philosophorum eos, qui religiones spernunt, refutare videatur. „Volubili oratione, quasi sapias, uteris; sed nulla verbis inest prudentia; confidens autem potensque vir idem facundia pollens damna infert civibus, si prava est mente. Prima sunt vitae mortalium numina Ceres et Bacchus, illa arido, hic humido victu corpora alens. Uvarum enim laticem invenit, qui aegritudine mortales aerumnosos levat et soporem, oblivionem malorum et unicum laborum remedium, affert. Idem deus diis libatur et daemones hominibus conciliat. Rides, quod eum femori aiunt Iovis insutum esse. Sed vide, quam hoc minime absurdum sit. Iuppiter quum in coelum sustulisset infantulum ex flamma ereptum, Iunone

illum praecipitare volente, dolum commentus est: abrupta enim parte (μέρος) aetheris terram universam cingentis istac inclusit infantem: unde factum est, ut in femore (μηρός) eum nutritum esse homines postmodum narrent*). Ex Anaxagorae philosophia haec fluxerunt, partes aetheris mentes tum deorum tum hominum esse docentis, et congruunt cum ea interpretatione, qua Minervam ex summis aetheris cacuminibus (id enim esse ex Iovis capite) natam esse noster docuit. Pergit docere Tiresias sic: vates est Bacchus, quoniam bacchationi atque furori divinatio inest: nam descendens multus in homines hic deus futura eos praedicere facit. Idem bellorum particeps est: armatos enim milites instructamque aciem pavor repentinus, priusquam manus conseratur, dissipat, quod fit furore a Baccho immisso. Videbis igitur eum aliquando magnum inter deos, in rupe Delphica salientem cum face et ramo bacchico saxa pede pulsantem. Noli ideo, quod imperio sis praeditus, tuam opinionem, quamvis prava sit, obtinere; sed recipe deum et cole ritu sollemni. Haud enim hic deus in Venerem furtivam mulieres abripiet**), sed naturae ipsi inest modestia et rerum omnium moderatio; itaque etiam in bacchatione proba mulier servabit pudorem***). Gaudet deus non minus quam tu ipse honore: quamobrem ego cum Cadmo, quamvis senes, hedera coronati saltabimus, neque quod a te ride-mur curabimus. Insanis enim, ut vix remediis sanari possis, neque tamen remedia cessabunt.

Insuper Cadmus monet, ne migrare mores communes velit. Etiam si ille non esset deus, tamen prudentius fore gentis suae honorem pulcre mentiando augere quam

*) ὁ ἤξας μέρος τι τοῦ χθόν' ἐγκυκλουμένου
αὐθ' ἔρως, ἔθηκε τόνδ' ἐκεῖ· χθόνω δέ νιν
βροτοὶ τραφῆναι φασιν ἐν μηρῷ Διός.

Haec turbata in libris sunt intercalata alia nominis interpretatione, qua μηρός et ὄμηρος permutata vocabula esse docemur.

**) οὐ γὰρ ὁ θεὸς μὴ σωφρονεῖν ἀναγκάσει κτλ.

***) cf. Hippol. 78:

ὅστις διδασκτὸν μηδέν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
τὸ σωφρονεῖν εἴληγεν εἰς τὰ πάνθ' ὁμῶς.

imminuere fidem creditis derogando. Actaeonem, quum Diana se superiorem esse gloriaretur, a canibus, quos ipse aluisset, discerptum esse. Quod ne tibi et ipsi accidat, inquit, sine me caput tuum hedera cingere et nobiscum honorem tribue deo. Tum Pentheus: Noli tu tuam mihi stultitiam illinere. Ego vero doctorem istius amentiae ulciscar, evertens disturbansque sedem, in qua capit auguria, et verbenas ventis dans ferendas; alios autem famulorum iubeo investigare hospitem istum, qui novam luem mulieribus infert polluitque coniugia, et comprehensum vinctumque huc adducere, ut moriatur lapidibus obrutus.

His auditis luctuosum interitum Penthei vates praesagit et deprecandum esse ait pro illo proque universa civitate, ne quid acerbius deus consulat. Abeunt igitur ad sacra celebranda senes, alter alterum sustentans.

Clauditur hic actus praestantissimo stasimo: „Sanctimonia, alma dea, quae aureis per terram alis volas, audisne haec Penthei, audis, quam impie insultet Bromio, qui primus est coelitum in festiva laetitia, cuius est munus celebrare choros et ludere cum tiliarum cantu et relevare animos curis, quotiescunque uvarum latex in sacrificiorum coenis gaudia donat et calix soporem hominibus immittit. Effrenatae linguae et temerariae amentiae finis infelicitas est; modesta vero vita inconcussa manet et servat domos. Vident enim haec, quamvis procul in aethere habitent, coelestes. Sapientia illa ultra sortem humanam tendens non est sapientia. Brevis est aetas, in qua qui sublimia studiose sequuntur facile amittunt quae prompta sunt et in medio posita; insanientium isti sunt et perversorum hominum mores. Utinam ego veniam Cyprum, domicilium Veneris, ubi iucundi mortalibus Amores habitant, aut in terram, quam carentem imbribus centum Nili ostia fecundant, aut in Pieriam amoenam et Olympi clivum, Musarum sedem; illuc me duc, Bacche praesultor; ibi iucunditas, ibi voluptas, ibi Bacchis fas est orgia celebrare. Gaudet Bacchus festorum laetitia, amat Pacem opulentam, prolis nutricem, parem impertit divitibus pauperibusque vini curas pellentis voluptatem, odit quisquis

non amat dies noctesque iucunde transigere et vitare prudenter istos nimis severos sublimesque viros; vulgus humiliter quidquid usurpat, id ego probaverim!"

Caeremonias religionesque sollemnes et sacra publica modeste observanda, deos populares pie colendos, opiniones vulgi minime spernendas, a moribus traditis institutisque maiorum neutiquam recedendum esse docet Euripides non dissimulans persuasionem suam, non metu iudiciorum forensium commotus, non invidiam verens popularium (tutus enim praesidio regis eiusdemque amici sui quidni libere quidquid sentiret declararet?), sed verissimam hanc rationem esse intelligens et solam modestiae ac temperantiae convenire. Superbiae enim et insolentiae est plus te quam vulgus sapere arbitrari et consensum hominum moresque communes spernere (*οἴκει μεθ' ἡμῶν, μὴ θύραζε τῶν νόμων*). Merito igitur vulgus odit sublimes illos viros, qui coetus hominum et convivium et communem festorum laetitiam fastidiunt neque affabilitate comitateque cum popularibus conciliantur (*μισεῖν τὸ σεμνὸν καὶ τὸ μὴ πᾶσιν φίλον*, Hipp. v. 92.); merito invidiam subeunt illi exquisitae sapientiae et abstrusae cognitionis studiosi (*περισσοὶ φῶτες*), qua se praeditos non solum sortem humanam, verum etiam deos ipsos vincere arbitrantur. Eiusmodi enim sapientia in insaniam abit.

Hac vero insolentia etiam deterior est morositas illa et suspiciosa severitas hominum regulis praeceptisque omnia dirigere volentium, nihil naturali sensui et ingenuo pudori credentium et rapi trahique disciplinam, si quis a norma paullulum discedat, clamantium, nil nisi quod sobrie, frigide, ieiune fit probantium, ardorem vero mentium et furorem illum divinum, quo praestantissima quaeque gignuntur, vehementius quam caput Gorgonis horrentium, denique quidquid est dulce, pulcrum, liberale, quidquid ingenuos animos tenet, oblectat, incenditque cum Venere et Baccho ex vita tollentium. Huius generis Pentheus est insuperque imperii sui potentia fretus atque contumax. Qui quod stupris opportunas illas bacchationes esse dicit,

quis negabit?*) Sed quisnam, nisi insanus, incendiorum vitandorum caussa igni popularibus interdicit?

Redeunt famuli a Pentheo emissi vinctum adducentes Bacchum, qui quidem sponte se persequentibus obtulit neque mutato vultus colore, sed hilaris ridensque, vincula accepit. Simul nuntiant Bacchas, quascunque in vincula coniecisset Pentheus, solutis sponte catenis apertisque divinitus foribus in montes ad bacchationem reversas esse. Rex autem demi vincula Baccho iubet iam in potestatem suam tradito, et admiratur formositatem ac delicias iuvenis proluxa coma praeter genas defluente cuteque candida insignis et captandis amoribus idonei. Exquirit deinde de patria, de genere, de sacrorum natura admodum maligne atque contumeliose, in flagitia et obscenam libidinem quidquid potest suspiciose detorquens, et partim admiratur ambigue dictorum calliditatem partim indignatur tergiversatione celantis quae fas non est audire profanis, partim exacerbatur confidentia iuvenis potentiam dei extollentis neque vincula neque supplicia timentis. Hic sermo pugnae instar commissus nescio an tenore dictorum alternis versibus fusorum et vi atque acumine verborum omnium praestantissimus sit. Postremo Pentheus desecari comas Baccho demique thyrsus iubet et vinctum ipsum equi includi; mulieres autem, quae chorum constituunt, aut in servitutum vendere aut telis et lanificio adhibere constituit: quae edicens iam paene insanire videtur et omen nominis (*Πενθεύς, ἐνδυστυχῆσαι τοῦνομ' ἐπιτήδειος*) ad eventum adducere.

Vatis indutum persona vi quadam divina praediti inducens Bacchum Euripides hoc assecutus est, ut et aequo Marte homo cum homine sive rex cum sapiente certamen committeret et commodius theatrum humana omnia vel certe humanis vicina spectans commoveretur docereturque: nam etiam quae naturam superant eiusmodi sunt, ut nasci facile partim ex vi furoris divini potuisse partim ex mentis coecitate hominis iracundi obstinatique videan-

*) Cf. Ion. 552 — 556: *κάτοινον ὄντα Βακχίου πρὸς ἡθονὰς — τοῦτ' ἐκείν' ἔν' ἐσπάρημεν!*

tur. Sic voluntatem nostri interpretatus Horatius est Epist. I, 16, 73:

„*Vir bonus et sapiens audebit dicere: Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? „Adimam bona.” Nempe pe-
cus, rem,*

*Lectos, argentum? tollas licet. „In manicis et
Compedibus saevo te sub custode tenebo.”*

*Ipsa deus, simulatque volam, me solvet. Opinor,
Hoc sentit: Moriar, mors ultima linea rerum est.”*

Abest tamen a commentis poetae sobrietas ista hominum nil nisi consueta ac vulgaria admittentium fidemque rebus, quarumcunque non naturales apparent caussae, derogantium, et relinquuntur satis multa, quae captum superent obscuritateque ipsa teneant neque sinant notarum rerum cognitioni secure confidere.

His actis Dircen chorus obtestatur, quae infantulum Bacchum fontibus suis accepit, cum Iuppiter ex igni eriperet et Dithyrambi nomen incluso in utero masculino imponeret: quorum testis Dirca nihilominus coetus bacchantium propellit; sed erit tempus, quo impietatis eam poeniteat. Feritatem generis sui Pentheus prodit, dracone oriundus, monstrum Gigantibus aequale ac diis infestum, qui laqueis vinciturus est Bacchi comites iamque ducem chorearum caliginoso carcere inclusit. Adspicisne hoc, o Iovis fili, tuos sacerdotes cum dura necessitate conflictari? Veni thyrsum per Olympum quatiens ac funesti viri insolentiam comprime, sive in Nysa, ferarum altrice, thyrsum iactas sive in Corycio vertice vel in Olympi domicilliis, ubi quondam Orpheus arbores ferasque carminibus duxit. O beata Pieria, te colit Evius et veniet saltans Maenadum choreas ducens Axiu[m] traiciens et Loe-diam fluvium, fecunditatis auctorem, qui pulcerrimis aquis terram irrigat equestrem. His cum tympanorum strepitu cantatis, subito vox auditur Bacchi intus clamantis, simul terra intremiscit, moventur columnae vestibuli et domus universa concutitur; ex monumento autem Semelae surgens flamma per aedificium volvitur*). Disiectis incensisque

*) Huc respicit Horat. Od. II, 19, 14.

aedibus Bacchus ad feminas metu percultas humique prostratas prodiens animum earum confirmat et quomodo res gesta sit exponit. Pentheus, Bacchum se vincire putans, tauri ad praeseptia stantis pedes vinculis constrinxit iram spirans, sudorem toto corpore stillans labraque dentibus mordens: quae intuens Bacchus tacitus adsidebat. Interim concussis aedibus flammaque ex tumulo Semeles emicante, ille ardere domum ratus, currens huc et illuc ad ferendam aquam omnem familiam concitavit; tum rursus effugere Bacchum ratus in carcerem cum stricto gladio recurrit, ubi deceptus falsa imagine aerem ense verberavit, Bacchum sibi iugulare visus. Praeter hanc ludificationem domus eius disiecta corrui; ipse autem fatigatus labore abiecto gladio anhelat. Mox prodit, foris quaerens hospitem e vinculis elapsam; conspecto eo claudi portas urbis iubet. Haec irac rabies adventu nuntii interpellatur, qui e Cithaerone reversus de mulieribus, quae ex Thebis ad sacra Bacchi celebranda abierunt, mira narrat. Sole medio quum armenta bubulcus in iuga montium egisset, conspexit tres Baccharum choros, quorum uni Autonoe, alteri Agave, tertio Ino praeerat, et dormiebant omnes somno solutae frondibus arborum substratis, corporibus temere sed modeste positae, non vino ac tibiae strepitu incitatae Veneremque per solitudinem sectantes. Audito autem boum mugitu, Agave stans media inter Bacchas ululavit, ut expergefaceret, quae excusso somno miro cum decore surgentes puellae pariter atque matronae, primum quidem comam per humeros demiserunt pellesque, si quibus soluta vincula erant, subligarunt, et serpentes capitibus circumdederunt; quaedam, quibus turgebant mammae, lac hinnuleis vel luporum catulis praebuerunt; praeterea sarta hederiae et smilacis sibi imposuerunt. Tum aliqua rupem thyrso verberavit, unde aqua ei liquida prosiluit; alia ferulam in solo defixit, per quam fontem vini emisit deus; quaedam terram digitis scalpentes lactis scaturiginem invenerunt; item ex thyrsis mella stillabant.

Haec conspicati pastores consilia contulerunt et quidam eorum satis versutus ac disertus suasit, ut Agaven capientes Pentheo gratificarentur. Quo probato consilio

insidias fecerunt; Bacchae autem certo tempore thyrsos iactantes Iacchum clara voce cantaverunt, una bacchante universo saltu cum feris. Ibi cum forte Agave proxima esset arbusto, sub quo pastorum unus corpus abscondiderat, hoc prosiliente, ut comprehenderet, illa clamavit: o pernices meae canes, ab his captamur viris: quamobrem sequimini me thyrsis armatae. Qua audita voce quum effugissent pastores, illae in armenta irruerunt. Ibi videres vaccas vitulosque earum manibus discerpi et membra sursum deorsumque spargi, ut quaedam de abietibus cruenta penderent; tauri autem feroces cornibusque freti procubuerunt humi infinitis iuvenum manibus tracti, et momento temporis viscera discerpta sunt. Mox velut volucres cursu per campos latae in vicos proximos impetu facto omnia sursum deorsumque disturbarunt: infantes humeris impositi sine vinculis haerebant, in comis faces ardebant nec urebant. Incolae vero vicorum armis arreptis obviam se tulerunt. Ibi mira acciderunt: feminae enim minime telis sunt vulneratae; viri autem thyrsis missis sauciati et in fugam coniecti. His rebus gestis Bacchae in locum, unde profectae erant, reversae fontibus, quos deus iis emiserat, cruorem abluerunt, simulque angues linguis genas earum poliverunt.

His conspectis auditisque cum omnes magnum esse deum Dionysum intelligant dignumque etiam propter beneficia, cui templa consecrentur, Pentheus tanto fortius obsequendum, ne tanquam incendium petulantia Baccharum superet, censens pedites equitesque omnes ad arma vocat. A quo conatu retrahere iratum Dionysius, ubi neque utilia monendo neque pollicendo, se sine armis Bacchas reduciturum, potuit, persuadet, ut speculaturus Baccharum facta moresque se duce in montem proficiscatur: quo proposito mire gestit homo obscenarum libidinum conspiciendarum cupidus: qua occoecatus cupidine facile etiam, ut muliebrem habitum induat, proluxa coma, veste talari, mitra, thyrso ac pelle hinnuli ornetur, adducitur. Socius itaque ex hoste factus Dionysius cum illo in domum redit, ut alienatum mente ea ratione, qua diximus, ornet, deinde per frequentes urbis vicos ducens ridendum popu-

laribus exhibeat, postremo dilacerandum matri et cognatis tradat.

In hoc toto actu neminem, quamvis sit ad accusandum proclivis, quamvis Euripidi infensus, invenire quod reprehendat posse arbitror. Incendium aedium et concussio tum vocibus Bacchi intus operantis tum trepidatione mulierum prope adstantium et, ut quaeque ille minatus est, effecta significantium, tumultu, pavore, clamore tam graviter auribus repraesentantur, ut etiam scenae imitatione oculi carere posse videantur. Quae autem narrando exponuntur, tam apte inventa sunt tamque veritati similia, ut acta illa sic esse, ut narrantur, quamvis sint nova atque inaudita, facile credamus. Egregie vero ingenium Penthei descriptum est, cui quae inest alienorum flagitiorum suspicio cum libidinosa spectandorum secretorum cupidine coniuncta facile efficit, ut muliebri habitu indutus homo severus superbusque se ridendum civibus exponat; contumacia autem et pervicacia eiusdem saepius elusa in rabiem vertit, ut insania etiam sine dei auxilio gigni potuisse videatur.

Bacchi sacrorum non alienum esse videtur monere quatenus vis fuerit et quae natura. Omissa ratione, quae non minus scelerum ac vitiorum quam virtutum mater est, ad naturae integritatem castitatemque et aurei saeculi felicitatem redire videbantur qui illa celebrabant, et cum feris quandam communitatem inibant, pellibus tecti hinnulorum, anguibus cincti mammasque catulis luporum praebentes; item victu ferino utebantur, crudis vescentes carnibus et quidquid ciborum obvium in silvis erat, denique ferarum more per silvas cursu vagabantur. Eiusdem generis reliqua eorum facta erant; respuebant enim quidquid est culturae ac disciplinae proprium et rationem prudentiamque ficta insania exuebant, sed ingeneratam naturae modestiam tuebantur.

Huius igitur incunditatis rursus se participes fore victo Pentheo Maenades gaudent. „Rursusne in nocturnis choreis pedem nudum movebo cervicemque iactabo tanquam hinnula in viridi prato ludens, postquam indaginem superatis plagis nodosis effugit, ac dum venator canes voce

incitat, ipsa veloci cursu per campum irriguum saliens in solitudinem sub arbusta silvae evasit. Quid est prudentia aut quid pulcrius a diis munus mortalibus datur, quam manu victrici hostium verticem premere? quod autem pulcrum, idem iucundum est. Tarde quidem, sed certa venit deorum vindicta animadvertens in eos, qui per inscientiam insaniamque divina contemnunt; vafre autem per longum tempus insidiati corripunt impios. Non decet unquam legibus institutisque superiora sectari: levis enim impensa est valere id ratumque esse existimare, quidquid divinum est tum tempore longinquo tum natura sancitum. Felix est qui ex tempestate in portum effugit, felix qui aerumnas superavit. Opibus quidem alii aliis antecellunt, et innumerae sunt spes, quarum aliae prosperum habent eventum, aliae irritae cadunt; sed qui in diem commode vivit, beatus est."

Prodit ex aedibus Pentheus vestitu muliebri ornatus et mente alienatus. Duplicem solem duplicesque Thebas adspicere sibi videtur Bacchumque tauri specie praeditum, et putat se universum montem Cithaeronem posse cum ipsis Bacchis humeris impositum auferre. Dissuadente Baccho, ne Nympharum Panisque sedem evertat, sub abietibus se velle corpus occultare dicit et quasi aves in nidis Bacchas inter arbusta recumbentes intueri. Inter hos sermones Bacchus ornatum vesani vehementius corpus importuniusque iactantis componit et collaudat furorem eius multisque ambigue dictis, dum per mediam urbem gloriantem ducit, fatum atrocissimum praedicit. Haec actio eiusmodi est, ut in spectanda ea miseratio cum risu quasi conflictetur: nam quum ridicula sit ludificatio hominis impii insolentisque, tum mali, cui imprudens et cum gloriatione obviam proficiscitur, atrocitas miserationem movet. Sed quamvis sortem Penthei humane doleamus, digne tamen accidere ei quidquid accidat intelligimus.

Abeantis e conspectu Bacchi vox auditur Maenadas advocantis et in ipsas paene manus earum Pentheum discerpendum tradentis. Accedit cantus chori: Ite celeres Furiarum canes ad Cadmi filias in montibus congregatas, extimulate eas contra speculatorem vesanum muliebri

habitu occultatum. Mater eum prima conspicata Bacchis acclamabit: „Quis hic Thebanorum explorator in montes venit? quanam tandem hunc mater peperit? non enim nostri sanguinis est, sed leaenae alicuius vel Gorgonis proles!” Veniat manifesta Vindicta cum gladio! dilaniet improbum impiumque monstrum hominis iniusta ira ac vesana mente in tua orgia, Bacche, et Matris grassantis, quasi vi sit superaturus invictos. Modestam servare mentem est tranquillam degere vitam tum deorum vacantem offensa tum humanorum casuum expertem. Nolo vel sapientiam cum invidia sectari*): quae autem praeter hanc magna ac splendida habentur**), in his pietatem decet servare, ad pulchra vitam in dies bene dirigentem, atque omissis iis quae praeter ius fasque usurpantur, colere deos***). Veniat igitur Vindicta etc. Appare tauri specie aut draconis aut leonis ignei; veni, Bacche, ac venatori Baccharum ridens iniice laqueos devenienti in Maenadum turbam funestam.

Venit nuntius, qui de Penthei interitu coram choro gratulante sibi ac lactante exponat. Cum in Cithaeronem venisset Pentheus, in convalli quadam opaca atque irrigua inventis Bacchis tacitus consedit, ut conspiceret illas neque ipse conspiceretur. Ibi dum Bacchae partim thyrsos hedera denuo ornant partim carmen Bacchicum alterna vice cantant, Pentheus effugere illarum lasciviam conspectum suum arbitrans, ut in sublimiorem locum tolleretur,

*) „Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.”

**) Potentiam dicit atque dominatum, cuius gratia violandam iustitiam esse censet Eteocles in Phoen. v. 524.

***) γνώμαν σωφρονεῖν θνατοῖς ἀπροφάσιςτος
εἰς τὰ τε θεῶν ἔφω
βροτείων τυγῶν τ' ἄλυπος βίος.
τὸ σοφὸν οὐ φθόνῳ χαίρω θηρέουσα· τὰ δ' ἕτερα μεγάλα
φανερὰ τ' ὄντα δεῖ,
ἐπὶ τὰ καλὰ βίοτον
ἡμᾶρ εἰς νύκτα τ' εὖ ἄγοντ', εὐσεβεῖν,
τὰ δ' ἔξω νόμιμα δίκας ἐμβαλόντα τιμᾶν θεοῦς.

in abietis ramis consedit*), cuius cacumen Bacchus manu comprehensum ad terram deduxit orbis instar curvati rursusque in sublime, imposito Pentheo, paullatim remisit. Ibi ille vix consedit conspicuus, cum Bacchus, e conspectu subito remotus, clamavit: „O iuvenes, adduco vobis qui me et orgia mea irridet: proinde ulciscimini eum!” Simul ignis sacri flamma a terra ad coelum pertinens effulsit, et siluit aether cum nemore et feris; Bacchae autem, non liquido audita voce, arrectae stabant oculos circumferentes. Iterato clamore, tum vero omnes citato cursu columbas velocitate aequantes per torrentem, per rupes furibundae feruntur, conspectoque Pentheo, in rupem adversam evadentes primum saxa et ramos abietum et thyrsos coniiciunt. Quibus telis ubi nihil profecerunt, quercus ramis contractae pro vectibus utentes evellere radices abietis conantur; postremo, exhortante Agave, stirpem manibus innumeris arripientes solo evellunt. Quo facto quum Pentheus de sublimi in terram praeceps cum gemitu cecidisset, mater prima in eum quasi sacerdos victimae irruit. Tum ille reiecta mitra, ut agnosceretur, admotaque genae dextra, o mater, inquit, sum filius tuus Pentheus, quem Echioni peperisti: miserere mei, noli propter meum peccatum filium tuum occidere. At illa spumam ore fundens, distortuens oculos, nil mota dictis mente lymphata, arreptam eius manum, insistens lateri, revulsit humero viribus divinitus auctis; Ino autem ab altera parte laniavit, simulque Autonoe cum universa turba institit. Commistus est Penthei gemitus cum Baccharum ululatu. Abstulit autem alia brachium, alia pedem cum calceis, alia laterum viscera, et imbutae sanguine per saxa carnes perque frondes arborum in morem pilarum sparserunt; caput autem arreptum mater thyrso affixit, leonis esse putans, iamque per media Cithaeronis iuga ad urbem portat ovans gloriansque et Bacchum quasi socium venationis auctoremque victoriae invocans.

Haec mox coram in scenam adducuntur. Nam postquam chorus funestam victoriam, uti decet, praedicavit, Agave exu-

*) Cum fama vetustissima haec congruunt; cf. Pausan. II, 2, 6.

vias ita, ut praedixit nuntius, domum referens in conspectum cum vesana gloriatione prodit, gratulante atque irridente choro. „Cepi hunc sine laqueis iuvenem leonem, ut videre licet, in Cithaerone; prima ego vulneravi (beata Agave in coetibus praedicabor!), secundae Cadmi filiae ferierunt. Este nunc participes epuli: iuvenilis enim hic est catulus, modo mentum pube tegens. Prudens venator Bacchus in hanc feram incitavit Maenadas. Thebani, opinor, et Pentheus filius matrem laudabit: magna enim ac decora huic terrae perfecti.” Haec incisim per laetas exclamationes Agaves perque mutuas chori interrogationes et gratulationes peraguntur. Hortante deinde choro, ut civibus exuvias victoriae ostendat, conversa ad populares haecce dicit Agave: „Videte hanc praedam, quam Cadmi filiae, nullis hastis neque retibus, sed nudis usae digitis, cepimus! Quid igitur hastas fabricari attinet, quandoquidem nos manibus ferae huius membra discerpsimus? Ubi mihi pater est senex, ubi Pentheus filius? veniant, ut hoc leonis caput triglyphis aedium affigant!”

Praesto sunt quos vocat ambo: nam Cadmus Penthei membra per Cithaeronem conquisita cum famulis domum reportans subsecutus est Agaven. Quo haec conspecto pergit gloriari praestantissimas ei filias esse, quae relicto lanificio ad maiora evectae sint, ut feras manibus capiant. Postulat deinde, ut acceptas a se exuvias pater fronti aedificii affigat simulque amicos ad epulas vocet. Quo non respondente laetitiae eius, tum huius morositatem tum filii perversitatem vituperat, quem queritur, cum deceat venationi cum iuventute Thebana operam dare, cum diis pugnare.

Paullatim deinde abeunte insania respiscit et facta cognoscit, arguente singula et in mentem revocante Cadmo. Et primum quidem defixis in corpore dilaniato oculis obmutescit. Interim Cadmus orbatam suam senectutem et foedissimam eius, qui fuerit domus columen, necem deplorat. „Nunc ego contumeliis obnoxius vivo, qui quondam civitatem gentemque Thebanorum condidi: extinctus enim est is, qui antea inopiam meam consolabatur et iniurias defendebat.” Matris querelas quae continebant

verba interciderunt. Sed memoriam orationis universae servavit Longinus fragm. VIII, p. 118. ed. Egger., et quosdam versiculos passim inventos recte huic scenae vindicavit Porsonus, quibus equidem alios ex Christo Pat. depromptos addere non dubito. Agnito igitur filii lacerati vultu Agave accusavit se ipsam movitque misericordiam (γνωρίσασα τὸν παῖδα διεσπασμένον κατηγορεῖ μὲν ἑαυτῆς, ἔλεον δὲ κινεῖ) dicens, nisi ipsa piaculum suscepissem —

εἰ μὴ γὰρ ἴδιον ἔλαβον εἰς χεῖρας μύσος —
 liceret mihi saeva clamitando dolorem effundere ac detestari eos, quorum manibus foedissime perisses:

λακιστὸν ἐν πέτραισιν εὐρέσθαι μόρον *).

Solamen quoddam doloris est in funeribus liberorum, corpus, quod alueris foverisque, quamvis exanime, amplecti atque osculari. Hoc quomodo ego faciam corpori membratim distracto foedeque deformato?

πῶς καὶ νιν ἢ δύστηνος εὐλαβουμένη

πρὸς στέρνα θῶμαι; τίνα δὲ θρηνησῶ τρόπον;

Nihilominus singula membra amplexa et recordata pristinae eorum venustatis virtutisque foedum laniatum in unoquoque deplorat (ἕκαστον αὐτοῦ τῶν μελῶν ἢ μήτηρ ἐν ταῖς χερσὶ κρατοῦσα καθ' ἕκαστον οἰκτιρίζεται):

ἄγ', ὦ τάλαινα χεῖρ ἐμή, νεκρὸν λαβέ

καὶ πᾶν κατασπάσαιμι σὸν μέλος, τέκνον,

κνουῦσα σάρκα, ἄσπερ ἔξεθρεψάμην **).

Tum concinnavit rursus composuitque funus, ut servaretur sepulcro, et ultimum salutavit:

οἴχη, ποθεινὸν τέκνον, εἰς Ἄιδου δόμους ***).

Motus his miseriis ipse Bacchus ad consolandos aegros descendit, simulque vitae exitus qualis futurus esset ostendit. In dracones enim Cadmum atque Harmoniam mu-

*) Lucian. Pisc. init.: καθάπερ τινὰ Πενθία ἢ Ὀρφεία λακιστὸν ἐν πέτραισιν εὐρέσθαι μόρον. Ex eodem loco decerpi potuit fragm., quod schol. Phoen. v. 3. affert, a Zirndorfero p. 105. monstratum: καὶ ἐν Βάνχαις· αὐτῆσιν ἐλάταις.

***) Chr. Pat. v. 1306. 1254, 1255. 1312.

****) Chr. Pat. v. 1502.

tatos dicit iugum boum vecturos esse et ductores barbarorum multas urbes cum innumero exercitu eversuros esse; postremo fuis perditisque barbaris in insulas beatorum translatum iri; Agavae vero cum sororibus, privatae parentibus liberisque, pulsae patria, ad exteros abeundum esse et in Illyria regi Lycothersae nubendum*). Itaque valedicentes sibi invicem pater et filia discedunt; Agaven autem longissime a patria abeuntem, ubi Cithaeronis et bacchationis obliviscatur, sorores comitantur.

Pulcherrimum carmen Bacchas Euripidis esse dicit Lucianus adv. indoct. §. 19., quo loco refert Demetrium Cynicum, quum videret Corinthi indoctum quendam male recitantem nuntii narrationem ac Penthei interitum, ereptum ex eius manibus librum discerpisse ac dixisse praestare Pentheum semel a se, quam saepius ab illo lacerari. Latine illud vertit Attius sic, ut ad verbum pleraque exprimeret; cf. fragm. 5. cum v. 35. **), fragm. 2. cum v. 254., fragm. 1. cum vv. 287 seqq. ***), fragm. 14. cum v. 426. †), fragm. 9. cum v. 428., fragm. 18. cum v. 476. ††), fragm. 17. cum vv. 541. 542., fragm. 9, 10 et 12. cum vv. 651 seqq. et vv. 1007 seqq., fragm. 11. cum v. 699., fragm. 6. cum v. 1010., fragm. 3. cum v. 1124 et 1155., fragm. 8. cum v. 1138. Imitatus est Ovidius Met. III, 511—733. et Philostr. Imag. I, 18. Frequentissime ad eam respexerunt scriptores, velut Strabo, Plutarchus, Gellius, Themistius, Lucianus, Clemens Alex., Horatius, Origenes, Athenaeus, Aelianus, Longinus, Plato et Aristippus ap. Diog. Laert. II, 78. aliosque †††), Theodorus ap. eundem VI, 97., Iaso histrio ap. Plutarch. vit. Crassi p. 564. E., Sextus Emp., Polyaeus,

*) Cf. Hygin. c. 184 et 254. Bona pars orationis Bacchi interiit.

**) *Deinde omnes stirpe cum inclyta Cadmeide
Vagant matronae, percitae tumultibus.*

***) *Laetum inter pinos tripudiantem in circulis
Parnasso ludere atque taedis fulgere.*

†) *Formae figura nitiditatem, hospes, geris.*

††) *Praesens praesto irridet nobis.*

†††) Cf. Boeckh. de Gr. trag. princ. p. 302—305., qui quae de duplici recensione suspicatus est, haec iam ab ipso omitti arbitror.

Stobaenus etc. Totam fere fabulam in suum convertit usum Nonnus Dion. XLIV. seqq. et plurimis eius versibus abusus est Pseudo-Gregorius. Euripides autem ipse Aeschylum sine dubio imitatus est, id quod vastius affirmavit Barnesius argumentum vetus interpolans: τὸ ὄνομα μόνον μεταπεποιήται Εὐριπίδῃ *).

Recentiorum etiam ii, qui infestissimi fuerunt carminibus Euripidis, hoc drama non probarunt tantum, verum etiam laudibus extulerunt **).

D. A r c h e l a u s .

Argumentum Hyginus fab. 219. exposuit, cuius narrationis hoc est initium: „Archelaus, Temeni filius, exsul a fratribus eiectus, in Macedoniam ad regem Cisseum venit.” Quibus verbis adde quae Dio Chrys. orat. IV. p. 70. (163.) Diogenem Alexandro fecit dicentem: ἢ οὐκ ἀλπόλος ἦν ὁ Ἀρχέλαος καὶ ἤλθεν εἰς Μακεδονίαν αἶγας ἐλαύνων; πότερον οὖν ἐν πορφύρᾳ μᾶλλον ἢ ἐν διφθέρᾳ εἶη τοῦτο ποιεῖν; Habes igitur rursus philosophum vel, si cum Aristophane dicere mavis, mendicum, qui ad humillimum vitae genus descendere patriaque et regno carere mallet quam eadem cum caede fratrum ac popularium occupare. Hoc igitur habitu vestituque Archelaum in scenam prodeuntem exposuisse puta de maiorum suorum rebus gestis deque sua conditione: cuius prologi initium hocce servatum est:

Δαναός, ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ,
 Νείλου λιπὼν κάλλιστον εὐκταίως ***) ὕδωρ —
 ὃς ἐκ μελαμβρότοιο πληροῦται ῥοὰς
 Αἰθιοπίδος γᾶς, ἥνικ' ἂν τακῆ χιόν,

*) Cf. Schoene de pers. in Eur. Bacch. habitu scenico p. 1.

***) Cf. Schlegel T. I. p. 256. Gruppe Ariadn. p. 381 seqq. Quibus adde: de Euripidis Bacchabus scr. G. H. Meyer. Gottingae 1833. Silber de Eurip. Bacchis. Berol. 1837.

****) Vulgo ἐκ γαίας; sed Tiberius in Rhet. Gr. T. VIII. p. 577. praebet εὐκταίης: idem versu quarto veriora servavit.

τεθριππέοντος ἡλλίου κατ' αἰθέρα — *)
 ἔλθῶν ἐς Ἄργος ὄκισ' Ἰνάχου πόλιν,
 Πελασγιώτας δ' ὠνομασμένους τὸ πρὶν
 Δαναοὺς καλεῖσθαι νόμον ἔθηκ' ἀν' Ἑλλάδα.

Haec, ex Anaxagorae physiologia deprompta**), congruunt cum initio Helenae. Ad suam deinde fortunam transiens Archelaus dicere potuit haecce:

πένης γὰρ (ὦν τις) οὐκ ἔκειν' ἀπώλεσεν,
 τὸ τοῦ πατρὸς γενναῖον.

Simul spe erigebatur fore ut eventum habentibus oraculis, quibus in Macedonia regnum quaerere iuberetur (cf. Dion. Chrys. l. l.), in melius fortuna mox mutaretur. Qua ductus spe regi ministeria sua offerre constituit. Altera igitur prologi pars colloquio regis et advenae conficiebatur. Sciscitatur Cisseus consilium adolescentis hisce verbis:

ἡμῶν τί δῆτα τυγχάνεις χρεῖαν ἔχων;
 πατέρων γὰρ ἐσθλῶν ἐλπίδας δίδως γεγώς.

Cognita caussa ac fortuna advenae lubens eum recipit, opera eius usurus in bello, quod cum maxime imminet (a finitimis enim, ut ait Hyginus, oppugnatur), simulque monet, ut fortunae damna virtute emendare studeat:

σοὶ δ' εἶπον, ὦ παῖ, τὰς τύχας ἐκ τῶν πόνων
 θηρᾶν· ὄρᾳς γὰρ σὸν πατέρα τιμώμενον.
 νεανίαν γὰρ ἄνδρα χρὴ τολμᾶν αἰεῖ·
 οὐδεὶς γὰρ ὦν ῥάθυμος εὐκλεῆς ἀνήρ,
 ἀλλ' οἱ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐδοξίαν.

Paratum iuvenis animum haecce declarant verba:

— — — — ἐμὲ δ' ἄρ' οὐ
 μοχθεῖν δίκαιον; τίς δ' ἄμοχθος εὐκλεῆς;
 τίς τῶν μεγίστων δειλὸς ὦν ὠρέξατο;
 — — — —
 σὺν μυθίοισι τὰ καλὰ γίγνεται πόνοις.

*) Recte Tiberius οἱ τρεῖς, inquit, περὶ ποταμοῦ στίχοι περιτοί. Non facile omittebat occasionem Euripides inventa philosophorum cum vulgo communicandi.

**) Ioannes Lydus de mens. IV. p. 112: περὶ τῆς ἐν θέρει τῶν ὑδάτων ἐπιδόσεως Ἀναξαγόρας φησὶ τὰς τῆς Αἰθιοπίας τηκομένης χιόνας ἀποστέλλειν τὸν Νεῖλον· καὶ ταύτης ἐστὶ τῆς δόξης ὃ τε Αἰσχύλος καὶ Σοφοκλῆς καὶ Εὐριπίδης.

Interim gravius ingruit bellum et ad ipsam urbem oppugnandam hostes cum populatione agrorum contendunt, quo excitati terrore agricolae ad regiam accurrunt auxilium petentes:

βασιλεῦ χώρας τῆς πολυβώλου,
Κισσεῦ, πεδίου πυρὶ μαρμαίρει.

Quibus auditis Archelaus spem concipit fore opportunitatem ex egestate evadendi:

οὐ γὰρ ὑπερθεῖν κύματος ἄκραν
δυνάμεσθ'· ἔτι γὰρ θάλλει πενία,
κακὸν ἔχθιστον, φεύγει δ' ὄλβος.

Haec atque alia alternis vicibus chori carmen interpellans canebat. Finito cantu rex in scenam reversus in Archelai virtute se spem victoriae ponere declarat:

ὀλίγοι γὰρ ἔσθλοὶ κρείσσονες πολλῶν κακῶν
— — — ὀλίγον ἄλκιμον δόρυ
κρείσσον στρατηγῶ μυρίου στρατεύματος·
ἔχει δὲ καὶ τοῦτ' οὐχὶ μικρόν, εὐγενῆς
ἀνὴρ στρατηγῶν εὐκλεᾶ τ' ἔχων φάτιν.

Iterat deinde illa, quae, quum exciperet, monuit:

οὐκ ἔστιν ὅστις ἠδέως ζητῶν βιοῦν
εὐκλειαν εἰσεκτήσατ', ἀλλὰ χρῆ πονεῖν.

Paratum se ad suscipiendum laborem esse docet Archelaus, sed nolle egenum diviti gratis et sine mercede operam praestare:

οὐ βούλομαι πλουτοῦντι δωρεῖσθαι πένης·
μή μ' ἄφρονα κρίνης, ἦν διδοὺς αἰτεῖν δοκῶ *).

Egestatem enim nullo esse honore; itaque vituperandos esse qui, quum ad cetera sapiant, non sapiant ad lucra:

οὐκ ἔστι πενίας ἱερὸν, ἀσχιόστης θεοῦ·
μισῶ γὰρ ὄντως οἵτινες φρονοῦσι μὲν,
φρονοῦσι δ' οὐδὲν ὧς γε χρημάτων ὑπερ **).

Itaque postulat, ut filiam rex sibi despondeat simulque regni heredem instituat, si pulsus hostibus terram liberaverit. Hyginus: „Regnum et filiam in coniugium Archelao dare pollicetur, si se ab hoste tutatus esset.” Con-

*) Vulgo ἦ pro ἦν.

**) Vulgo φρονοῦσι δ' οὐδενός γε.

cedit Cisseus postulata et arcessita filia rata facit promissa. Filiae verba lubenter conditionem accipientis haec fuisse videntur:

πατρὸς δ' ἀνάγκη παισὶ πείθεσθαι λόγῳ

— — — — —
 ἐν τοῖς τέκνοις γὰρ ἀρετὴ τῶν εὐγενῶν
 ἔλαμψε κρείσσων τ' ἔστι πλουσίου γάμου.

Profecto contra hostes Archelao, chorus fausta conatibus eius precatur et recordatus Herculis, ex quo ille originem ducit, certaminum sperat victoriam. De latronibus enim ab Hercule sublatis dicta sunt verba, quae schol. Pind. Pyth. 55. attulit:

ἔπαυσ' ὁδοῦροὺς λυμεῶνας *).

Redit deinde ex proelio nuntius victoriae. Hyginus: „Archelaus, quia ab Hercule esset oriundus (nam Temenus Herculis filius fuit), hostes uno proelio fugavit et ab rege pollicita petit.” Cuius narrationis nihil servatum est. Continuo amicorum, qui praesto sunt, aliquis regi suadet, ut de medio virum optime meritum tollat: de qua re Hyginus: „Ille ab amicis dissuasus fidem fraudavit eumque per dolum interficere voluit. Itaque foveam iussit fieri et multos carbones eo ingeri et incendi et super virgulta tenuia poni.” Ex ea amici oratione petita sunt haecce:

μὴ πλούσιον θῆς· ἐνδεέστερος γὰρ ὦν
 ταπεινὸς ἔσται· κείνο δ' ἰσχύει μέγα,
 πλοῦτος λαβῶν τε τοῦτον εὐγενῆς ἀνήρ.

Opes igitur cum nobilitate generis coniunctas nimium ait valere neque regi tolerabiles esse. Neque praemio tantum Archelaum fraudandum, sed vita quoque privandum esse: iuvenem enim egenum eundemque fortem atque audacem, praesertim si iniuria se affectum esse credat, periculum minitari opulentioribus minus strenuis:

νεανίας τε καὶ πένης σοφός θ' ἄμα,
 ταῦτ' εἰς ἓν ἔλθόντ' ἄξι' ἐνθυμῆσεως.

*) πειρατὰς τοὺς κατὰ πέλαγος ληστὰς λέγομεν, κυρίως δὲ τοὺς ἐν ὁδοῖς κακουργοῦντας, παρ' ὃ δὴ καὶ ὁδοῦροὺς αὐτοὺς λέγει Εὐριπίδης ἐν Ἀρχελάῳ.

Nunquam regibus conducere quemquam virtute ipsis praestantio- rem, sive servus sit sive ingenuus, alere:

κρείσσω γὰρ οὔτε δοῦλον οὔτ' ἐλεύθερον
τρέφειν ἐν οἴκοις ἀσφαλὲς τοῖς σώφροσιν.

Filiam Cissei huic colloquio interfuisse ex fragm. 24mo colligo. Excusat enim se huic de perfidia rex, ad iniquitatem deorum causam transferens:

πόλλ', ὦ τέκνον, σφάλλουσιν ἀνθρώπους θεοί.

Neque tamen satisfacit filiae, haecce respondenti:

τὸ ῥᾶστων εἶπας, αἰτιάσασθαι θεούς.

Eidem haec a patre dicta esse arbitror:

ὀργῇ δὲ φάυλη πόλλ' ἔνεστ' ἀσχήμονα.

Planum est eam amore viri praestantissimi captam fuisse et consilium cepisse servandi eius. Interim chorus illum tanquam iam extinctum deplorat:

ἔστιν δὲ καὶ παρὰ δάκρυσι κείμενον

ἡδὺν βροτοῖς, ὅταν

ἄνδρα φίλον στενάχῃ τις ἐν οἴκῳ.

Foveam in conspectu theatri factam esse suspicor: cui quum Archelaus, ex bello victor rediens, cum magna spectantium sollicitudine appropinquaret, in ipso discrimine servus ei occurrit a filia regis submissus, et a pernicie retractum de fraude edocuit. Hyginus: „Quo quam Archelaus venisset, ut decideret, hoc regis servus Archelao patefecit. Qui re cognita dicit se cum rege colloqui velle secreto, arbitris semotis.” Certior factus extemplo Archelaus regiam expugnaturus et regem cum amicis eius improbissimis exitio daturus est. Cuius iram reprimit servus:

πολλοὺς δ' ὁ θυμὸς ὁ μέγας ᾤλεσεν βροτῶν

ἢ τ' ἀξυνεσία, δύο κακὰ τῷ χρωμένῳ

τῷ γὰρ βιαίῳ κἀργίῳ τὸ μαλθακὸν

εἰς ταῦτόν ἐλθὼν τοῦ λίαν παρείλετο

τὸ συνεχὲς ἔργου παντὸς εὐρίσκει τέλος.

Invitationi Archelai rex haud cunctanter obtemperavit, eum, priusquam extinguerentur carbones, ad foveam calide adducturus. Obviam igitur procedens victori ante ipsam foveam tectam constitit coronamque manu proten-

dens illum ad se accedere iussit, quasi eam capiti illius impositurus:

ἐγὼ δὲ τὸν σὸν κράτ' ἀναστέψαι θέλω

τιμᾶν Μακεδόνων εἴνεκ' εὐανδροσίας *).

Perfidiae deinde ab Archelao arguitur, simulque poenam ei paratam esse tecte significatur hisce verbis:

δοκεῖς τὰ τῶν θεῶν ξυνετὰ νικήσειν ποτὲ
καὶ τῆμ Δίκην μακρὰν ἀπωκίσθαι βροτῶν;
ἢ δ' ἐγγύς ἐστιν, οὐχ ὄρωμένα δ' ὄρα
ὄν χορὴ κολάζειν τ' οἶδεν, ἀλλ' οὐκ οἶσθα σύ,
ὁπόταν ἄφνω μολοῦσα διολέσῃ κακούς.

Ex defensione Cissei deprompta sunt haecce, quibus regnum dicit rem omnium praestantissimam esse et paene deorum felicitati aequalem: quamobrem ignoscendum esse, si quis eius servandi causa scelera committat:

τυραννὶς εἶναι θεῶν βίος νομίζεται.

τὸ μὴ θανεῖν γὰρ οὐκ ἔχει, τὰ δ' ἄλλ' ἔχει.

Pecunia, rerum regina, fidem, amicos, genus, formam, gloriam acquiri:

τίς δ' οὐκ ἂν εἴη χρηστὸς ὄλβιος γεγώς;

Respondet Archelaus haecce:

ἀπλοῦς ὁ μῦθος, μὴ λέγ' εὖ· τὸ γὰρ λέγειν
εὖ δεινόν ἐστιν, εἰ φέροι τινὰ βλάβην.

πλουτεῖς· ὁ πλοῦτος δ' ἀμαθία δειλὸν θ' ἅμα.

Tyrannidem ait stare non posse destitutam virtute, et modo illam a se ipso ex servitute retractam esse:

ἔσωσα δούλην οὔσαν· οἱ γὰρ ἤσσονας
τοῖς κρείσσοσιν φιλοῦσι δουλεύειν βροτῶν.

Solam iustitiam et probitatem magni faciendam esse, qua et leges confirmari civitatum et commoda iis, qui colant, divitiis praestantiora parari:

ἐκ τῶν δικαίων γὰρ νόμοι τ' ἀνέξήματα
μεγάλα φέρουσι πάντα τ' ἀνθρώποις (σοφοῖς)

*) Genitivum pro accusativo positum esse ait grammaticus in Boissonad. Anecd. III. p. 245. Cf. Schneidew. conii. critt. p. 111.

τάδ' ἐστὶ χρήματ', ἣν τις εὐσεβῆ θεόν.

μακάριος ὅστις νοῦν ἔχων τιμᾷ θεὸν
καὶ κέρδος αὐτῷ τοῦτο ποιεῖται μέγα.

His dictis „regem arreptum in foveam coniecit atque ita eum perdidit”, probante choro:

τὰ γὰρ οὐκ ὀρθῶς πρᾶσσόμεν' ὀρθῶς
τοῖς πρᾶσσουσιν κακὸν ἦλθεν.

Quibus peractis Hercules de cœlo demissus iubet Archelaum „profugere ex responso Apollinis capra duce oppidumque ex nomine caprae (αἰγός) Aegas constituere”, simulque magnorum eum regum auctorem fore praedicat.

His praecepta adnexuit salutaria, velut hoc:

ἐν δέ σοι μόνον προφωνῶ, μὴ 'πὶ δουλείαν ποτὲ
ζῶν ἐκὼν ἔλθῃς, παρόν σοι καταθανεῖν ἔλευθέρως.

Chorus autem conversionem rerum comprobat:

πάλαι σκοποῦμαι τὰς τύχας τὰς τῶν βροτῶν,
ὡς εὖ μεταλλάσσουσιν· ὅς γὰρ ἂν σφαλῆ,
ἐς ὀρθὸν ἔσται, χῶ πρὶν εὐτυχῶν πιτυεῖ.

Cui non haec legenti in mentem veniant illa, quae Plato in Gorgia p. 470. D. memoriae prodidit, Archelaum, spurium ex serva natum, Alcetae patruo cum filio eius Alexandro, invitatis ad se, quasi regnum a Perdicca ereptum restituere vellet, insidias struxisse: nam ebrios factos noctu in plaustrum impositos esse et in loco secreto interfectos; paullo post genuinum Perdiccae filium, septem annorum puerum, in puteum ab eo iniectum suffocatumque esse, matri autem eius Cleopatrae nuntiatum esse forte illum, cum anserem persequeretur, delapsum in puteum interisse. Non potuit Euripides simul haec ab Archelao facta esse credere simulque hanc tragoediam in honorem eius componere, neque Archelaus diligere potuit eum poetam, cuius scriptis scelerum suorum tam manifesta fabularum similitudine admoneretur. Quamobrem vide, ne haec quoque fama, ut aliae plurimae, ex Euripidis scriptis originem duxerit, aut ad verum Archelaum temere translata sint quae de fabuloso vetus fama tradiderat. Vituperandus est Plato, qui pro compertis retulerit quae suspicari quidem multi, arguere autem et pro certis

docere profecto nemo praeter eos, qui perpetrassent, poterat. Sed talis fuit Graecorum veterum natura, ad fabulas comminiscendas et pro veris vendendas promptissima. Thucydidem, si quid tale accepisset, non omissurum fuisse arbitrator eo loco, quo plurima Archelai merita commemorat atque eum plura, quam octo reges, qui praecessissent, bona unum Macedonibus parasse affirmat, lib. II. c. 100. „Macedones, qui tunc erant, quo tempore Sitalces invasit, tantis copiis resistere non potuerunt; itaque quaecunque erant in agris, in castella et loca munita comportaverunt: quae erant illis temporibus paucissima. Nam postea demum Archelaus, Perdiccae filius, cum regnum adeptus esset, tum ea quae nunc illi terrae insunt oppida extruxit tum vias munivit amplas tum cetera in usum belli equis, armis et reliquo apparatu melius, quam superiores octo reges omnes, adornavit.”

Saepe accidit, ut qui foeda committerent et nefariorum scelerum conscientia cruciarentur Musarum et artium liberalium quaerent delectationem; sed nunquam, quoad fuerunt homines, conspecti sunt, qui iidem et sapientiam colerent et libidinibus servirent, iidem et ingenuitatem tolerarent familiarium et amarent iniustitiam. In sapientia autem et ingenuitate amicitiam Euripidis atque Archelai positam fuisse hoc drama manifestissimis documentis declarat. Ostendat mihi aliquis ex carminibus, quaecunque omnibus in gentibus, locis temporibusque scripta sunt, unum, cuius aut argumento aut sententiis plura insint regibus cognitu utilia, aut ex quo liberior auctoris ingenuitas appareat, quam quae tum in omnibus huius tetralogiae fabulis tum praecipue in Archelai reliquiis elucet. Iniquum unius dominatum ostendit propterea esse, quod virtutem civium tyrannus timeat et de medio tollere optime meritos quosque studeat, id quod Waldstenii, Columbi, Balboae, Albuquerqueis et plurimorum aliorum fata confirmant. Potentiam destitutam virtute non esse a servitute tutam; opes neminem iuvare privatum probitate; veras divitias in iustitia positas esse; hac respublicas, hac civium unumquemque augeri. Nihil gratis tribuendum regibus esse: absurdum enim esse donare pauperes opulen-

tis*). Haec atque alia eius generis docens Euripides simulque argumento dramatis declarans, quid aliud, quam monuisse Archelaum videtur, ne potentia abuteretur? Eum autem regem, qui tali poeta gauderet, Pericli quam Dionysiis similiorem fuisse necesse est. Haec autem sine dubio huius carminis vis virtusque effecit, ut, quum nunquam in Atheniensium theatrum delatum esset, utpote exterorum rebus magis quam Graecorum aptatum, tamen vulgo innotesceret et familiare esset doctis, id quod ex Plutarchi, Diodori, Dionysii, Strabonis, Dicaearchi, Menandri, Iustini Mart., Stobaei aliorumque tum laudationibus tum imitationibus intelligitur.

XI. De gloria Euripidis superstite.

Nuntio de morte Euripidis Athenas perlato universam accepimus civitatem dolore ac moestitia affectam esse, quem civium affectum Sophoclem, quum forte in eo esset, ut tragoedias committeret, sequi decrevisse: itaque vestem et ipsum mutasse et histriones iussisse pullo amictu ac sine coronis in scenam prodire; vit. Thom. Magist. Maxime enim omnium tragicorum illis iam temporibus Athenienses Euripidem admirabantur, et videbatur hic reliquos tragicos cunctos, ne Sophocle quidem excepto, superasse. Id ex Ranis, comoedia Aristophanis, intelligitur, in qua hic Dionysum induxit in similitudinem Atheniensium disciplina Euripidis excultorum deformatum, quasi imaginem morum huius poetae admiratione depravatorum personam effingens dei, qui tragicorum certaminibus praerat**).

*) Hoc Dicaearchus apud Plutarch. de *el* Delphico p. 384. D. dictum ab Euripide hac esse mente, ut dona ex rege extorqueret, opinatus est. Id commemorasse satis erit.

***) Cf. Stallbaumii progr. de persona Bacchi in Ranis Arist. Lips. 1839, p. 10.

Ille igitur Dionysius, quasi alter Phidippides, verum ex gente patriciorum (*γεννάδας, ὅστις γε πίνειν οἶδε καὶ βιβεῖν μόνον*), clava quidem et pelle leonina priscos heroes et praestantissimum eorum Herculem imitatur, sed re et factis adolescentulis, qui sophistarum scholas frequentabant, simillimus est, ut hac ipsa discrepantia personis Euripidis tragicis respondeat. Talis igitur ingenio moribusque, quum forte in navi sedens, quo tempore proeliis animum intendere debebat, Andromachen Euripidis solus secum legeret (cuius dramatis partibus iis, quae amorem Persei imitabantur, Abderitas ad insaniam delectatos esse accepimus), subito ingenti commotus est Euripidis defuncti desiderio, ut reducere eum ex inferis misere cupiens in Orcum descendere fortiter constitueret. Sophoclem vero spernit ut parum sollertem (*πανοῦργον*) atque tranquillitatis pacisque sic amantem, ut novare quicquam vel moliri rerum audacium vereatur. Idem paene insanit admiratione, quum audaciora Euripidis dicta reputat, velut haecce:

ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ', οἴκησιν Διός —
 ἢ γλώσσο' ὁμώμοχ', ἢ δὲ φρεῖν ἀνώμοτος —
 καὶ χρόνου πρόβαινε πόδα.

Eo autem furore populus Atheniensium universus tenetur praeter optimates, qui pauci numero (*ὀλίγον τὸ χρηστόν ἐστιν*, v. 773.) Aeschylum admirari nunquam desinunt. Plebeis enim erudiendis operam dederat Euripides, quos furum et impiorum nominibus designat Aristophanes (v. 762.). Hi igitur, multitudine superantes, cum auditis Euripidis versutiis astutiisque insanirent et illum sapientissimum esse crederent (*ὑπερεμάνησαν κἀνόμισαν σοφώτατον*), in sedem regiam deiecto Aeschylo eum imponere constituerunt. Hunc tamen amoris atque desiderii ardorem fabula Aristophanis, quamvis cum voluptate et admiratione plus semel spectaretur, adeo non restinxit in Atheniensibus, ut et continuo filium Euripidis patris certantem tragoediis coronaverint, neque multo post Palamedis fabulam iterum spectarint, quo tempore versibus quibusdam mortem Socratis in memoriam revocantibus illacrimarunt. Manifestissima gratiae et favoris, quibus Euri-

pidēs iam a primis temporibus floruit, signa omnibus Aristophanis comoediis insunt. Non potuisset enim hic unquam singulis perstringendis sententiis depravandisque verbis risum quaerere, nisi pleraeque illorum carminum partes etiam indoctorum hominum memoria haerent. Idem ex iis, quae Plutarchus de militibus Atheniensium captivis narrat, intelligitur; cf. T. I. p. 240. Quomodo factum sit, ut victorias Euripidi non Sophocles tantum et Aeschylus, sed etiam ignobilissimi saepe poetae praeriperent, id quod veteres ipsi admirati sunt (cf. Gell. XVII, 4. Aelian. V. H. II, 8.), nolo quaerere*); factionum vero studium atque aemulationem nostro offecisse testati sunt ii, quos qui vitam cod. Vindob. scripsit secutus est, qui aequiori iudicio exteros ait, quam cives, laudibus eius favisse, idque nomine *ξеноφιλότατος* significari, quo illum solitum esse appellari: *ξеноφιλότατον κεκλήσθαι φρασι διὰ τὸ μάλιστα ὑπὸ ξένων φιλεῖσθαι· ὑπὸ γὰρ Ἀθηναίων φθονεῖται.* Verum neutquam Euripides debito honore caruit, sed affectus est eo, qui summus habebatur, ut quotidiano in prytaneo victu uteretur, teste Oenomaο apud Euseb. praepar. evang. V, 12. p. 228: *εἰ μὲν οὖν ὁ κρότος ἱκανὸς κριτῆς καὶ ἡ ἐν ἀκροπόλει τράπεζα, οὐδὲν ἔτι λέγω, βλέπων ἐν Ἀκροπόλει δειπνοῦντα τὸν Εὐριπίδην, καὶ τὸν Ἀθηναίων ἅμα καὶ τὸν Μακεδόνων δῆμον ἐπιφοροῦντα.* Plausu et Atheniensium et Macedonum populi tragoedias ait Euripidis approbatas esse. Dicit etiam Athenaeus I. p. 19. E. furori similem fuisse admirationem, qua populus Atheniensium ad carmina Euripidis audienda raperetur, et unice illum post Aeschylum in theatris regnasse: *ἐνεθουσίωσι οἱ περὶ Εὐριπίδην· Ἀθηναῖοι δὲ καὶ Εὐρι-*

*) Eiusdem iudicii iniquitatem Aeschylus expertus (teste Theophrasto sive Chamaeleone ap. Athen. VIII. p. 347. E.) tempore se tragoedias suas consecrare dixit, non ignarus se meritum aliquando honorem adepturum. Alia stupiditatis iudicium exempla Schoell in libro de Sophocle scripto p. 163. et Bergk. in Aristoph. fragm. p. 16. 17. commemorant. Contempsisse Euripidem vulgi iudicium ostendunt ea, quae T. II. p. 296. commemoravimus.

πίδην ἐν θεάτρῳ ἀνέστησαν μετὰ τῶν περὶ Αἰσχύλον. Familiae Aeschyli etiam Sophoclem accenset, quod idem ab Aristophane in Ranis fieri intelligimus. De statutis autem principum tragicorum in theatro Atheniensium positus docet Pausan. Att. c. 21. p. 48. et plenius Pseudoplutarchus in vit. oratorum p. 841 (252.). Suadente enim Lycurgo oratore imagines Aeschyli, Sophoclis atque Euripidis aeneae in theatro sunt positae, simulque sancitum, ut scripta eorum, quo ab histrionum interpolationibus essent tutiora, in delubro asservarentur, et scribae publico mandatum negotium, ut recitationes histrionum (a poetarum enim verbis hi recedere vetabantur*) cum integris scriptis congruas redderet.

Haec postmodum in Alexandriam translata sunt exemplaria. Etenim Ptolemaeus Evergeta, quum ab Atheniensibus petisset describenda et quindecim talentorum pignus interposuisset, relicto pignore illa exemplaria nunquam reddidit, sed in sua posuit bibliotheca; tradidit autem Atheniensibus pro genuinis ea, quae splendide in pulcherrimis chartis describenda curaverat exemplaria; cf. Galen. Hippocr. epidem. III, 2. V, 412. Basil. Boeckh. de trag. Gr. pr. p. 13.

Mirum est dictu, quantopere homines Graeci omnibus temporibus locisque Euripidis carminibus delectati sint. Itaque eadem fere de Abderitarum furore Lucianus, quae de Atheniensium Aristophanes finxit, narrans illos regnante Lysimacho miro quodam morbo correptos esse, ut omnes vulgo febrerent, qua feбри, quum principio vehementi correpti et continua essent, circa septimum fere diem alios sanguine multo ex naribus, alios sudore manante liberatos esse; verum statim e corporis morbo in mentis quendam morbum ridiculum incidisse: in tragoediam enim omnes incitatos iambos recitasse magna voce clamantes, et Andromedam potissimum Euripidis cantasse Persei orationem

*) Locum a multis tentatum sanasse Bernhardy in vita Eurip. p. 165. videtur sic scribendo: τοῖς δ' ὑποκρινομένοις οὐκ ἐξείναι παρ' αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι. Ceterum conferas Grysar. de Graecorum tragoedia qualis fuit circum tempora Demosthenis, et Welcker. p. 907 seq.

cum modulis peragentes, ut plena esset urbs pallidorum et macilentorum tragoedorum magna voce

σὺ δ' ὦ θεῶν τύραννε κἀνθροῶπων, Ἔρωσ,

et quae sequuntur clamantium, idque frequenter, donec hiems et frigus magnum incidens finem delirio imponeret. In culpa fuisse Archelaum histrionem magno cum plausu in media aestate magnoque ardore Andromedam iis agentem, ut febris affecti multi e theatro redirent surgentesque lectis postmodum rursus in tragoediam relaberentur multum Andromeda memoriae eorum immorante ac Perseo cum Medusa mentibus singulorum obversante. Lucian. de conscrib. hist. c. 1. Eandem rem auctiorem Eunapius (vide corpus script. hist. Byz. I. p. 79.) retulit Neronis tempore accidisse perhibens.

Saniora dehinc admirationis exempla commemoro. Dionysius tyrannus, qui ad tragoedias componendas ipse incubuit (Aelian. XIII, 18.), magna pecuniae summa pugillares Euripidis et graphium ab eius heredibus redemit, ut in Musarum delubro reposita consecraret, titulo inscripto, qui illa Euripidis fuisse doceret; testatur Hermippus in vita cod. Vindob.; cf. Pflugk. praef. p. LXXII. Alexander, qui apud Pheraeos tyrannidem occupaverat, quamvis saevus ingenio, cum Troadas Euripidis ageret Theodorus, tam vehementer commotus est, ut lacrimas non retinens e theatro se proriperet; tum misso nuntio actorem confirmavit atque adhortatus est, ne ideo minus contenderet: neque enim idcirco se discessisse, quod illum aspernaretur, sed quod erubesceret cives, si se, qui nullius unquam eorum, quos interficeret, captus misericordia esset, calamitati illacrimantem Hecubae atque Andromachae conspicerent; cf. Plutarch. vit. Pelop. c. 29. p. 243., de Alexandri fortuna et virtute orat. II. init. Aelian. XIV, 40. Non igitur solus Archelaus ex regibus maximi fecit eum poetam, qui omnium acerrime dominatum et iniustitiam inpugnabat: cuius tragoediae, etsi non valuerunt ad coercendam hominum improborum libidinem, tamen interdum vel durissimorum hominum animos molliverunt et poenitentiam inseruerunt crudeliter factorum. Id Spartanorum quoque principes experti sunt, qui quum Athenas solo aequare, incolas au-

tem in servitutem vendere vellent, forte Phocensi quodam inter coenam illorum parodum ex Euripidis Electra canente, fracti sunt omnes misericordia et saeva iis res esse visa est tam claram civitatem tantorum virorum procreatricem delere. Fere autem omnes et docti et indocti nobilissima quaeque ex Euripidis carminibus memoria tenebant ac data opportunitate recitabant, velut Plato, cum Aristippus apud Dionysium, Siciliae tyrannum, inter potum stola ornatus purpurea saltaret, iussus eandem vestem induere, dixit illa de Bacchis:

*οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδύσαι στολὴν
ἄρῶην πεφυκῶς καὶ γένους ἕξ ἄρῶενος:*

tum Aristippus ridens quae ibidem scripta sunt paullulum immutata respondit:

— *καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
ὁ νοῦς ὁ σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.*

Passim in scriptis suis Euripidis versibus usus est Plato et summum tragicorum eum habitum esse testatus est Rep. VIII. p. 568. A. „Nonne cum universe tragoedia plena esse sapientia videtur tum Euripides in ea excellens?“ Anaxarchus, cum Alexander mala in eum inter coenam coniiceret, surgens dicensque versum de Oreste:

βεβλήσεται τις θεῶν βροτησίᾳ χειρὶ,

potum reiecit. Plutarch. Symp. IX, 1, 2. p. 737. Diogen. Laert. IX, 60. Item Clitus ex triclinio ab amicis remotus cum rediret, Euripidis recitavit illa de Andromacha:

οἱμοί, καθ' Ἑλλάδ' ὧς κακῶς νομίζεται κτλ.

Ipsae autem Alexander quondam totum episodium ex Andromeda, quamvis esset ebrius, recitavit (Athen. XII. p. 538.), et sententiis ex eodem poeta depromptis qualibet occasione usus est; cf. Plutarch. vit. Alex. c. 53. Neque enim Homeri tantum, sed Euripidis quoque Sophoclisque et Aeschyli opera secum gerebat; cf. Plut. c. 8. Hunc sine dubio hominum eruditorum morem respiciens Lucianus Iovem inducit et Minervam colloquia ex meris huius poetae versiculis contextentes, ut universum paene Euripidem devorasse videantur (τὸν Εὐριπίδην ὅλον καταπεπώκαμεν, Luc. Iov. trag. c. 1.). Ad hanc autem augendam confirmandamque carminum cognitionem plurimum valebant histrionum nobilis-

simorum actiones. Et praeter eos, quos commemoravimus, Theodorum atque Archelaum, etiam Polus, Aristodemus ac Satyrus ad agendas Euripidis potissimum fabulas incubuerunt, atque ii ex urbe in urbem migrantes plurimos huius delectationis participes fecerunt. Sic Aristodemus et Neoptolemus ad Philippum Macedonem venerunt et liberaliter sunt habiti artem suam ostendentes. Potestas enim iis concessa est quaslibet terras atque etiam hostium urbes exercendae artis causa adeundi, quae venia *ἀδεια* appellabatur: de qua re conferas Grysar. l. l. p. 12 et 34. Idem de vitis laudibusque clarissimorum histrionum, Poli, Theodori, Aristodemi, Neoptolemi, p. 35 seqq. exposuit. Nunquam igitur favor Euripidis inter Macedones imminutus est: nam Thessalum quoque tragoedum, quem tanti faciebat Alexander, ut partem regni amittere quam illius cladem videre mallet (Grysar. p. 13.), in Euripidis potissimum fabulis agendis elaborasse inde colligo, quod huius poetae carmina Alexander memoriter recitabat.

Hac ratione factum est, ut eruditio Atheniensium cum eius poetae carminibus, qui princeps illius auctorque fuerat divulgandae, apud omnes gentes et civitates tum Graeci sive Macedonici tum Romani imperii increbresceret. Etenim sermone Graeco cum litteris et rerum vetustarum fama per Asiam, quatenus Macedones ei imperitabant, prolatis, etiam in barbarorum theatris tragoediae spectabantur, cuius rei documento sunt ea, quae de Crassi capite ad Hyrodem in Armeniam relato Plutarchus c. 33. p. 564. retulit: „Composuerat pacem Hyrodes cum Artuasde Armenio, cuius sorore filio illius Pacoro desponsa agitabant inter se epulas et convivia, quae multis acroamatibus Graecis interpolabant. Erat enim neque sermonis neque litterarum Hyrodes Graecarum rudis; Artuasdes vero etiam tragoedias componebat et orationes atque historias scribebat, quarum adhuc exstant quaedam. Ubi igitur allatum caput Crassi ad fores est, sublatis iam mensis, tragoediarum actor Iason recitavit ex Bacchis Euripidis Agaven. Qui quum placeret, ingrediens convivium Sillaces, cum regem veneratus esset, proiecit in medium caput Crassi. Ibi Parthis plausum cum clamore et gratulatione tollenti-

bus Sillacem ministri regis iussu invitarunt ad accubandum, Iason autem, tradita uni de mimis Penthei persona, corripuit caput Crassi et cum fanatica corporis iactatione carmina illa furens canensque peregit:

φέρομεν ἐξ ὄρεος ἔλικα νεότομον

ἐπὶ μέλαθρα, μακαρίαν θήραν,

quibus omnes oblectati sunt. Quum vero quae sequuntur alternatim cum choro cantarentur:

τίς ἐφόνευσεν;

ἐμὸν ἐμὸν τὸ γέρας —

ibi exsiliens Pomaxaethres, qui una coenabat, apprehendit caput, quasi sibi ista dicere, quam illi, potius conveniret. Rex autem laetus hunc quidem patrio more auxit, Iasoni autem talentum largitus est."

Etiam ex imitationibus quanta fuerit Euripidis auctoritas intelligitur. Maximam tragicorum partem iam vivo Euripide huius vestigia pressisse, tum genus dicendi tum universam carminum artem imitantem, Aristophanes ostendit hisce verbis (Ran. 99.):

οὐκουν ἔτερό' ἔστ' ἐνταῦθα μειρακύλλια

τραγωδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μύρια

Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα.

Usu enim venit illud Horatii: Decipit exemplar vitiis imitabile. Ceterum quam difficile fuerit iunioribus a tanti viri potentia se in libertatem vindicare, Aristophanis ipsius exemplo ostenditur, qui cum in contrario poeseos genere elaboraret, imitationem illius adeo non potuit vitare, ut *Εὐριπιδαριστοφανίζων* a Cratino appellaretur et ab illo potissimum se didicisse rotundo ore loqui ipse fateretur: schol. Platonis Clark. p. 330. Bekk.: Ἀριστοφάνης ἐκωμωδεῖτο ἐπὶ τῷ σκώπτειν μὲν Εὐριπίδην, μιμεῖσθαι δ' αὐτόν. Κρατῖνος (in Pytine):

— τί δὲ σύ; κομψός τις ἔροιτο θεατῆς,

ὑπολεπτολόγος, γνωμοδιώκτης, εὐριπιδαριστοφανίζων.

καὶ αὐτὸς δὲ ἐξομολογεῖται Σκῆναις καταλαμβανούσαις·
 χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στοργγύλῳ,
 τοὺς νοῦς δ' ἀγοραίους ἤττον ἢ 'κεῖνος ποιῶ.

Cf. Bergk. Arist. fragm. p. 254. Sordidis sententiis magis

se quam Euripidem abstinere homo ingratus eadem affirmat vanitate, qua obscenis rebus se risum quaerere saepius negavit. Strattis quoque comicus, aequalis Aristophanis, Euripidem imitatus est in risum seria detorquendo, id quod ex ipsis comoediarum nominibus intelligitur: *Ἀταλάντη, Μήδεια, Φοινισσαί, Φιλοκλήτης, Χρύσιππος*. Nam Phoenissas quidem et Medeam in cognominibus tragoediis deformandis occupatas fuisse fragmenta ostendunt; cf. Athen. XI. p. 467. E. et IV. p. 160. B. Polluc. IX, 124. Idem histriones Hegelochum et Callippidem risit carmina nostri male agentes, et admirationem Euripidis professus est, cum Orestem eius drama elegantissimum (*δεξιότατον*) esse diceret; cf. Schol. Orest. v. 269.; cf. Meineke, quaest. scen. spec. II. p. 67.

Inter mediae comoediae auctores Eubulus frequenter Euripidis versibus abusus est, velut ap. Athen. II. p. 63. D. et XIII. p. 569. A. et III. p. 108. B. depromtis ex *Andromachae, Iphigeniae Aul. et Orestis* fabulis; adde schol. ad Eurip. Med. 473. Scripsit idem Augae fabulam tragoediae Euripidis cognominem versibus supra soccum surgentibus distinctam: Athen. XIV. p. 622.; cf. Meinek. spec. III. p. 17. *Ancylion* scripsit *Antiopen, Augen, Bellerophonem, Glaucum, Phoenicem, Ixionem, Daedalum*, quibus fabulis Euripidis carmina depravata fuisse versiculi hi declarant, quos tribuit Bellerophonti pegaso insidenti:

τίς ἂν λάβοιτο τοῦ σκέλους κάτωθ' ἔμοι;

ἄνω γὰρ ὡςπερ κοττάβειον αἴρωμαι:

cf. Meinek. p. 19. *Alexandrides* et versibus Euripidis abusus est, velut hocce:

ἢ πόλις ἐβούλεθ', ἢ νόμων οὐδὲν μέλει,

et *ἔρωτας καὶ παρθένων φθορὰς* primus fabulis suis intextuit.

Non minus mediam quam antiquam comoediam detorquendis in risum tragoediis operam dedisse Antiochi Alexandrini liber docet *περὶ τῶν ἐν τῇ μέσῃ κωμωδία κωμωδουμένων ποιητῶν*: Athen. XI. p. 482. C. Itaque filius Aristophanis Philippus in impugnanda Euripidis auctoritate perstitit, id quod nomine unius ex illius comoediis declaratur: *Φιλευροπίδης* enim inscripta in ridendis Eu-

ripidis admiratoribus occupata fuit*). Frustra igitur pater eius laudi Euripidis obtrexerat, siquidem haud imminuta summi poetae gloria dolore etiam filium potuit afficere; frustra etiam filius iram exercuit, siquidem *Φιλευριπίδην* comoediam scribere etiam Axionico necesse fuit, cuius quidam versus ab Athenaeo IV. p. 175. B. servati satis rem declarant:

οὕτω γὰρ ἐπὶ τοῖς μέλεσι τοῖς Εὐριπίδου
 ἄμφορ νοσοῦσιν, ὥστε τὰλλ' αὐτοῖς δοκεῖν
 εἶναι μέλη γιγγραντὰ καὶ κακὸν μέγα.

Dicendi genus, quod Euripides primus monstraverat, scenici poetae omnes merito amplexati sunt: quod factum esse tum Aristoteles Rhet. III. c. 2. tum Ioannes Sic. in Rhet. Gr. VI. p. 630. testantur; cf. T. I. p. 318 seq. Idem ex reliquiis fabularum Critiae, Carcini, Theodectis, Chaeremonis aliorumque se cognovisse Welckerus testatur p. 917. et confirmant Bernhardy in vita Euripidis p. 146. et Bartsch in programm. de Chaeremone poeta tragico scripto p. 31. Sed res quoque et sententias et universam artem multi sic sunt imitati, ut „desilirent in artum, unde pedem proferre partim pudor vetaret partim operis lex **).” Ita factum est, ut quidam etiam interpolata Euripidis carmina pro suis vendere non dubitarent, Neophron quod fecit Sicyonius, Alexandri aequalis Macedonis, interpolatae Medae Euripidis convictus a Dicaearcho atque Aristotele: de qua re supra exposui.

Recentioris comoediae poetae principes omnes Euripidem et admirati et imitati sunt. Et Timocles quidem, qui fuit in divortio quasi generis utriusque positus, utilissimas cognitu tragoedias imprimis Euripidis esse et firmissima praebere malorum solatia versibus quibusdam egregiis censuit (Athen. VI. p. 223.):

τοὺς γὰρ τραγωδοὺς πρῶτον, εἰ βούλει, σκόπει,
 ὡς ὠφελούσι πάντας· ὁ μὲν γὰρ ὦν πένης,
 πτωχότερον αὐτοῦ καταμαθὼν τὸν Τήλεφον
 γενόμενον, ἤδη τὴν πενίαν ῥᾶον φέρει·

*) Cf. Meinek. l. l. spec. III. p. 10.

**) Initium Phoenissarum Theodectes imitando expressit in Belerophonte; cf. Valcken. ad Phoen. v. 1.

ὁ νοσῶν δὲ μανικῶς Ἀλκμέων' ἐσκέψατο ·
 ὀφθαλμῶ τισ; εἰσὶ Φινεῖδαι τυφλοί.
 τέθνηκέ τῳ παῖς; ἢ Νιόβη κεκούφικε.
 χαλός τις ἐστι; τὸν Φιλοκτήτην ὄρα.
 γέρον τισ ἀτυχεῖ; κατέμαθεν τὸν Οἰνέα.
 ἅπαντα γὰρ τὰ μείζον' ἢ πέπονθέ τις
 ἀτυχήματ' ἄλλοις γεγονότ' ἐννοούμενος,
 τὰς αὐτὸς αὐτοῦ συμφορὰς ὄραον φέρει.

Menander quanti fecerit Euripidem quantumque ei debuerit, Quinctilianus ostendit X, 1: „Hunc et admiratus maxime est, ut saepe testatur, et sequutus, quanquam in opere diverso, Menander.” Frequentissima eius imitationis vestigia in reliquiis comoediarum, quas Meineke collegit composuitque, deprehenduntur, velut ex Telepho, Hippolyto, Iphigenia, Hecuba, Polyido, Andromacha, Alcestide et incert. trag. depromti versus p. 15. 71. 78. 93. 109. 121. 125. 130. 140. 185. 224. 243. occurrunt. Adde versus eos, de quibus, utrum integros Menander in suum usum converterit, an erraverint qui partim huic partim Euripidi tribuunt, dubitatur, p. 30. 75. 82. inc. fragm. n. 112. 142. 171. 174. 271. cum sententiarum ex codicibus descriptarum parte magna; cf. Meineke p. XXXIV. Fuisse hominem quendam perlitteratum, qui Euripidem et Menandrum inter se disserentes fecisset, Cicero ap. Hieron. ep. 52. n. 8. memoriae prodidit.

Philemonis divulgatum est epigramma, quo se dixit, si certum esset sensum inesse mortuis, vitam laqueo abrupturum esse, ut Euripidem videret:

εἰ ταῖς ἀληθείαισιν οἱ τεθνηκότες
 αἰσθησιν εἶχον ἄνδρες, ὥς φασὶν τινες,
 ἀπηγγέαμην ἄν, ὥστ' ἰδεῖν Εὐριπίδην.

Et perstrinxit Hippolytum p. 377. et 403., Medeam p. 383., Orestem p. 410.

Diphili commemorandum est dictum, quod apud Athen. X. p. 422. B. exstat:

εὖ γ' ὁ κατάχουσος εἶπε πόλλ' Εὐριπίδης.

Telephum ibidem perstringit ad parasitum illius verba immutata transferens:

νικᾷ δὲ χρεῖα μ' ἢ ταλαίπωρός τέ μου
 γαστήρ κτλ.

Philosophorum, qui Euripidis studio insignes fuerint, Crantorem, Chrysippum et Menedemum commemorare satis habeo, quorum ille Euripidem non inferiorem Homero esse iudicavit, Chrysippus autem scripta sua omnia testimoniis illius replevit, Menedemus denique praeter Medeam eiusdem nihil scriptorum legisse dicebatur; cf. Diogen. Laert. II, 26. 134. VII, 180. Plutarchum quoque qualibet occasione verba nostri respicere ac transcribere notum est. Oratores, praecipue Lycurgus et Isocrates, quantum Euripidi tribuerint, scripta eorum ostendunt.

Romanorum tragicorum imitationibus magnus fabularum Euripidis numerus divulgatus erat*), quod quo facilius perspicias, indicem propono.

- | | |
|---------------------------------------|---------------------------------|
| 1. Alexandrum imitatus erat | Ennius, |
| 2. Alcestidem | Attius et Laevius, |
| 3. Alcmaeonem in Psophide | Attius, |
| 4. Alcmaeonem in Corintho | Ennius, |
| 5. Andromachen | Ennius, |
| 6. Andromedam | Attius, Ennius atque
Livius, |
| 7. Antiopen | Pacuvius et Livius, |
| 8. Bacchas | Attius, |
| 9. Cresphontem | Ennius, |
| 10. Cressas | Attius et Ennius, |
| 11. Chrysippum | Attius, |
| 12. Danaen | Naevius, |
| 13. Erechtheum | Ennius, |
| 14. Hecubam | Ennius et Attius, |
| 15. Inonem | Livius, |
| 16. Iphigeniam Aul. | Ennius, |
| 17. Medeam | Attius atque Ennius, |

*) Euripidem sine dubio pro Thespide nominasset, nisi lex pedis obstitisset, Horatius Epist. II, 1, 162:

*Et post Punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.
Tentavit quoque rem, si digne vertere possset,
Et placuit sibi natura sublimis et acer:
Nam spirat tragicum satis et feliciter audet,
Sed turpem putat inscite metuitque lituram.*

18. Menalippam philos. imitatus erat Ennius,
19. Menalippam vinctam Attius,
20. Meleagrum Attius,
21. Oeneum Attius,
22. Oenomaum Attius,
23. Philocteten Attius,
24. Phoenicem Ennius,
25. Phoenissas Attius,
26. Plisthenem Attius,
27. Protesilaum Laevius,
28. Rhesum Attius,
29. Telephum Attius et Ennius,
30. Temenidas Ennius,
31. Troadas Attius et Ennius.

Duodeviginti igitur fabulas Attius imitatus erat, quindecim Ennius, tres Livius Andronicus, duas Laevius, unam, quae comoediae vicina erat, Naevius.

Praeter hos Ovidius plurima Euripidis non argumenta tantum, sed etiam verba et sententias imitatus est. Intercedente enim quadam ingenii similitudine artem pingendorum affectuum Romanus a Graeco didicisse videtur. Ex reliquis Romanorum poetis Horatium potissimum nomino, qui ad Euripidem saepe respexit, et probavit quaecunque Aristophanes vituperavit, et saepius illum in epistolis et sermonibus fuisse laudaturus videtur, nisi pedis legi natura nominis obstitisset.

Vulgi igitur iudicio tum Graeci tum Romani Euripidem potiore Sophocle habitum esse ex his quae attuli testimoniis intelligitur. Id vero se flocci non facere quidam hodie, qui se pro sapientibus haberi volunt, affirmant, provocantes ad illud Horatii verbum:

„*Interdum volgus rectum videt, est ubi peccet,*”

sed obliti eorum, quae de popularis iudicii veritate Cicero disputavit Brut. §. 183 seqq. Licet enim quae ille de oratore dixit ad scenicam poetam integra transferre, quippe cuius poemata „non recondita paucorum approbationem, sed popularis assensum vulgi debeant mereri.” Quod si vel primus vel solus Euripides fabulas docuisset, aemulis carens, liceret populi iudicium nobis aspernari. Hoc enim

inter vulgus et intelligentes interest, „quod illud interdum non probandum poetam probat, sed probat sine comparatione. Cum a mediocri aut etiam malo delectatur, eo est contentus, esse melius non sentit: illud quod est, qualecunque est, probat: tenet enim aures vel mediocris poeta, si sit modo aliquid in eo. Quare quis ex populo, cum Aeschyli aliquam fabulam spectaret, quicquam politius aut elegantius aut omnino melius exspectaret aut fieri posse putaret? At vero idem ille de populo iudex, qui separatim illum admiratus esset, ubi contra Euripidis drama, quo idem argumentum multo elegantius ornaretur, spectasset, iudicium suum contemneret, neque iam a docto dissentiret, sed eundem poetam, quem hic, praestare intelligeret.”

Accedit, quod doctorum iudicium, qui quidem vere docti artificesque fuerunt, nunquam a vulgi iudicio in Euripide aestimando discrepavit; excipio Schlegelios Gruppianosque, qui quo iure poetis artificibusque accenseantur, aliis diiudicandum relinquo. Sola grammaticorum iniquitate, quod genus hominum a recto iudicio fato quodam semper alienum fuit, noster vexatur. Praeierunt nostratibus Alexandrini, ab Aristophane, puto, incitati. Sed longe tamen illorum modestior, quam recentiorum, fuit arrogantia, neque defuerunt qui Euripidem Sophocli antefendum esse censerent. Iudicia enim eorum Quintilianus X, 1, 67. et Cicero de orat. III, 7, 27. retulerunt. „In dispari dicendi genere uter sit poeta melior, inter plurimos quaeritur.” — „Omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuitur.” Dissimilitudinem describunt Plutarchus de glor. Athen. c. 6. (*ἡ Εὐριπίδου σοφία καὶ ἡ Σοφοκλέους λογιότης καὶ τὸ Αἰσχύλου στόμα*) et Phrynichus apud Phot. cod. 158. p. 173: *Αἰσχύλον τὸν μεγαλοφωνότατον καὶ Σοφοκλέα τὸν γλυκὴν καὶ τὸν πάνσοφον Εὐριπίδην.*

Concinnandis interpretandisque Euripidis carminibus plurimi operam dederunt, id quod ex scholiis, quae supersunt, intelligitur. Laudantur enim tanquam interpretes Eratosthenes (Troad. v. 1165.), Aristophanes (Hippol. v. 170. Orest. 703. 1030. 1274. et Troad. 44.), Aristarchus (Rhes. v. 526.), Parmeniscus (ibid. v.

510 et 515. Med. v. 10.), Dionysodorus (Rhes. v. 495.), Irenaeus (Med. v. 222.; cf. Suidam s. v.), Callistratus* (Orest. v. 1030. 304. 424.), Alexandrus (Etym. M. s. v. ἀρμάτειος), Apollodorus Cyrenaicus (Orest. v. 1369.) et frequentissime omnium Didymus, qui χαλκέντερος cognominatus est, Hecub. v. 719. 829. 870. 1005. Phoen. v. 748. 1748. Med. v. 149. 171. 360. 383. 732. Orest. 1369. Androm. 867. De quo nuper pluribus disseruit G. Wolff in libro de Sophoclis scholiis scripto p. 12 seqq. Adde Pergamenorum grammaticorum principem Cratem Malloten (Rhes. v. 515 et 5.). Dionysii (Thracis)**) commentarium (ὑπόμνημα) se secutum esse fateatur is, qui scholia ad Orestem conscripsit ad v. 1686: πρὸς διάφορα ἀντίγραφα παραγέγραπται ἐκ τοῦ Διονυσίου ὑπομνήματος ὁλοσχερῶς καὶ τῶν μικτῶν. Eundem sine dubio ad v. 1369. dicit τὸν ὑπομνηματισάμενον. Item ἔνια τῶν ὑπομνημάτων in schol. Phoen. 642. laudantur. Etiam Soteridas Epidaurius, Pamphilae pater, commentarios tum in Menandrum tum in Euripidem scripserat, teste Suida s. v.; cf. Meinek. reliq. Men. p. XXXIV. Item inter commentatores numerantur Philochorus, qui vitam Euripidis narravit (Orest. v. 361. 760. Hippol. v. 72. p. 419. Matth.), Apollodorus Tarsensis tragicus***) et Menecrates comicus poeta (Suid. s. vv. schol. Med. v. 149. 171. Rhes. v. 515.) cum Timachida (Med. v. 1 et 169.), quorum postremus reprehendere quae in promptu sint recte in scholiis arguitur. Scriptorum ad Sophoclem vel Aeschylum communiter pertinentium haud pauca commemorantur, velut Dicaearchi (qui fuit Aristarchi discipulus) ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων (vide Sextum Emp. adv. Matth. III. init.), Durios περὶ Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους (Athen. IV. p.

*) De hoc conferas Athen. I. p. 21. D. et recentiorum eos, quos Pflugk. praef. p. XL. nominavit.

**) Suidas s. v. συνέταξε δὲ πλεῖστα . . ὑπομνήματα.

***) Diversum a poeta grammaticum fuisse censet Heyne ad Apollod. Bibl. I. p. 457. Laudatur idem inter Aristophanis interpretes schol. Ran. v. 323.

184. D.), Heraclidis Pontici *περὶ τῶν παρ' Εὐριπίδῃ καὶ Σοφοκλεῖ* et *περὶ τῶν τριῶν τραγωδοποιῶν* *), atque Asclepiadis, Tagili in Thraciae finibus nati, *τραγωδούμενα* (schol. Alcest. v. 1.).

Grammaticorum pari fere in honore Euripidem atque Sophoclem habentium non obstitit iudicium, quo minus ille etiam posterioribus saeculis praeferretur. Documento sunt Plutarchus et Lucianus, quorum illius scripta omnia Euripidis versiculis distincta sunt, hic non minus frequenter, quam Aristophanes comicus, illius verbis abutitur, cum Dione Chrysostomo, Philostrato, Libanio, Clemente Alex. et reliquis, ex quorum scriptis fragmenta pleraque collecta sunt. Ne extremis quidem temporibus agi in theatris fabulas nostri desiisse scriptores historiae Byzantinae ostendunt. Ita factum est, ut, cum Sophoclis quidem et Aeschyli tragoediae praeter eas, quas Alexandrini in canonem receperant, nullae describerentur, Euripidis multo plures conservarentur. Renatis autem litteris idem tragicus prae ceteris diligi coepit. Euripidem Racinius admiratus aemulatusque est, Euripidis vitam Baylius in dictionario illo celeberrimo sibi explicandam esse statuit; iidem Sophoclem neglexerunt. Euripidem nostrorum poetarum principes, Lessing**), Schiller atque Goethe, lectitare, admirari atque imitari nunquam desierunt, quorum hic grandaevus detectis Phaethontis fabulae fragmentis perinde gavisus est, ac si summa felicitate affectus esset. Quis credidisset eundem ansam daturum esse iniuriarum, quas ab eo tempore homines a recto sensu alieni in Euripidem certatim inferre coeperunt? Iphigeniam Goethe mansuetiorum hominum ingeniis accommodavit, cuius operis captus venustate Jacobs quum Euripidis Musam reprehendisset, Schlegel arreptam huius sententiam, non nominato auctore, iteravit auxitque maledictis; hunc vero ingens secutus est grex imitatorum eruditionem se testificari putantium Euripidem contumeliose vexando, quorum quum usque alius alium impudentia superaret, infra Kotzebuem detrusus est poeta

*) Cf. Welck. p. 900 et 980.

**) Vide dramaturg. Hamb. I. p. 385 seqq.

is, quem quicumque omnibus temporibus fuerunt homines docti in deliciis habuerant, quem omnium consensus Homero gloria aequaverat. Sapientiores enim esse et veriori iudicio praediti, quam priora saecula omnia, sibimet visi sunt ii, qui quae Schiller et Goethe vera rectaque monstraverant tueri nequiverant; qui a fastigio, in quod horum duumvirum opera poesis evecta erat, protinus eam relabi passi sunt turpissime, his nimirum fides habenda fuit suum iudicium reliquorum mortalium iudicio omnium anteponentibus! O saeculum, o mores! Goethium nostrates audire debuerunt accusationis illius et causam et naturam arguentem hisce verbis: „Alle, die dem Euripides das Erhabene abgesprochen haben, waren arme Heringe und einer solchen Erhebung nicht fähig: oder sie waren unverschämte Charlatane*), die durch Anmaßlichkeit in den Augen einer schwachen Welt mehr aus sich machen wollten und auch wirklich aus sich machten, als sie waren;“ cf. sermon. Eckerm. T. II. p. 269.

*) Praestigias Schlegeliorum pluribus epistolarum sermonumque locis arguit Goethe.

CORRIGENDA.

Tom. I.

- p. 4. v. 17—18. scribe Sisyphum pro Syleum.
- p. 81. v. 8. Verba, quibus Proteum Bellerophontes, quum primum conveniret, salutabat, servavit Lucianus (pro lapsu in salut. §. 2.):
χαῖρ', ὦ δυνάστα τῆσδε τῆς Τιρονθίας.
- p. 82. v. 1. Meineke in programm. gymn. nuper vulgato p. 32. recte emendasse videtur verba Bellerophontis sic:
*πέλας δὲ ταύτης δεινὸς ἴδρται Κράγος
ἐνθηρος, ἧ ληστῆσι φρουρεῖται πόρος
κλύδωνι δεινῶ καὶ βροτοκτόνῳ βρέμων.
πηγὸς πορεύσει πῶλος, οὐ ναυσθλώσομαι.*
- Idem v. 22. narrationis versum primum explevit sic:
βίος δὲ πορφυρεῦσιν ἐνθαλάσσιος.
- p. 198 seqq. Testimoniis adde verba Ulpiani ad Demosth. pr. corona p. 248. extr. ed. Reisk.
- p. 248. v. 1. scribe cognovissent pro cognovisse.
- p. 273. v. 27. Protesilao tribuerim etiam quae Aristoph. Ran. v. 1476. habet:
ὦ σκέτλιε, περιόψει με δὴ τεθνηκότα;
- p. 385. v. 13. scribe Datum pro Gratificatum.
-



Im Verlage von Friedrich Perthes in Hamburg sind erschienen:

Aeneas und die Penaten. Die italischen Volkreligionen unter dem Einfluß der griechischen, dargestellt von Rudolf Heinrich Klausen. 2 Bände. Mit vier Kupfertafeln. Hamburg und Gotha. 6 Thlr. 20 Sgr.

Das angezeigte Werk verfolgt den Begriffskreis, der im classischen Zeitalter der römischen Litteratur unter politischer Autorisation das Interesse der berühmtesten Dichter erfüllt und zur Vorbereitung auf das Christenthum mitgewirkt hat, in seinen Ursprüngen aus örtlichem Gottesdienst und volksthümlicher Reflexion in Kleinasien, Griechenland und Italien. Es ist seine Aufgabe, die verschiedenen, an jedem Orte besondern Anlässe der Entstehung und eben in dieser Mannichfaltigkeit das Analoge, wodurch die Verschmelzung herbeigeführt ist, nachzuweisen. Was von den Religionsvorstellungen der Latiner und der mit ihnen verwandten Völker im mittlern und südlichen Italien erhalten ist, hat der Verf. möglichst vollständig zu verarbeiten und mit Heranziehung der eigenthümlichsten römischen Religionsbegriffe das Hauptgebäude der römischen Staatsreligion, so weit es nach Zeugnissen thunlich war, zu zeichnen gesucht. Durchgängig ist er dabei bemüht gewesen, nur auf bestätigte Vorstellungen zu bauen, jede Ueberlieferung auszubeuten und keine über Gebühr zu würdigen. Um dieß zu veranschaulichen und dem Bedürfniß der von einer größern Bibliothek entfernten Philologen zu begegnen, sind überall die Belegstellen, in wichtigen Fällen wörtlich, angeführt; für ein größeres Publicum dürfte die genaue Beobachtung des Austausches, den verschiedene Völker mit den Zeugnissen ihrer Bildung pflegen, von Interesse sein.

Dr. Christ. Friedr. Besslermann, Ueber die ältesten christlichen Begräbnißstätten und besonders die Katakomben zu Neapel. Mit Abbildungen. Gr. 4. Preis 5 Thaler.

Dieser Beitrag zur christlichen Alterthumskunde verdient große Aufmerksamkeit. Der Verfasser, dessen mehrjähriger Aufenthalt in Neapel, als Prediger bei der k. Preuß. Gesandtschaft, ihn in den Stand setzte, an Ort und Stelle jene merkwürdigen Ruhestätten zu untersuchen, erwähnt in der Vorrede, mit Recht, der geringen Aufmerksamkeit, die man bisher, im Vergleich mit den römischen (von Aringhi u. A. weitläufig beschriebenen) Katakomben, den neapolitanischen geschenkt habe; ihm selbst ward, bei seinen verdienstlichen Untersuchungen, der Beistand zweier künstlerischen Freunde, des Malers Götzloff und des (durch seine trefflichen Untersuchungen über das Amphitheater in Capua bekannten) Architekten Amy Uttran, zu Theil, so daß er nicht allein genaue Vermessungen anstellen, sondern auch die, in den Grüften befindlichen, Malereien in Farben nachbilden lassen konnte. Eine dankbare Erwähnung findet das Werk des gelehrten Pelliccia, wogegen der in Celano's bekanntem topographischen Werke über Neapel befindliche Plan der Katakomben als durchaus unvollständig und ungenau bezeichnet wird.

Der Beschreibung der Katakomben selbst geht eine allgemeine Abhandlung „von den alten christlichen Begräbnißplätzen“ voraus, auf welche eine zweite, durch Inschriften erläuterte, „von den noch vorhandenen alten Katakomben mit christlichen Gräbern“ folgt, in welche namentlich viel interessante Details über die Gemälde in den Katakomben verwebt sind. Der dritte Abschnitt des Werkes betrifft die Katakomben von Neapel selbst. Sie bestehen aus vier unterirdischen Gewölben, welche unter und neben den alten Kirchen S. Vito, S. Severo, Sta. Maria della Sanità und S. Gennaro de' Poveri liegen. Eine fünfte Katakombe soll sich unter der, entfernter und höher gelegenen, Klosterkirche S. Eufremo vecchio befinden. Die Geschichte der Katakomben bis auf die neueste Zeit wird in diesem Abschnitt erzählt, zu welchem die interessanten colorirten Abbildungen Taf. 1—12, die detaillirten, mit französisch. und italien. Maaßbezeichnung versehenen, Grundrisse Taf. 13—14, und der Aufriss und Durchschnitt Taf. 15 gehören. — Für den Freund der Kunst wird die Reihenfolge der colorirten Abbildungen der in den neapolitanischen Katakomben gefundenen, von Gödloff gezeichneten Malereien, in ihrer chronologischen Folge, ein hohes Interesse haben, um so mehr, da wir dadurch an die Schätze des benachbarten Pompeji erinnert werden, deren auffallende Uebereinstimmung mit den in den Katakomben entdeckten Gemälden (z. B. Taf. 4 und 5) nicht wenig Aufmerksamkeit erregen muß. — Wir glauben, daß diese flüchtigen Andeutungen hinreichen werden, das gelehrte Publicum auf diesen neuen, erfreulichen Beitrag zur christlichen Kunstgeschichte und Archäologie hinzuweisen, für dessen geschmackvolle Ausstattung man auch dem Verleger gebührenden Dank wissen muß.

Prophetische Stimmen aus Rom, oder das Christliche im Tacitus und der typisch = prophetische Charakter seiner Werke in Beziehung auf Roms Verhältnisse zu Deutschland. Ein Beitrag zur Philosophie der Geschichte und zur tieferen Würdigung des römischen Geschichtschreibers von Dr. W. Böttcher. 2 Theile. Mit dem Motto aus Novalis: „In manchen ältern Schriften klopft ein geheimnißvoller Pulschlag und bezeichnet die Berührungsstelle mit der unsichtbaren Welt.“ gr. 8. Preis 3 Thlr. 20 sgr.

Historia Philosophiae Graeco-Romanae ex fontium locis contexta. Locos collegerunt, disposuerunt, notis auxerunt H. Ritter, L. Preller. Edidit L. Preller. 8. mai. 2 Thlr. 15 sgr.

**University of Toronto
Library**

**DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET**

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED

